*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K HOFBIBLIOTHEK
OSTERR NATIONALBIBLIOTHEK

*31. K. 30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM ANNI MDCCLXXV.

publicata

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Olyſſiponae apud BORELLUM, MARTINUM, et SOCIOS: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG: Lugduni Batauorum apud LUCHTMANSIOS.

MDCCLXXIX.

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE BIBLIOTHEK WIEN

Digitized by Google

LECTORI

S.

D. CAROLVS ANDREAS BEL,

SERENISS. SAXON. ELECT. CONSIL. AVL. IN ACAD. LIPS. PROF. PVBL. ORDIN.

Quam integro paene Seculo laboris patientiam, deque re litteraria in vniuerſum bene merendi ſtudium acre et indefeſſum, tibi adprobarunt Actorum Eruditorum Collectores, neſcimus, Lector, an, qui nunc ſumus, idem de noſtra diligentia promittere iudicium Tuum nobis liceat. Si non licet, amor nos litterarum, et bene collocati temporis conſcientia, ſolabitur, et in illa veteri humanitate Tua erga illos, qui ante nos fuerunt, adquieſcemus, neque tamen eapropter ceſſabimus, bonorum librorum memoriam ad poſteritatem transmittere. Magnus eſt, etiam hoc Volumine, bonorum librorum prouentus, nec minor quam olim Collegarum, in recenſendis iis atque diiudicandis, diligentia et fides, quod facile ſentient, qui-

cun-

Digitized by Google

cunque legerint. Non ſolemus aut odio quidquam, aut gratiae tribuere, contra quam ii faciunt, qui nuper admodum ſurrexere, viri caetera doctiſſimi, in eo tamen magnopere reprehendendi, quod videntur, qui non de ſua gente ſint, exteros, paucis aliquot exceptis, velle in omnium contemtum adducere. Inprimis autem eos petunt, qui graecorum latinorumque Scriptorum editiones parabiles inde ab aliquot annis ediderunt, propterea, quod non omnem eruditionis apparatum, vt ſolent Bataui, auctoribus iis illuſtrandis, in vnum congeſſerint. At tale quid non inſtituerant Viri doctiſſimi, eſtque adeo ridiculum, quod facere nolebant, id, quod non fecerint, crimini dare, tribuereque aut negligentiae, aut ignorantiae. Si hoc non eſt contra aequitatis leges peccare, quid aequitas ſit fatemur nos non intelligere. Sed mittamus haec, et nobis ſcribentibus, et ipſis legentibus ingrata. Laetemur potius de beneuolentia doctiſſimorum Virorum, Anglorum, Gallorum, Italorum, Luſitanorum, Hiſpanorum, Batauorum etiam, qui mittendis ad nos libris et commentationibus, aut ſuis, aut amicorum, ſuſtentarunt diligentiam noſtram, et acuerunt. Vtemur nos iſta eorum liberalitate ſic, vt, commendandis atque laudandis eorum in litteras meritis, inuitari ſe ſentiant ad ſeruandam nobis iſtam beneuolentiam, quam perpetuam optamus. Vale, Lector, et ſtudiis noſtris fauere perge. Scribebam Lipſiae, d. XVIII. Iunii MDCCLXXIX.

No. I.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Januarii Anno MDCCLXXV.

NOUVEAUX MEMOIRES DE L'ACADEMIE Royale des Sciences et belles Lettres: TOME I. 1772. TOME II. 1773. TOME III. 1774.

à Berlin, chez Chrétien Fréderic Voſſ, in 4.

Diſſoluendum eſt nomen, quod nuper, pleniorem promittendo eorum recenſionem, quae in laudatis Academiae Regiae Berolinenſis commentariis reſtarent, contraximus. Quod igitur ad claſſis Philoſophiae experimentalis ſcripta, quae in Tomo tertio habentur, attinet, eorum haec fere eſt ratio, vt ad Matheſeos limites tantum non omnia ſatis commode reuocari poſſint. Sunt autem quae ſequuntur: I) *Expériences chymiques ſur diverſes parties du Tilleul*, auctore *Cel. Marggraf* (p. 3—8.). Quo in ſcripto docetur, e foliis tiliae, mediante deſtillatione atque euaporatione, confici poſſe ſubſtantiam quandam odoriferam, conſiſtentia ſeu ſpiſſitudine mel referentem, quae, admixta aqua, conciliataque huic mixto fermentatione, in liquorem vinoſum mute-

Digitized by Google

tur cum optimo vini ſpiritu comparandum. Sic etiam cum granis tiliae periculum fecit laudatiſſimus auctor, quae illum docuerunt, non omnino vera eſſe, quae medicus quidam Gallus, *Miſſa* nomine, de obtinenda ex iſtis granis ſubſtantia eam referente, quam e fabis Cacao conficiunt, in medium protulit. II) *Sur le frottement entant qu'il rallentit le mouvement, par Mr. Lambert.* Plura hoc loco referuntur experimenta, quibus obtineri poſſit, vt theoria mechanica de frictione quam corpora mota patiuntur, deque celeritatis deminutione inde eueniente paullo certioribus ſuperſtruatur principiis. Si enim elementum infinite paruum ſpatii, quod corpus motum percurrit, ponamus = d x; celeritatem vero ipſam corporis moti = c: certum eſt, obſtaculorum, quae in elemento illo corpori opponuntur numerum, eo maiorem eſſe, quo maius eſt ſpatium elementare. Ex quo patet, deminutionem celeritatis, quam inter et dicta obſtacula certa ſemper intercedit proportio, proportionalem quoque, vti loquuntur, eſſe ſpatii ipſius percurſi magnitudini; ita, vt − d c non poſſit non creſcere, ſi dx augeri ponamus. Aſſumta igitur quantitate conſtante = a, *Ill. Lambertus* generalem hanc pro deminutione celeritatis, quae frictionem ſequitur, recte ſuppeditat formulam:

$$- a\,d\,c = c\,d\,x$$

Qua in formula, vt ad vſum reuocari poſſit, methodo empyrica diuerſi litterae (a) valores determinantur ex iis maxime experimentis, quae *Schoberus* in nitidiſſimo tractatu: *Verſuch einer Theorie von der Ueberwucht*, recenſuit. (p. 9—32.). III) *Sur la fluidité du Sable de la Terre et d'autres corps mous, rélativement aux loix de l'Hydrodynamique, par M. Lambert.* Maximi certe momenti ſunt, tum theoreticae, quae in hoc ſcripto habentur, propoſitiones, tum experimenta, quorum ope theoria adornata eſt. Cuius rei, vt vel vnum ſuppeditemus exemplum, elegans hoc loco occurrit de-

Digitized by Google

determinatio profunditatis ad quam vsque parallelepipedum, pro ponderum, quae ei imponuntur, diuerſitate in, pulueris cui impoſitum eſt ſuperficiem, intrudatur. Conſtructa enim figura Geometrica, in qua pondera per abſciſſas, dictae vero profunditatis menſuras per ordinatas repraeſentauit, in duas incidit propoſitiones Ill. Lambertus: I) impreſſionum quantitates eſſe in ratione ponderum II) easdem ſequi reciprocam baſium parallelepipedi rationem. (p. 33 — 64.). IV.) *Suite de l'Eſſai d'Hygrometrie, par Mr. Lambert.* Continuatur hoc loco commentatio, cuius principium in *Commentariorum Academiae Tomo XXV. pag. 68. et ſqq.* legitur. Id ſcilicet agit laudatiſſimus auctor, vt hygrometris, quae vocant, correſpondentibus conſtructis, in variis locis ſimul tempeſtatum viciſſitudines, quod ad humiditatem atque ſiccitatem aeris attinet, accuratius obſeruari poſſint. Comparantur autem inter ſe variae obſeruationes, in hygrometris tum ab ipſo Lamberto, tum a V. C. *Titio* et a *Maſchenbauero*, Phyſico Auguſtano, conſtructis, diligenter inſtitutae; deinde vero etiam varia, quae ipſe auctor fecit, pericula, in conficiendis hygrometris, iisdemque ad certam euehendis perfectionem, enumerantur (p. 65—102.) V) *Sur la Denſité de l'Air, par M. Lambert.* Egregiae ſunt obſeruationes, quas in hoc ſcripto publici iuris fecit Ill. Lambertus. Quum enim non ſatis accurate diſtingui ſoleat inter aërem naturalem, id eſt, qui varias habet admixtas partes heterogeneas, atque aërem purum, in hoc diſcrimen inquirendum eſſe, ideo, vt de celeritate ſoni, deque refractione, quam lux in aëre patitur, melius iudicare poſſimus, docetur. Quamobrem trium, quae vim aliquam habent ad augendam deminuendamve aëris naturalis denſitatem, cauſarum, denſitatis nimirum aëris puri, denſitatis vaporum, et gradus caloris ratione habita, hunc laborem aggreſſus eſt celeberrimus auctor, vt pleniorem quandam nobiſcum communicaret de denſitate aëris theoriam. Quo loco, inter alia notatu digniſſima, eleganti de-

Digitized by Google

demonſtratione oſtenditur, particulas heterogeneas aeri admixtas eatemus tantummodo refractiones quodammodo immutare poſſe, quatenus aerem ſuo comprimant pondere, et quatenus atmoſphaerae ipſius figura ſit ſphaerica (p. 103—140). VI) *De l'Action de l'électricité ſur le corps humain, et de ſon uſage dans les paralyſies, par Mr. Gerhard.* Recte quidem et appoſite laudatiſſimus auctor pronunciat, nullum fere eſſe vniuerſae doctrinae phyſicae locum, qui tot illuſtratus experimentis, tot variis explicandi rationibus tentatus ab eruditis fuerit, quot in theoria Electricitatis, quam vocant, deprehendimus. Sed non eadem ominium, qui hanc tractarunt materiam, fuerunt conſilia. Alii nimirum ideo electrica fecerunt pericula, vt phaenomena quaedam naturalia felicioribus explicari poſſent auſpiciis; alii vero artis ſalutaris limites eorundem experimentorum ope proferre maluerunt. Quos poſteriores non adeo felices adhuc progreſſus expertos fuiſſe, *Exp. Gerhard* dolet. Quo maxume argumento adductus id agere coepit Vir celeberrimus, vt certioribus ſimul et generalioribus principiis hanc de electricitatis in corpus humanum vi doctrinam ſuperſtrueret. Huc enim faciunt experimenta electrica cum diuerſis animalibus, variisque flammae, vt hoc vocabulo vti nobis liceat, electricae ſpeciebus inſtituta, quae hoc loco relata legimus. Quibus ex obſeruationibus varia deducuntur conſectaria, digna omnino quae ab iis et legantur et perpendantur, qui artis medicae praxin exercent. Sunt vero potiſſimum haec: 1) Vim electricam egregium praeſtare vſum in morbis paralyticis, qui oriantur ex neruorum compreſſione, 2) obſtructione, 3) vel conſtrictione; non autem 4) in iis quorum cauſa lateat in neruorum languore. Quae ita vera eſſe ipſe experientiſſimus auctor duorum quos ſanauit paralyticorum exemplo illuſtrat. (p. 141—151.) VII) *Recherches ſur les moyens de découvrir par des expériences, comment ſe fait la propagation de la lumiére, par Mr. Beguelin.* Longe diuque agitata eſt inter

Neu-

Neutoni, et Hugenii, atque Euleri aſſeclas controuerſia, vtrum lux pro vero habenda ſit corpore, licet tenuiſſimo, quod ſecundum generales attractionis leges ab aliis corporibus, potiſſimum vero a transparentibus, attrahatur mediis, atque ita refractionem ſubeat? an vero potius lux per motum tremulum ſeu vibrationes minutiſſimerum aetheris particularum propagetur? Hanc igitur chordam dum tetigit auctor huius ſcripti, de phyſicis deque mathematicis doctrinis meritiſſimus, non poteſt non ſibi conciliare eruditorum, qui diſſipatis incertarum opinionum nebulis verum tandem videre malunt, calculos. Ipſe tamen ingenue fatetur, tam impeditum eſſe hunc locum, vt exitus vix ac ne vix quidem inueniri poſſit. Non alienum autem erit ab inſtituto noſtro, ſi potiora, quibus Neutoni hypotheſin impugnare conatur, argumenta, breuiter cum lectoribus noſtris communicauerimus. Prima igitur obiectio, a reflexione luminis deſumta eſt. Precarii enim principii, et recte quidem, notam effugere non poſſe videtur Ill. Beguelino, illa Neutoni hypotheſis, ſecundum quam eadem prorſus materia, quae in refractione attrahat, in reflexione radios luminis repellere dicitur. Alterum argumentum omnem fere Neutoni de refractione eiusque cauſis doctrinam ſubuertit, neque tamen, quod et ipſe auctor non negat, ita comparatum eſt, vt de materia luminis certiores nos reddere poſſit. Ponamus enim, radium luminis directione ferri ad ſuperficiem medii transparentis, v. c. vitri, parallela; atque notum eſt, ſecundum Neutoni principia, hunc radium frangi debere ſub angulo, qui fere gradibus 41 et minutis 48 aequetur; poſtea vero, ſi incidat in ſuperficiem ad priorem illam verticalem, eundem in aërem rediturum eſſe ſub angulo 90°. Euentus autem huic Neutoni doctrinae non reſpondet; ſed potius Ill. Beguelinus dictis ſub determinationibus radium luminis nullam prorſus pati refractionem animaduertit. Vnde egregie conſtat, refractionem luminis non ſequi leges attractionis. Quod vero ad hy-

potheſin emiſſionis attinet, tantum abeſt vt illam per laudatam obſeruationem ſubuerti autumet auctor, vt potius argumenta in medium proferat, quibus luminis motum ab aëris in excitato ſono vibrationibus longe differre oſtendit (p. 152—162.). VIII) *Extrait des obſervations météorologiques faites à Berlin en l'année 1772. par Mr. Beguelin.* Occurrunt hoc loco accuratae barometri atque thermometri, directionis ventorum, et ſtatus atmoſphaerae pro ſingulis menſibus obſeruationes; notatur denique, auroras boreales in hoc anno obſeruatas nullos iridis colores, ſed declinationem 16° a ſeptemtrione verſus occidentem habuiſſe (p. 163—182.).

His ita diſputatis, ad eas nos conuertimus lucubrationes, quas claſſi Mathematicorum debemus. Pertinent iſtae maximam quoad partem ad Analyſin; quapropter, ne noſtrum de illis iudicium in libri molem excreſcat, in eorum recenſione potiſſima tantummodo momenta conſiderabimus. Ad ea igitur ſcripta mathematica, quae in Tomo I. habentur, quod attinet, ſunt ſequentia. I) *Nouvelles Réflexions ſur les Tautochrones, par M. de la Grange* (p. 96—121.). Poſt Hugenium, qui primus docuit in immortali de horologio oſcillatorio opere, curuam cycloidicam eſſe eam, quae iſochroniſmum admittat pro corporibus grauibus, quae in vacuo moueantur; plures id egerunt Geometrae, vt alias quoque curuas determinarent, in quibus ſub quacumque grauitatis et reſiſtentiae hypotheſi, idem iſochroniſmus obtineri poſſet. Quem laborem celeberrimus huius ſcripti auctor, methodo analytica ita tractauit, vt, quum generales ſint, quas ſuppeditauit, formulae, ad quosuis caſus obuios facili negotio applicandae, omnia praeſtitiſſe videatur, quae in hoc genere deſiderari queant. Nobis in praeſenti notaſſe ſufficiat, duobus omnem in hac lucubratione doctrinam abſolui problematibus. Quorum primum hoc eſt: Datis 1) ſpatio

a

a, quod corpus certa celeritate praeditum abſoluere poſſit, 2) potentia variabili p, quae corporis iſtius celeritatem minuat; 3) ſpatio x, quod idem corpus in tempore t abſoluat, 4) celeritate u corporis quam finito hoc tempore acquiſiuerit; 5) functione L duarum x et a: quaeritur, per quamnam duarum quantitatum x et u functionem potentia p exprimi debeat, vt tempus t functioni cuidam τῷ L fiat aequalis? Quo problemate reſoluto, alterum quoque proponitur atque ſoluitur, cuius haec eſt ratio: Inuenire legem, quam ſequi debeat vis acceleratrix, ita vt corpus motum in aequalibus continuo temporis portionibus ſpatium quodcumque percurrat, cuius data ſit ad ſpatium integrum relatio. II) *Démonſtration d'un Théorême d'Arithmétique, par M. de la Grange* (pag. 123—133.). Satis notum eſt theorema Arithmeticum, ſecundum quod quicumque numerus non fractus nec quadratus, in duo, tria, vel quatuor quadrata reſolui poteſt; ſed nemo hactenus vere mathematicam huius propoſitionis dedit demonſtrationem, quum omnes, et inter eos V. C. *Bachet de Méziriac*, in commentario ad Diophantum (Lib. IV. quaeſt. 31.) inductione ad illam probandam vti maluerint. Laudatiſſimus vero auctor ex generali demonſtratione, per quam certum ſit, quemcumque numerum primum, qui diuiſor ſit numeri alius, ex quatuor, tribus, aut duobus quadratis compoſiti, non vero ſingulorum quadratorum, ipſum etiam compoſitum eſſe ex, II, III, aut IV, quadratis, memorato theoremati quantum ſatis eſt lucis affundit. III) *Réflexions ſur la réſolution algébraique des équations par M. de la Grange* (p. 134—215.). Cuius ſcripti continuatio legitur in commentariorum Tomo. II. p. 138—253. Tam ſolida diſputandi ratione in hoc tractatu ſatis amplo vtitur V. C. de la Grange, vt eum omnibus, qui clarius videre in analytica de aequationibus doctrina cupiunt, merito commendare poſſimus. Quod vero ad ſcopum laudati ſcripti attinet, duplex ille eſt;

alter

Digitized by Google

alter, vt examinentur variae rationes, quas adhuc in reſoluendis aequationibus ſequi ſunt ſoliti Geometrae, eaedemque ad generaliora reuocentur principia; alter, vt oſtendatur, quare ſperatus quidem dictis methodis in aequationibus trium quatuorue dimenſionum, non item vlteriorum graduum, arrideat euentus. Nimis longum foret, et a noſtro alienum inſtituto, ſingula referre artificia, quae rem omnem conficiunt; vt tamen vno quaſi intuitu lectoribus noſtris de grauitate ſcripti iudicare liceat, quaenam in quatuor ſectionibus, quibus integer tractatus abſoluitur, habeantur, age, breuiter recenſeamus. Quum igitur *aequationum ſecundi gradus* reſolutio nullis fere obnoxia ſit difficultatibus in *ſectione prima* ab *aequationum cubicarum* reſolutione celeberrimus auctor facit dicendi initium. Quo loco generalis aequatio huius formae;

$$x^3 + m x^2 + n x + p = o$$

ad reſoluendum proponitur; quae expuncto termino ſecundo $m x^2$ euadit: $x^3 + n x + p = o$; et poſito $x = y + z$, tandem valorem incognitae x ſiſtit. Falli tamen in eo videtur Vir ſummus, dum generaliter ſecundum aequationis terminum expungi poſſe pronunciat, addito ad radices datae aequationis coëfficiente termini ſecundi, per exponentem termini primi diuiſo. Hoc enim tantummodo verum eſſe eo in caſu, in quo ſecundus aequationis terminus ſit poſitiuus, quum potius ſubtrahenda ſit dicta quantitas a radicibus aequationis propoſitae, quoties ſecundus terminus deprehendatur negatiuus, prima Analyſeos aequationum principia quemuis docent. In *ſectione porro ſecunda* de ratione reſoluendi aequationes quatuor dimenſionum agitur, et primo loco elegans *Ludouici Ferrari* (qui *Cardani* diſcipulus fuit, et primus regulam generalem pro inuenienda huiusmodi aequationis radice ſuppeditauit,) methodus expenditur; deinde vero de noua Carteſii methodo, quam ſequuntur Mathematicorum plurimi, disputatur. *Ferrarus* enim ex aequatione quatuor di-

Digitized by Google

dimenſionum ſecundum eximit terminum: quo facto, quum ad hanc reducatur formam:

$$x^4 + n x^2 + p x + q = 0$$

in duo illam membra diſpeſcit, quorum alterum primo termino, alterum reliquis terminis conſtet, et addita ad vtrumque membrum quantitate $2 y x^2 + y^2$, aequationem quadraticam obtinet, huius formulae:

$$x^4 + 2 y x^2 + y^2 = (2 y - n) x^2 - p x + y^2 - q$$

Carteſius autem ſimpliciori, quod negari non poteſt, et magis directa methodo procedens, quamcumque aequationem biquadraticam pro producto aſſumit ex duabus quadraticis, videlicet:

$$x^2 + f x + g = 0$$
$$x^2 + h x + k = 0$$

Quibus ita diſpoſitis, facta inter ſe terminorum homologorum comparatione, valorem quantitatum indeterminatarum, f, g, h, k, eruit; vnde etiam pro vero auctore methodi, quae indeterminatas ad calculum reuocat quantitates, habetur. *Tertiam et quartam ſectionem* conſectaria occupant ex generalibus, quae in praecedentibus ſectionibus leguntur, principiis legitime deducta. Sic enim *in tertia ſectione* variae examinantur viae, quibus vir, dum viueret, celeberrimus, *Tſchirnhaus*, *Eulerus*, et inter Academicos Pariſienſes V. C. *Bezout*, incedere ſolent, vbi de reducendis vlteriorum graduum aequationibus ad gradum quartum agitur. In ſectione autem quarta, quae vltima eſt, nonnullae adduntur laudatiſſimi auctoris obſeruationes, tum de transformatione aequationum in genere tum de reductione earundem ad gradus inferiores; vbi omnem in hoc genere laborem eo abſolui eleganter et ſolide docet, vt functiones radicum aequationis propoſitae inueniantur, huius indolis,

Digitized by Google

vt nouae, quae illas contineant, aequationes, datae aequationi vno gradu aut ſint inferiores, aut tamen reſolui in aequationes poſſint, quae laudatam admittant determinationem. IV) *Suite d'Obſervations faites à l'Obſervatoire Royal pendant le mois de Juin 1770. par M. Jean Bernoulli* (p. 216—220.). Recenſentur momenta tranſituum tum Solis, tum Lunae, tum vero etiam Iouis, et nonnullarum fixarum, per tria teleſcopii meridionalis fila verticalia, obſeruatorum. V) *Calculs pour l'Oppoſition de Jupiter en 1770. par M. Jean Bernoulli* (p. 221—224.). Ex iis, quas praecedens ſcriptum exhibet, obſeruationibus, calculi oppoſitionis Solis et Iouis, quae a. 1770. inter 9 et 10^mum^ menſis Iunii diem contigit, ducuntur. VI) *Obſervations analytiques, par M. Lambert* (p. 228—244.). Proponitur hoc loco atque ab immortali viro reſoluitur problema analyticum: Data quadam duarum quantitatum variabilium x et y, functione, cuius haec ſit indoles, vt fiat = o; aut = conſtanti, aut = nouae functioni quantitatis y; determinare quantitatem x, aut functionem quamlibet huius x, vel etiam quantitatum x et y, per ipſam quantitatem y; in auxilium vocatis differentiationibus. Nobis vero in praeſenti obſeruaſſe ſufficiat auctorem huius ſcripti de vniuerſa Matheſi meritiſſimum, tum ex doctrina de ſeriebus per quas dignitates indefinitorum exponentium exprimi ſolent, tum ex transformatione aequationis:

$$\psi\,\xi = \varkappa\,\eta,$$ in aliam huius formae:

$$\varkappa\,\xi = \varkappa\,\eta + (\varkappa\,\xi - \psi\,\xi),$$

ſimilibusque analyticorum artificiis, laudati problematis ſolutionem deduxiſſe.

In Tomo Commentariorum altero, praeter continuationem ſatis amplam tractatus de reſolutione aequationum, cuius iam, quod ſatis eſt, mentionem iniecimus: ea, quae ſe-

Digitized by Google

ſequuntur, ſcripta occurrunt: I) *Démonſtration d'un Théoreme nouveau concernant les nombres premiers, par M. de la Grange* (p 126—137). Elegans exhibetur theorematis arithmetici demonſtratio, quod primus diuulgauit *Eduardus Waring, Matheſeos Profeſſor Lucaſianus, in Meditationibus Algebraicis* (Cantabrigiae 1770.) *pag. 218;* ſecundum quod, ſi ponatur $n =$ numero primo cuicumque, numerus huius formae:

$$1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ \ldots\ldots (n-1)+1$$

diuidi poſſit per ipſum numerum *n*. Quum vero Anglus nullam ſubiunxerit laudatae propoſitionis demonſtrationem, fieri non poſſe ratus, vt nota fingatur, quae primum numerum exprimat, gratum certe eruditis opus feciſſe V. C. *de la Grange,* dum ex euolutione producti continui

$$(x+1)(x+2)(x+3)(x+4)\ldots\ldots(x+n-1)$$

ſecundum dignitates ipſius x conficiendam laudati theorematis demonſtrationem docuit, nemo eſt, qui non videat. II) *Mémoire ſur les équations réſolues par M. de Moivre; avec quelques réflexions ſur ces équations et ſur les cas irreductibles, par M. de Caſtillon* (p. 254—272.). Demonſtratio hactenus neglecta, vel plerumque ex inductione repeti ſolita, (quod Eulerus fecit in *Comm. Acad. Petrop.* Tom. VI. p. 226. ſqq) theorematis analytici, quod aequationis generalis

$$a = z^{n} - n z^{n-2} \sqrt[n]{b^2} + \frac{n.\, n-3}{1.\,2} z^{n-4} \sqrt[n]{b^4}$$

$$\frac{n.\, n-4.\, n-5.}{1.\,2.\,3} z^{n-6} \sqrt[n]{b^6} + \frac{n.\, n-5.\, n-6.\, n-7}{1.\,2.\,3.\,4} z^{n-8} \sqrt[n]{b^8} - \text{etc.}$$

radicem eſſe docet =

$$z = \frac{\sqrt[n]{(a+\sqrt{(a^{n}-4b^{n})})} + \sqrt[n]{(a-\sqrt{(a^{n}-4b^{n})})}}{\sqrt[n]{2}}.$$

 noua

noua methodo ex variis in expreſſione ſeptimae dignitatis formulae

$$z = \sqrt[7]{A} + \sqrt[7]{B}$$

ſubſtitutionibus, id eſt, aequiualentium terminorum ſurrogationibus, efficitur. III) *Sur les Fractions décimales périodiques, par M. Jean Bernoulli* (p. 273—317.). Quum iam notum ſit, propoſita fractione quadam v. c. $\frac{1}{7}$ ad calculum decimalem reducenda, prodire:

$$\tfrac{1}{7} = 0,\ 142857.$$

quae ſex ciphrae continuata diuiſione conſtanter et non mutato ordine ſemper redeant; ita, vt ſi ponatur denominator in genere = D, numerus ciphrarum in numeratore fractionis decimalis conſtanter redeuntium ſit = D — 1; Ill. *Bernoulli*, fractionum harum, quae *periodicae* dicuntur, naturae accuratiorem inueſtigationem, eorumque examen principiorum, quae de illis apud *Walliſium*, *Eulerum*, et *Robertſonum* occurrunt, inſtituit. In calce vero duas ſubiunxit tabulas, quarum altera exhibet fractiones, quarum denominatores ſint numeri primi, altera vero ſiſtit fractiones, quae denominatores habeant ex multiplicatione duorum numerorum primorum ortos, in fractiones decimales periodicas mutatas. IV) *Recherches ſur les diviſeurs de quelques nombres très grands compris dans la ſomme de la progreſſion géométrique:*

$$1 + 10^1 + 10^2 + 10^3 + 10^4 \ldots\ldots + 10^T = S$$

par M. Jean Bernoulli (p. 318—337.). Ex ipſius Summae propoſitae progreſſionis, quae eſt =

$$\frac{10^{T+1} - 1}{10 - 1}.$$

conſideratione, tum vero etiam in auxilium vocatis theorema-

Digitized by Google

matibus nonnullis Eulerianis, laudata inquiſitio, cum maxume in finem a celeberrimo auctore inſtituitur, vt doctrina de numeris primis, quae immenſis hactenus inuoluta fuit difficultatibus, nouis augeatur incrementis. Subiiciuntur etiam quatuor tabulae in vſum calculi cum numeris primis inſtituendi, adornatae. V) *Sur les Lorgnettes achromatiques d'une ſeule espéce de verre, par M. Lambert* (p. 338—351.). Sicuti ex omnibus Lamberti ſcriptis, mira quaedam vis ingenii elucere ſolet, ita etiam de hac dici poteſt diſſertatione, illam nouum ob oculos nobis ponere meritorum laudatiſſimi viri documentum. Notum etenim eſt, tubos Hollandicos, qui ex duobus vitris componuntur, quorum alterum, oculare nimirum, ſit concauum; alterum vero, nempe obiectiuum, conuexum, nimis obnoxios eſſe confuſioni, ex varia, quam varii colores patiuntur, refractione oriundae. Quam igitur alii diuerſis vitri ſpeciebus ad vſum reuocatis obtinere conati ſunt, tuborum ſcilicet achromaticorum huius generis comparationem, hanc vnica non niſi vitri ſpecie adhibita aſſequi maluit *Lambertus*. Poſitis nimirum fccis obiectiui vitri = F; et ocularis = f; porro k = termino viſionis diſtinctae; et F — b = interuallo inter oculare vitrum atque obiectiuum intercepto; laudatam conditionem obtineri poſſe docetur, ſi fiat

$$F = \frac{bb + kk}{k}$$

$$\text{et:}\quad f = \frac{bk}{b + k}$$

VI) *Obſervations ſur l'Orbite apparente des Comètes, par M. Lambert* (p. 352—364.). Nouum in hoc ſcripto proponitur atque demonſtratur theorema, doctrinam de Cometis egregia prorſus ratione illuſtrans. Poſito enim orbe Cometae cuiusdam apparente, aſſumtisque in eo duobus punctis, ſi per illa circulus ſphaerae maximus ducatur, Cometam

longius a Sole diſtare, quam hinc a terra, quoties puncta orbis intermedia verſus locos Solis correſpondentes de linent, minorem contra Cometae, quam Terrae, a Sole eſſe diſtantiam, ſi contrarium obtineat, oſtenditur.

Ad eas tandem quod attinet lucubrationes Mathematicas, quae in Tomo Commentariorum tertio habentur, ſequens harum eſt ratio: I) *Sur une nouvelle Eſpece de Calcul relatif à la différentiation et à l'intégration des quantités variables, par M. de la Grange* (p. 185—221.). Scopus, quem auctor ſibi propoſuit, vt breues ſimus, hic eſt. Magnis hactenus obnoxia fuit difficultatibus, quantitatum quae plurium ſimul variabilium ſint functiones, tum differentiatio, quam vocant, tum integratio. Quapropter, vt Mathematicorum conſuleret commodis, *Ill. de la Grange*, noua methodo generaliora hoc loco demonſtrauit theoremata, quorum ope ea, quae indicauimus, praeſtari poſſint. Sic, vt leuius tantummodo meditationum viri doctiſſimi in medium proferamus ſpecimen, ſi quantitas u fuerit functio variabilis x, loco quantitatis x vero ponatur $x + \xi$; functio u mutabitur in nouam functionem $= u + u'\xi$. Qua in expreſſione, vt determinari poſſit quantitas functionis u'; ponamus $u'\xi$, ſeu incrementum primae functionis $u = du$; et ξ, ſeu incrementum infinite paruum quantitatis $x = dx$; atque erit: $du = u'dx$; vnde prodit: $u' = \frac{du}{dx}$; ita vt functio u' iam innoteſcat, datis differentialibus du et dx. II) *Sur la forme des Racines imaginaires des Equations, par M. de la Grange* (p. 222—258.). Radices aequationum imaginarias comprehendi ſub generali expreſſione $A + B\sqrt{-1}$, in qua A et B denotent quantitates reales, tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Quum porro, ſi radix imaginaria aequationis cuiusdam ponatur $= A + B\sqrt{-1}$; alia etiam eiusdem aequationis radix ſumi poſſit $= A - B\sqrt{-1}$

ita,

ita vt, ſi alter factor aequationis imaginarius ſit

$$= x - A + B\sqrt{-1}$$

alter quoque prodeat $= x - A - B\sqrt{-1}$; quo poſteriore in priorem ducto, habebimus realem factorem:

$$x^2 - 2Ax + A^2 + B^2$$

nulla ſupereſt dubitatio, radices aequationum imaginarias non impedire, quo minus aequationes ſuperiorum graduum reſoluere in alias poſſimus inferiorum dimenſionum. Quam in reſolutionem auctor huius ſcripti fuſius inquirit. III) *Sur les Réfractions Aſtronomiques, par M. de la Grange* (p. 259—282) Quum non ignobilis nuper Phyſicus *V. C. de Luc* in peculiari libro, qui inſcribitur: *Recherches ſur les modifications de l'Atmoſphére (à Geneve 1772.)* nouas de varia aëris denſitate obſeruationes cum orbe erudito communicauerit, in ea, cuius titulum deſcripſimus, commentatione, id agit laudatiſſimus *de la Grange*, vt maiori quadam luce doctrinam de refractionibus caeleſtibus perfundat, tum theoreticis meditationibus, tum nouiſſimis, quas laudauimus, obſeruationibus adiutus. Cuius conſilii vt in lectorum noſtrorum animos aliquam informemus notitiam, formulae cuiusdam analyticae, in qua totius rei cardo vertitur, opus eſt euolutione. Notum eſt, *elaſticitatem aëris eſſe in ratione compoſita denſitatis atmoſphaerae atque caloris, quo illa afficiatur.* Ponamus igitur altitudinem barometri $= y$; denſitatem aëris $= \delta$; caloris gradum $= \phi$; quantitatem denique conſtantem per experientiam determinandam, a qua pendeat ipſius aëris vis elaſtica $= m$; atque erit:

$$y = m\,\delta\,\phi;$$

ita, vt y ſit functio trium quantitatum, m, δ, et ϕ. Jam vero, ſit $x =$ eleuationi loci a ſuperficie maris computatae; $dx =$ columnae aëris infinite paruae; et $-dy =$ altitudini Mercu-

Digitized by Google

curii in barometro preſſioni memoratae columnae reſpondenti; atque, quum grauitates ſpecificae ſint in ratione inuerſa voluminum, quorum eadem eſt grauitas abſoluta, habebimus rationem grauitatis ſpecificae Mercurii ad grauitatem ſpecificam aëris $= -\frac{dy.}{dx}$ Aſſumta vero grauitate ſpecifica Mercurii pro vnitate, euadet denſitas aeris $= \delta = -\frac{dy.}{dx}$ Vnde ſubſtituto hoc valore τῦ δ, formula, quae quantitatem τῦ y exprimit, erit:

$$y = \frac{-m\,dy\,\phi}{dx}$$

atque ita: $y\,dx = -m\,dy\,\phi$

et: $dx = -\frac{m\,dy\,\phi}{y}$

denique: $\frac{dx}{m\phi} = -\frac{dy}{y}$

Quae noua formula egregie inſeruire poteſt ad inueſtigandam, quae inter diuerſas altitudines barometricas intercedit, relationem, ſi modo nobis iam innotuerit, qualis functio τὸ φ ſit quantitatum x et y. Sed quum haec functio hactenus determinata non ſit, a poſteriori, vti loquuntur, V. C. *de Luc* regulam inuenit, ſecundum quam corrigi poſſint eleuationes locorum, ex obſeruationibus barometricis determinatae, ad calculum reuocatis caloris viciſſitudinibus. Qua regula auctor commentationis noſtrae vtitur, ad eliciendam ex laudata formula analytica legem, quam variationes caloris pro differentia eleuationum ſequantur. Obſeruauit enim Vir eximius *de Luc*, ſub hypotheſi caloris, cui in thermometro Reaumuriano 16¾ gradus reſpondent

Digitized by Google

dent, differentiam logarithmorum tabularium altitudinum barometri, ſatis accuratae aſſumi poſſe pro differentia eleuationum locorum in milleſimis orgyae Gallicae (*Toiſe*) particulis expreſſarum; ſi nimirum logarithmi tamquam numeri integri conſiderentur. His ita diſpoſitis, ſit b = altitudini barometri quae eleuationi a reſpondeat, atque integrando ſupra laudata formula analytica dabit:

$$Lb - Ly = \frac{x - a}{m\,\varphi,}$$

In qua poſtrema formula dictum in finem euoluenda Ill. *de la Grange* occupatur; cui tamen euolutioni, quum ex hactenus memoratis ſcripti ratio ſatis pateat, diutius non immoramur. IV) *Remarques ſur quelques cas particuliers de l'équation indéterminée*: A = Bt — Cu; *par M. Iean Bernoulli* (p. 283—285.). Sumtis B et C numeris inter ſe primis, et poſito B < ½ C, in octo diſtinctis caſibus omnium minimus numerus *u* inueſtigatur, et quidem talis, qui quantitatem *t* numerum integrum eſſe ſinat. V) *Obſervations d'Eclipſes tirées des Iournaux de l'Obſervatoire royal, par M. Iean Bernoulli* (p. 286—295.). Leguntur hoc loco obſeruationes eclipſium Satellitum Iouis, quae annis 1771. et 1772. contigerunt; duorum defectuum ſolis d. 3. Aprilis et 26. Octobris 1772, duarumque eclipſium lunarium, d. 23 Octobris 1771. et d. 11. Octobris 1772. VI) *Eſſais ſur un Algorithme déduit du principe de la raiſon ſuffiſante par M. Beguelin*, (p. 296—352.). Algorithmi hactenus excogitati, atque inter eos decadicus quoque et dyadicus, eo potiſſimum vitio laborant, quod ad inueſtigandam factorum rationem non ſatis commode poſſint accommodari. Egregie igitur conſuluit Mathematicis Ill. *Beguelinus*, dum nouum excogitauit *Algorithmum exponentialem*, cuius ſequens eſt ratio. Loco numerorum ipſorum ſubſtituuntur exponentes dignitatum numeri binarii dato nume-

ro aequalium. Sic v. c. quum 32 ſit quinta numeri binarii dignitas loco illius ſcribitur 5; loco 33 = 32 + 1 = $2^5 + 2^0$ ponitur o. 5; ſicuti 36 = $2^5 + 2^2$ loco 2. 5. Quod deinde ad additionis, ſubtractionis, Multiplicationis et diuiſionis artificia attinet, facile hi labores ad vſum reuocato Algorithmo exponentiali ſuperantur, ſi modo reſolutionem et compoſitionem exponentium probe noueris. Quum ſcilicet in genere 2^{n+1} per naturam numeri binarii ſit = 2. $2^n = 2^n + 2^n$; facile apparet, in locum duorum exponentium aequalium n. n, qui in expreſſione quadam occurrant, ſurrogari poſſe nouum exponentem n + 1. Sic v. c. numerus 2. 4. 4. 5 erit = 2. 5. 5 = 2. 6 = $2^2 + 2^6$ = 68. Vnde porro n. n. n erit = n (n + 1) et n. n. n. n = (n + 1). (n + 1) = n + 2, etc. Haec ſunt, et ſimilia ratiocinia, quibus acutiſſimus Geometra in priore commentationis huius ſectione calculi exponentialis principia ſuperſtruxit, quae ſtatim ad vſum reuocat, atque varia euoluit de factoribus numerorum theoremata, quorum primum tantummodo huc tranſcribemus. Poſito numero exponentiali huius formae: o. (m + 1). (2 m): hic numerus erit quadratus, et eius radix = o. m. Si enim quantitas o. m ſecundum regulas multiplicationis exponentialis in ſe ipſam ducatur, habemimus o + o = o; m + o = m; o + m = m; m + m = 2 m; ergo factum integrum = o + m + m + 2 m = o. m. m. 2 m = o. (m + 1). (2 m). Sic v. c. numerus o. 7. 12 = 4225 eſt quadratus et eius radix = o, 6 = 1 + 64 = 65. In ſectione vero nitidiſſimi huius ſcripti altera, varia euoluuntur artificia, quae ad duorum factorum *F* et *f* expreſſionem, ſecundum algorithmum exponentialem adornandam, ſpectent. Diſtinguit hoc loco celeberrimus auctor factores exponentiales in plenos, (*facteurs pleins*) vacuos (*facteurs vuides*) et interruptos (*facteurs coupés*). Pleni ſunt factores huius formae: $2^{m+1} - 1$, qui omnes contineant numeros exponentiales naturali ordine

ſibi

ſibi ſuccedentes a numero maximo m vsque ad o. Vacui ſunt auctori, qui inter o et m nullum numerum habeant intermedium, huius formulae: $2^m + 1$; interrupti denique, qui quosdam tantummodo, non vero omnes, inter o et m numeros exponentiales intermedios contineant. In calce ſcripti III. *Beguelin* tertiam pollicetur ſectionem, in qua formulas generales ad caſus limitatos applicandi ratio doceatur; quae non poterit non omnibus rerum Mathematicarum ſtudioſis eſſe gratiſſima. VII) *Sur l'Intégration des équations à différences partielles du premier ordre par M. de la Grange* (p. 353—372). Quanam ratione aequationes, quae differentias, quas vocant, partiales continent, integrandae ſint diſtinctis nouem caſibus docetur, quos ſingulos recenſere nimis longum foret. Dicuntur autem differentiae partiales termini, quos continet aequatio differentiale quantitatis cuiusdam ſiſtens, quae plurium ſimul mutabilium ſit functio. Sit u functio quantitatum mutabilium x, y, z; atque differentiae partiales erunt p d x, q d y, r d z; ita, vt fiat: $du = p\,dx + q\,dy + r\,dz$.

Mathematicorum ſcripta in ſingulis Commentariorum tomis, lucubrationes ad philoſophiam ſpeculatiuam, quam vocant, referendae excipiunt. Quarum quaenam in iſtis voluminibus ſit ratio, breuiter exponemus. In Tomo igitur primo ſequentia occurrunt ſcripta, quibus noſtra quidem ſententia nemo bonus calculum ſuum addere dubitabit. I) *Sur l'Indifférence d'Equilibre et le principe du choix, par M. Beguelin* (p. 247—251.). Oſtendit in hac commentatione vir acutiſſimus, non omnino veram eſſe Leibnitii ſententiam, ſecundum quam voluntatem hominis ſemper ad ſenſum maioris boni flecti, ipſamque electionem maioris itidem commodi rationem numquam non ſequi ſtatuatur. Docetur enim fieri poſſe, vt homo duo ſimul obiecta aequali animi propenſione appetat, quorum tamen non ni-

alterum relicto altero eligere poſſit. Quo in caſu electionem non fieri ad normam maioris boni, tam certum eſt quam quod certiſſimum. Quae enim obuerti poſſent motiua nimirum latentia, quorum conſcius ſibi non ſit animus, electionem ſaepius flectere, ab auctore noſtro ſolidis refutantur argumentis, quae eo redeunt, vt conceſſis etiam obſcuris huiusmodi motiuis, eorumque in voluntatem hominis vi, nihilo tamen minus ſtatus perfecti aequilibrii tandem ſuperueni:e et poſſit, et debeat. Tam egregia ſunt quae hanc in partem diſputauit eximius philoſophus, vt pace lectorum, nonnulla tantummodo illius ratiocinia huc transſcribere non dubitemus. Ita vero pergit illuſtris auctor p. 154. „Auſſi longtems que la volonté eſt attirée „par des puiſſances inégales, elle ſe trouve dans le cas des „corps, c'eſt à dire que les motifs agiſſent ſur elle comme „les poids ſur les bras d'une balance; — — Mais dès „que les poids ſont égaux, la balance, incapable de ſe dé„terminer par elle même, et également ſollicitée des deux „cotés, doit naturellement reſter dans l'inaction; l'ame in„telligente au contraire qui ſe détermine elle méme, et „qui eſt actuellement portée à agi: par la perception du bi„en, doit ſavoir ſe décider entre deux ſollicitations étran„géres, qui agiſſent également ſur elle." II) *Sur le probléme de Molyneux, par M. Merian. Premier Mémoire. Tom. I. p. 258—267. Second Mémoire. Tom. II. p. 367—389. Troiſieme Mémoire. T. III. p. 414—426.* Vir dum viueret de philoſophia deque rebus mathematicis meritiſſimus, *Molyneux*, ad faſtigium Baronis regni Angliae poſtmodum euectus, problema eruditis propoſuit quod tale eſt: „Ponamus „hominem inde a natali die caecum, iam vero ex annis „pueritiae egreſſum, qui tactu globum a cubo ex eadem ma„teria confecto diſtinguere didicerit; quaeritur, an caecus „ille recuperato oculorum vſu, globum a cubo diſcernere „poſſit per viſionem?" Variae ſunt eruditorum circa lau-

da-

dati problematis reſolutionem opiniones, quas ſingulas, additis auctorum rationibus, V. C. *Merian* ob oculos nobis poſuit. Duumuiri nimirum Angli, ipſe *Molyneux* et *Lockius* fieri non poſſe autumarunt, vt caecus, de quo ſermo eſt, dicta ſub hypotheſi globum a cubo diſtinguat. Aliis contra, in quibus ſunt *Boullierius* a) *Leibnitius* b) *Iurinus* c) *Condillacus* d), et *auctor anonymus* epiſtolae de caecis, affirmans magis arridet reſponſio. Quorum argumentis ponderatis, auctor tandem in ſcenam producit non ignobilem Anglum *Berkeleyum* e) qui ſolidis docuit rationibus, prorſus diuerſos nobis ab oculis atque a tactu induci ſenſus, qui nihil inter ſe commune habeant, ita vt, quae tactus auxilio diſtinguimus, non ideo etiam adhibita viſione diſcernere poſſimus. Cuius eruditi ſententiam, ſi quis expendere accuratius voluerit, certum erit, caecum, quem diximus, conditioni problematis ſatisfacere numquam poſſe. III) *Développement de la Notion de l'Etre éternel, par M. Sulzer* (p. 268—276). Ex notiſſimo rationis ſufficientis atque efficientis principio V. C. *Sulzer* hoc loco naturam quandam adeſſe aeternam, infinitam, quaeque nullos admittat modos, nullas viciſſitudines, demonſtrat. Perplacuit nobis ratio, qua Vir laudatiſſimus vtitur, dum ad quamcumque contradictionem opus eſſe duabus ideis poſitiuis, quarum altera alteram tollat, ſi cum hac connectatur, oſtendit. Qua de re *p. 272*, ita pergit: „On ne ſauroit donc dire „d'une

C 3

a) *Boullier Eſſai ſur l'ame des Bêtes. Tom. II. Part. 2. chap. 6.*

b) *Nouveaux Eſſais ſur l'entendement humain, Livre II. chap. 9.*

c) *Smith's Optick Vol. I. Rem. upon Book I. Ch. V. art.* 132.

d) *l'Abbé de Condillac* dans *l'Eſſai ſur l'origine des connoiſſances humaines Part. I. Sect VI. §.* 2. 14 *et* 15.

e) *Berkeley* Eſſai d'une nouvelle Théorie de la Viſion.

Digitized by Google

„d'une négation, ou d'une choſe qui n'a rien de poſitif, ſi „elle eſt poſſible ou impoſſible; ces deux idées n'y ſont „point applicables du tout. Ie dis donc, que ces deux pro„poſitions: *le néant eſt poſſible*, et: *le néant eſt impoſſible*, ne „ſont ni vraies, ni fauſſes, mais que ce ſont des mots vui„des de ſens." IV) *Descartes et Locke conciliés, par M. de Caſtillon* (p. 277—282.). Quum Carteſius ideas hominis in *innatas*, *aduentitias*, atque *factas* ſeu *factitias* diſtinguat, Lockius contra ideas innatas proſcribat, hac in doctrina Lockium atque Carteſium in diuerſas abire partes vulgo tradunt. Quae opinio, vt hominum animis eximatur, egregie docuit V. C. *de Caſtillon*, ideas, quas Carteſius innatas dixit, ſecundum ipſa laudati philoſophi placita, non eſſe niſi ideas ab animo ſine omni auxilio externo formatas, quas Lockium nullo modo proſcripſiſſe, Lockii ipſius verbis oſtenditur. Simul vero monetur, diſcipulos Carteſii ideas innatas falſo habuiſſe pro ideis quae cum ipſo homine naſcantur. V) *Diſcours ſur la Médiſance, par M. Touſſaint* (p. 283—306.). Eleganter aeque, ſi dictionis Gallicae rationem habeamus, ac ſolide conſcripta eſt haec diſſertatio, in qua contra omnes omnino ſermones, qui dolo malo prolati, ad depingendos aliorum naeuos aut veros aut fictos tendunt, calamum ſtringit auctor laudatiſſimus. Euoluuntur diuerſae maledicendi rationes; et indicantur huius vitii natales, qua de re *p. 292.* vir doctiſſimus ita praecipit: „L'adouciſſement des moeurs, qu'ont amené les ſciénces et les arts, „en éteignant la barbarie, a introduit la médiſance: c'eſt le „vice des ſiècles polis, c'eſt le tic des nations civiliſées. On „médit plus à Paris ou à Berlin, qu' à Conſtantinople, ou „à Tunis. Les hommes polis, qui ſavent bien qu'il y a „des peuples, qui vuident leurs différens à coups de ſabre, „croyent qu'on leur en doit de reſte pour avoir trouvé le „ſecret, de nuire ſans enſanglanter la ſcene, et de nuire pour„tant tout auſſi réellement, que s'ils coupoient des bras ou

„des

„des jambes." VI) *Discours où l'on ſe propoſe de trouver, qu'il y a des circonſtances dans lesquelles on peut parler au déſavantage d'autrui, ſans être cenſé médire; par M. Touſſaint* (p. 307—326.). Titulus, qui huic commentationi inſcribitur, ſatis iam docet, eam ſiſtere continuationem inchoatae in modo memorato ſcripto diſputationis. Nullum enim ſupereſt dubium, plures cogitari poſſe caſus, in quibus mala atque vitia, quae in aliis obſeruanimus, ſine omni maledicentiae nota reuelare liceat. Quoties enim in alterius damnum vergere ſilentium noſtrum poteſt, verum eloqui, quaeque in quodam homine minus laudanda eſſe nouimus, cum iis, quorum intereſt, ingenue communicare tenemur. Quod V. C. *Touſſaint* variis illuſtrauit lectiſſimisque exemplis. VII) *Eſſai de Taxéometrie, ou ſur la meſure de l'Ordre, par M. Lambert* (p. 327—342). Plura iam expoſuimus miri cuiusdam ingenii acuminis, ad proferendos ſcientiae humanae limites nati, quod in Lamberto inerat, ſpecimina. Nouum hic videmus artis inueniendi, qua vir eximius inter omnes eminet, documentum. Ordinem ad menſuram et numeros reuocat, atque ita Matheſeos Intenſorum, quam vocant, campo, non ſpernendum conciliat incrementum. Ante omnia docet, non ipſum ordinem, vtpote qui pro vnitate haberi debeat, ſed potius defectus, quos ordo patitur, menſuram admittere. Quo minores itaque, et quo pauciores defectus deprehenduntur, eo perfectior erit ordo. Defectus vero ordinis duplici ratione creſcit, tum ſecundum numerum locorum, quibus obiectum aliquod a loco conueniente diſtat, tum vero etiam ſecundum dignitatem ipſius obiecti, quae modo ſine cauſa augetur, dum illud ſuperiorem locum accipit, modo laeditur, dum idem ad inferiorem locum detrudimus. Ex quo patet, in ordine lineari, (de quo iam ſermo eſt,) ſummam defectuum ordinis aequari ſummae productorum ex dignitate cuiuſcumque obiecti quod locum mutauit, in numerum lo-

locorum quos tranſilit. Sic v. c. ſi ordinem ponamus quatuor numerorum qui ſequitur 1. 2. 3. 4; mutato illo ordine in hunc: 3. 1. 2. 4 ſumma defectuum ordinis erit $= 1 + 2 + 6 = 9$. His ita diſcuſſis Ill. *Lambertus* ad eos etiam caſus ſuam dirigit meditationem, in quibus ordo plurium obiectorum eiusdem generis, a diuerſis dependet regulis, quibus ſimul ſatisfieri debeat. Poſito enim numero rerum certo ordine diſponendarum $= n$; ſi diuerſas, ſecundum quas ordo obtinendus eſt, conditiones dicamus a, b, c, pro ordine abſoluto prodit formula $= n\,(a + b + c)$, quae vnitatem exprimit. Jam vero ponamus ex dictis obiectis tantummodo nonnulla $= m$ ſingulis ſatisfacere conditionibus, alia, numero p, conditionibus $a + b$; alia, numero q, conditionibus $a+c$; alia denique, numero r, vnicae conditioni a; atque formula, quae ordinem vel potius defectum ordinis, qui inter dictas res obſeruetur, exprimat, erit:

$$\frac{m(a+b+c)+p(a+b)+q(a+c)+ra}{n(a+b+c)}$$

Sed haec pro ſcopo noſtro de egregia hac lucubratione dicta ſufficiant.

Pergimus ad ſcripta philoſophica quae in Tomo commentariorum altero leguntur. I) *Sur le Problème de Molyneux par M. Merian, Second Memoire* (p. 367—389). De quo ſcripto iam ſupra, quod ſatis eſt, diximus. II) *Obſervations ſur quelques propriétes de l'ame comparées à celles de la matière, pour ſervir a l'examen du Matérialisme, par M. Sulzer* (p. 390—410.). Noua prorſus ratione in hoc ſcripto omni laude digno Ill. *Sulzer* demonſtrauit, animum non eſſe materialem. Docetur enim, in animo vires ineſſe, quae in materiam numquam cadant; facultates puta de bonis deque malis obiectis iudicandi, eaque, quae placuerunt, eligendi; nec

nec non peculiarem quandam vim, quae efficiat, vt animus ſe ipſum tamquam exiſtentem ſentire poſſit. Quae omnia, vt maiorem lucem accipiant, oſtenditur 1) animum propria vi, non ope determinationum a ſenſibus forte inductarum, ad perceptiones, quas intuetur, inclinari, aut ab iisdem reclinari. 2) Propriam hanc animi vim non eſſe vim motricem: de quo theoremate ipſum audiamus auctorem *p. 394.* vbi haec habet: „le vois une couleur très désagréable, ou j'entends un ſon fort discordant; ce n'eſt „qu'un certain mouvement dans quelques particules de mon „cerveau. Or, dans le même endroit du cerveau réſide „une force qui affecte ces particules; cependant leur mouvement continue malgré cela ſur le même pied, puisque „cette couleur continue à être la même. Donc la force „qui tend à modifier ma perception, n'eſt pas une force „motrice; car toute force motrice, grande ou petite, qui „affecte des particules de la matiére en mouvement, altère „et change ce mouvement. La même choſe arriveroit dans „l'ame ſi ſa force étoit une force, motrice. Cela n'étant „pas, je conclus que cette force qui tend à modifier nos „perceptions, n'eſt pas une force motrice; et que les perceptions mêmes, ſur lesquelles elle ſ'exerce, ne ſont pas un „ſimple mouvement des particules matérielles." Quae deinde contra aduerſariorum placita de motu, quem egregium ſuppeditare putant pro actiua, quam vocant, materiae natura argumentum, disputantur, ſolidam produnt, et abſtruſiorem Metaphyſicae, quae in doctiſſimo auctore ineſt, notitiam; niſi quod (p. 397.) facili et perſpicuo argumento doctrinam de motu materiae eſſentiali refutare omiſerit. Nobis enim, paucis ſane verbis, quae ſequuntur, rem omnem, quod pace tanti viri dictum ſit, confici poſſe videtur. Quae ad eſſentiam rei cuiusdam pertinent, ab hac re ſeparari numquam poſſunt. Iam vero, quotidiana ſatis docet experientia, innumera quiescere corpora; quod, ſi ad neceſſa-

D rias

rias materiae determinationes motus referendus eſſet, fieri numquam poſſet; ita vt ſatis pateat, motum ad aduenticios, qui in materiam cadunt, ſtatus ſpectare. Sed haec hactenus. Agmen argumentorum, quibus diſſentientes ab auctore noſtro debellantur, claudit demonſtratio acutiſſima, qua oſtenditur ex eorum philoſophorum ſyſtemate, qui animum eſſe ſimplex eſſe negant, eundemque potius pro effectu motuum corporis ſingularum mue iſtius particularum habere malunt hoc abſurdum ſequi, vt in defectione virium quam vulgo animi deliquium vocant, animum prorſus interire, atque ita redeuntibus viribus denuo eundem in medium produci, affirmandum ſit. En tibi L. B. potiora quae huc faciunt verba auctoris (p. 405 et ſeq.). „Dans le ſyſtème du matérialiſte l'ame eſt abſolument anéantie pendant la défaillance totale et auſſi anéantie que l eſt le mouvement lorsque le répos lui ſuccéde." Et miſſis interiectis: „L'ame étant le réſultat des mouvemens „qui ſe font dans la machine du corps, et ces mouvemens „étant une production nouvelle dans le cas dont il ſ'agit; „l'ame qui en réſulte eſt un être nouvellement produit. „Mais cela répugne abſolument à nos ſens intérieurs, qui, „lorsque nous revenons de la défaillance, nous aſſurent „très poſitivement, que nous ſommes le même être qui a „exiſté auparavant" III) *Examen d'une eſpece de ſuperſtition raménée au calcul des probabilité, par M. Lambert.* (p. 411—420.). Quum noſtris etiam in diebus non deſint homines, qui fidem ſuam praedictionibus de tempeſtatum viciſſitudinibus, quae in calendariis leguntur accommodare nulli dubitent, hoc loco ex ipſis calculi combinationum principiis dilucide oſtenditur, fieri non poſſe, quin ſpes saepiſſime fallat eos, qui calendarii rationes ſequuntur quoties contra Flacci noſtri conſilium, quid ſit futurum cras? quaerere ſuſtinent.

In

In Tomo denique tertio commentariorum, ex eadem Philoſophiae ſpeculatiuae claſſe ſequentia leguntur ſcripta. I) *Diſcours ſur la Queſtion, pourquoi tant de perſonnes ont ſi peu de goût? par M. Formey* (p. 375—386.). In inueſtigandis laudati defectus, vel potius torporis, quo multi ſane homines impediti tenentur, cauſſis, laudatiſſimus *Formeyus* ad ipſam liberorum educationem recte aſcendit. Quam naeuis vt plurimum ſcatere, quis non nouit? quis bonus non deplorat? Peruerſam vero, quam obſeruamus, educandi rationem, hoc potiſſimum mali habere, vt nec reflexioni nec meditationibus aſſuefieri pueri ſoleant, celeberrimus auctor recte pronunciat. Id enim in cauſa eſt, quod homines plerumque abhorreant a quocumque, qui animi applicationem requirat, labore; ſenſibus vero ſuauioribus potiſſimum, eorumque illuſionibus vnice pateant. Sequuntur in altera diſſertationis parte principia, quibus attemperandam eſſe liberalium puerorum educationem auctor fuſius docuit. Quae regulae, quum ſimplicitate ſua atque perſpicuitate non minus quam breuitate commendentur, verbis ipſius auctoris huc transſcribi omnino merentur. „*Maxime I.* Dans „l'éducation, attachez-vous d'auſſi bonne heure qu'il eſt poſ„ſible, à former l'eſprit et ſurtout le jugement des vos elè„ves. *Maxime II.* Que les parens, ou ceux qui en tiennent „la place, ſoient attentifs à former eux mêmes dans leurs „enfans ou elèves, l'habitude de penſer et de réfléchir. „*Maxime III.* Prévenez les impreſſions trop fortes des ob„jets ſenſibles, qui pourroient traverſer les bons effets „des deux Maximes précédentes. *Maxime IV. V. VI.* „Rendez la route de la réflexion agréable Rendez la fa„cile. Rendez la utile. *Maxime VII.* Par la liaiſon des „lumières et des vertus rendez l'intérieur toujours attra„yant, afin que la crainte de ſe connoitre ne detourne ja„mais des opérations intellectuelles." II) *Application du principe de la Raiſon ſuffiſante à la démonſtration d'un Théoré-*

me de M. Fermat ſur les nombres polygonaux, qui n'a point encore été démontré: par M. Beguelin (p. 387—413.) Theorema Fermati, de cuius demonſtratione in nitidiſſimo hoc ſcripto agitur, ſequenti continetur propoſitione: „*Quicumque „numerus integer exprimi poteſt per tot nec per plures numeros „polygonos, quot latera polygonum continet.*“ Quod theorema nemo adhuc demonſtrare potuit, ſi V. C. *de la Grange* conamina exceperis, vtpote qui in *Commentariis Academiae Regiae Berolinenſis an. 1770.* illud pro caſu quadrati demonſtratum dedit. Acutiſſimi vero *Beguelini* laboribus factum eſt, vt iam plenam habeamus laudati theorematis demonſtrationem. Vtitur autem vir celeberrimus hoc artificio, vt in ipſam numerorum naturam inquirat, atque ex ea rationem proprietatis, de qua ſermo eſt, eliciat. Quo facto ex principio rationis ſufficientis proprietatem illam non contingentem ſed neceſſariam potius eſſe, abunde docetur, quam ad certitudinem ſolius inductionis ope nemo euehi poteſt. Noſtrarum iam non eſt partium, ſingula theoremata perſequi, quae celeberrimo auctori viam faciunt ad inueniendam quam ſibi propoſuit veritatem. Generalis laudauiſſe problematis enunciationem, ex qua totius theorematis euolutio colligi poteſt, ſufficiat; quae haec eſt: *Data ſerie quacumque numerorum polygonorum, inuenire, quot ex hac ſerie termini ſufficiant ad exprimendum numerum integrum quemcunque, maximo tamen qui in ſerie eſt termino non maiorem.* III) *Sur le Problème de Molyneux, par M. Mérian.* (p. 414—428.) De qua commentatione iam in iis quae praecedunt fuſius expoſuimus.

Quibus ita diſcuſſis hoc ſolum reſtat, vt ſcriptorum etiam quae ad quartam Academiae claſſem elegantioribus litteris ſacram, ſpectant, rationem reddamus. Sunt autem, quae ex his in primo commentariorum tomo occurrunt, ſequentia: I) *Diſcours ſur Molière, par M. Bitaubé* (p.

Digitized by Google

(p. 345—360.). Lectione omnino ſunt digna quae V. C. *Bitaubé* in elegantiſſima hac commentatione, de ſummo quod in Molierio fuit ingenio de innato huic poëtae mores hominum depingendi artificio, de praecipuis denique fabularum, quas egregius ille poëta nobis reliquit, dotibus, diſputauit. Prorſus egregia quoque ratione Molierium cum aliis comparat poëtis, qui pariter fabulis ad nos tranſmiſſis inclaruerunt. Liceat nobis pauca tantummodo verba, quae huc faciant, exſcribere. *p. 349.* „Voyez comme dans „l'Avare il enchérit ſur Plaute; (*de Euclione ſeu Aulularia* „*Plauti Vir Celeberrimus loquitur, quod ea quae ſequuntur ſatis* „*docent*) ſur ce fond qu'il lui emprunta il bâtit un nouvel édi„fice. Plaute ébauche à peine ce caractére; ſon Avare eſt „un homme pauvre, qui a trouvé un tréſor; ayant vécu „dans la pauvreté, eſt il étonnant qu'il ait pris l'habitude „de la parſimonie? Les circonſtances où ce poëte le pro„duit ſont toûjours à peu près les mêmes. Molière met „l'Avare dans un état plus opulent, et où peut à chaque in„ſtant éclater ſon avarice; il lui oppoſe par le contraſte le „plus naturel la prodigalité de ſon fils, ce qui améne cette „ſcène admirable, où Harpagon ſe trouve l'uſurier de Cléan„the" Hactenus auctor, cuius praeterea lubentes accedimus ſententiae, quae characterum in fabulis comicis difficiliorem eſſe euolutionem quam in tragoediis docet, dum *p. 353.* ita pergitur: „Dans la Tragédie regne une nobleſſe „toujours égale, et même un peu monotone; dans la Co„médie, où la diverſité des états eſt plus marquée, chaque „perſonnage a ſon ſtile; celle-là ne ſemble ne parler qu'une „langue; peu ſ'en faut que celle-ci ne les parle toutes: il „faut qu'elle ſ'éléve ſans enflure, et deſcende ſans baſſeſſe. „Molière poſſède au plus haut point cette prodigieuſe flexi„bilité d'eſprit" Hoc ſolum notamus, modo allata omnino vera eſſe ſi de Tragoediis heroicis agatur; quod vero ad alias attinet Tragoedias, quas egregii noſtri aeui poëtae

Digitized by Google

ad vitae communis modulos exegerunt, nullum ſupereſt dubium, eas ſummum illud requirere, de quo laudatiſſimus auctor loquitur artificium, verba ſingulasque actiones ad varios variorum hominum mores apte accommodandi. II) *Sur la Philoſophie de l'Hiſtoire, par M. Weguelin; Premier Mémoire* (p. 361—414). Cuius commentationis continuatio legitur in Tomo Commentariorum tertio (p. 450—516.). Digna omnino eſt meditatió, quae a quocumque genuinae philoſophiae ſtudioſo legatur, qui non ſolum de aeternis quas Metaphyſica docet rerum determinationibus, ſed de euentibus etiam quos omnis aeui hiſtoria prodit, eorumque cauſis, cupit philoſophari. Oſtendit hoc loco Ill. *Weguelinus* philoſophiam hiſtoricam, ex ipſis factorum modis et viciſſitudinibus hauriendam eſſe, quum omnis alia philoſophia notionibus, quas vocant, abſtractis innitatur. Quibus praemiſſis, docetur, quanam ratione analyſis factorum hiſtoricorum ſit inſtituenda, et quo artificio vti hiſtoriographus debeat, ad euoluendas factorum quorumcumque rationes, ita vt ſinguli euentus ad certas ſeſe referant cauſas; quo loco recte et apposite pronuntiat, longe faciliorem eſſe rationum facti cuiusdam euolutionem quae in ipſa actionis natura lateant, quam earum, quae ex agentis indole et moribus ſint petendae, enumerationem Tomo I. *p. 394.* ita pergit: „Il eſt beaucoup plus aiſé „de trouver les raiſons hiſtoriques qui ſont rélatives à l'action, que celles qui ſont rélatives à l'agent, à cauſe que les „qualités varient dans l'agent, qui peut être conſidéré ſous „diverſes faces: au lieu que l'action, étant toûjours la même, ſe détermine ſeulement parce qu'elle eſt générale, „particulière, et individuelle.“ In altera commentationis huius ſectione auctor celeberrimus pergit ad conſiderationem diuerſitatis factorum; cuius rationes ipſe *p. 450. Tom. III.* ita finit: „Un fait diffère de l'autre par les principes „et les motifs; les tendances et les vues, le local et l'individuel.“ Quo loco *pag. 459. et ſeq.* egregie demonſtratur, omnem

vim

Digitized by Google

vim politicam ad id redire, vt varias hominum de eo quod conducat opiniones atque ita dis repantes quos in agendo ſequuntur fines, ad commune aliquod genus reducamus. Multa praeterea praeclare et ſolide diſputata in iis, quae ſequuntur, occurrunt, de politicis quibus diuerſae rerumpublicarum formae regantur rationibus, de viribus gentium, quas in viuas et mortuas diſtribuit auctor; de habitu denique certa ratione agendi ab hominibus vſu et conſuetudine contrahi ſolito, qui quantam vim habeat ad ipſas ciuitatum viciſſitudines luculenter docetur. Vt vel vnum eorum, quae vir celeberrimus diſcuſſit exemplum in medium proferamus, en tibi L. B enumerationem, rationum quibus fieri poſſit, vt in rebuspublicis colliſiones quaedam finium et voluntatum oriantur *p. 403.* „Dans les Etats il y a quatre ſortes de colliſions, qui viennent des parties du gouvernement, qui ne ſont *nullement analogues;* des contradictions perpétuelles qui ſe trouvent *entre les notions généralement reçues de deux peuples voiſins.* Il y a un autre ordre de *conflits qui réſultent d'une ſuite de colliſions entre les intérêts politiques de deux peuples qui occupent le même pays;* enfin *les conflits entre l'ordre du gouvernement et celui qu'une partie de la nation veut établir*, ſont le quatrième ordre " Omnia, quae afferuntur, principia generaliora, luculentiſſimis illuſtrantur exemplis, prudente delectu ex vniuerſa hiſtoria depromtis. III) *Sur les Phyſionomies, par M. de Catt* (pag. 415—424.). Habemus hic continuationem ſcripti in *Actis Academiae an. 1769.* iam inchoati. Diſputat vero doctiſſimus auctor maxime contra V. C. *Pernety*, qui cognitiones phyſiognomicas magnam partem innatas eſſe vult hominibus ita vt nullo prorſus indigeant auxilio ad ferendum de moribus aliorum, quos videant, ex oris forma iudicium. Docetur ſcilicet, id quod V. C. *Pernety* notitiam phyſiognomicam innatam dicit, non eſſe niſi aſſociationis idearum atque imaginationis effectum. Sequuntur deinde meditationes de vtilitate artis phyſiognomicae, quibus

bus exiguam eſſe, quam cognitio illa praeſtare poſſit vtilitatem, eandem vero pernicioſam ſaepius euadere poſſe, dum homines e vulgo, externa oris ſpecie decepti, iniqua de aliis ferant iudicia, oſtenditur. IV) *Scond discours ſur les connoiſſances phyſionomiques* (p. 425—441.). V) *Troiſiéme Discours ſur la ſcience phyſionomique et ſes avantages* (p. 442—469.) VI) *Quatriéme Discours ſur les avantages des connoiſſances phyſionomiques* (p. 470—ſqq.) par *Dom Pernety.* Iam in vltimo commentariorum regiae Academiae antiquorum tomo commentatio V. C Pernety legitur, in qua non ſpernenda laudantur commoda, quae ex cognitione phyſiognomica redundare ad genus humanum poſſint. Idem in ſcriptis, quorum titulos recenſuimus, tractatur argumentum. Sufficiat nobis, potiora, quae in iis occurrunt, annotaſſe capita. Doctrinam phyſiognomicam omnes inter ſcientiae humanae regiones latiſſime patere, quin imo pro ſcientia vniuerſali recte haberi, ipſamque *Phyſiognomiae* vocem vniuerſae naturae notitiam accuratius, quam termino Phyſicae hoc obtineatur denotare, doctiſſimus auctor contendit. Pergit deinde ad refutanda, quae a V. C. *de Catt* opponi ſibi videntur, argumenta, et ex ipſis hiſtoriae monimentis contra modo laudatum virum demonſtrare conatur, fieri non poſſe, vt quis proprium ſibi et fere innatum characterem moralem certa immutet ratione, etſi nonnumquam forte contra conſuetudinem quam contraxit, aut vere agat, aut agere videatur (p. 453—458.). Exempla laudat Muhammedis II. et Selimi I. Imperatorum Ottomannicorum, qui eundem ſemper characterem moralem ſeruarunt in variis, quas modo bene et praeclare, modo non ſine truculentiae et crudelitatis nota geſſerunt, rebus. Placuerunt vero nobis potiſſimum ea, quae celeberrimus auctor de actione animi in corpus, deque inde oriunda phyſiognomia diſſeruit (p. 474 et ſeqq). Qua de re ſequentia huc transferre verba, nobis ab inſtituto noſtro alienum non videtur: „Tou-

Digitized by Google

„Toutes les affections ſe marquent ſur le viſage, excitent „certains mouvemens dans le front, dans les yeux, le nez, „et la bouche; donnent à des parties une certaine expreſſion, „changent enfin l'habitude du corps par leur action répé„tée; donnent ou ôtent la conténance; font faire certains „geſtes, certains mouvemens, qui tournent en habitude, et „qui produiſent enfin ce qu'on appelle proprement les ſignes „caractériſtiques de la phyſionomie.“ „Et miſſis interiectis:“ „Voyez le portrait du célebre Pope. Le travail que les „efforts de ſon génie ont occaſionné dans ſes nerfs et dans „les muscles de ſon viſage, eſt peint, ou plutôt eſt profonde„ment gravé ſur ſa phyſionomie: elle eſt toute en convul„ſion, ſes yeux ſortent de l'orbite, ſes ſourcils s'élévent avec „les muscles du front. Pourquoi? c'eſt que l'origine des nerfs „eſt en travail; et que tout le corps doit ſe reſſentir d'une „eſpéce d'accouchement auſſi laborieux. S'il n'y avoit une „corde interne, qui tirât auſſi celles de dèhors, d'ou viendroient „tous ces phénoménes?

Quae in Tomo Commentariorum altero ſcripta huc referenda leguntur, haec ſunt: 1) *Précis de la Grammaire générale de M. de Beauzée, avec quelques obſervations critiques ſur la doctrine de l'Auteur, par M. Thiebault* (p. 423—521.). Publici iuris factus, atque ad Academiam regiam transmiſſus liber, hic recenſetur, qui ſequentem prae ſe fert titulum: *Grammaire générale, ou Expoſition raiſonnée des élémens neceſſaires du langage, pour ſervir de fondement à l'étude de toutes les langues, par M. de Beauzée, de la Société royale des ſciences et Arts à Metz, Profeſſeur de Grammaire à l'Ecole royale militaire, à Paris* 1767. 2 Tom. in 8 Quodſi excerpta ex Scriptoris Gallici libro, quae hic habentur, accuratius conſideraueris. fieri non poterit, nobis ſponſoribus, quin illi tuos lubens adiicias calculos, atque ſimul acumen logicum quod ex iuſta ſingularum doctrinarum diſpoſitione atque euolutione elucet, admireris. Neque tamen in omni-

 bus

bus V. C. *de Beauzée* aſſentimur, quod nec laudatiſſimus *Thiebault*, egregius rerum huius generis aeſtimator fecit. Sic v. c. definitio, quam de voce ſimplice ſuppeditauit auctor, reiicitur, eidemque noua ſubrogatur, ſequentibus verbis expreſſa (p. 435.): „La voix ſimple eſt un ſon, qui réſulte de la ſimple émiſſion de l'air, rendu ſonore par les „organes de la parole." Inter omnia vero, quae hic proponuntur, noua litteras tamquam elementa vocis notandi methodus (p. 813—518.), nobis maxime placuit. II) *Réflexions ſur le Merveilleux Epique, par M. Bitaubé* (p. 522—537.). Fictiones, quibus carmina epica exornari ſolent, ad prima vsque poëſeos incunabula proſequitur celeberrimus auctor, earumque origines partim in propenſione animi humani ad admiranda quaecumque, partim vero in imbecillitate eiusdem quaerenda eſſe, luculenta docet ratione. Exhibentur deinde carminum epicorum, quae Homero, Virgilio, Lucano, et Miltono debemus, characteres praecipui, et limites inueſtigantur, quos fictiones epicae transgredi numquam debeant. III) *Déſcription d'un Inſtrument fait pour noter les piéces de muſique, à meſure qu'on les exécute ſur les clavecins, par M. Sulzer* (p. 538—546.). Primus huiusmodi machinae inuentionem, ſed incompletam, fecit *Reu. Creed*, Anglus, (*Philoſoph. Transact. Vol. 44. p. 445.*) atque eodem fere tempore, anno ſcilicet 1747. V. C. *Unger*, Academiae Socius externus, de conſtruendi laudatam machinam ratione cogitare coepit. Vir autem in rebus mechanicis fere vnicus *Holfeld*, (qui praematuro fato rebus humanis ereptus an. 1771. Berolini obiit) primus machinamque propoſitae ſatisfaceret, teſte Ill *Sulzero*, conditioni, conſtruxit. Machina ipſa, poſt inuentoris obitum, in theatro machinarum Academiae aſſeruatur, atque in hoc ſcripto, additis figuris aeri inciſis. plenius deſcribitur.

Reſtant nonnulla Scripta in Tomo Commentariorum tertio, quae ad quartam Academiae Claſſem ſpectant; atque

que haec ſunt: I) *Diſſertation ſur Cathérine de Brandebourg, Epouſe de Gabriel Bethlen, Prince de Tranſylvanie, par M. Kuſter: traduit du Latin* (p. 431—438). Plura ſunt notatu digniſſima, quae hoc loco de Catharina Brandenburgica, Georgii Wilhelmi Electoris ſorore, anno 1622. Principi Transyluaniae nupta, poſt mortem vero iſtius a. 1629. ſubſecutam applaudentibus Imperatore Ottomannico et Proceribus Transyluaniae, in faſtigium Principis Transyluaniae euecta, disputantur. Tamen paullo poſt Catharina hereditati renuntiauit, et in Germaniam redux ſecundas cum *Franciſco Carolo Duce Lauenburgico* nuptias celebrauit. Subiunguntur in calce tres epiſtolae, ab Electore et a Rege Poloniae occaſione nuptiarum Bethlenii Gabor ſcriptae. II) *Sur le Beau, et ſur la penſée en Littérature, par M. de Catt* (p. 439—449.). Eximiae in hac diſſert. euoluuntur regulae, quas nec poetae, nec pictores aut ſculptores, ex oculis umquam dimittere debeant, dum labores ſuos ad imitationem naturae dirigunt. Oſtenditur vero, cum hac naturae ipſius imitatione, tum placendi et commouendi animos ſtudium coniungi; tum vero etiam in caſibus peculiaribus modo irae aut compaſſionis, modo terroris aut admirationis ſenſus, excitari debere. Quae omnia exquiſitis nobiliſſimorum poetarum pictorumque et ſculptorum exemplis illuſtrantur. III) *Sur la Philoſophie de l'Hiſtoire, par M. Weguelin, Sécond Mémoire* (p. 450—516.). De quo labore, ad ea quae ſupra a nobis disputata ſunt, lectorem remittimus. IV) *Prémier Mémoire ſur l'éloquence, par M. Borrelly* (pag. 517—552.). Quatuor adeſſe in arte oratoria obiecta, quae ſingula attentionem noſtram mereantur, V. C. Borrellius docet; eloquentiam puta, oratorem ipſum, rhetoricam, cuius auxilio dotes, quas a natura accepimus, excolantur, orationem denique, circa quam expoliendam ars omnis verſatur. De eloquentia, quae non eſt niſi facultas animi orationem comte adornandi, hoc loco doctiſſimus auctor di endi fecit initium. Quae autem in medium protulit, magnam partem

Digitized by Google

ſunt noua, et adhuc non obſeruata, cui commentationis laudi accedit dictionis Gallicae elegantia, ita vt eam omnibus, a ſenſu pulcri non alienis, commendare oporteat. Atque ita tandem dicendi de laudatis Academiae commentationibus facimus finem.

IO. MATTHIAE SCHROECKH, DISPVTATIO, qua docetur, nec Scholae tantum, nec vitae ſoli, ſed maxime conſcientiae diſcendum eſſe.

Grauis eſt multorum auribus querela, quam noſtra fere memoria v ri ingenio et doctrina excellentes ſaepius effuderunt, perire ſenſim bonarum litterarum veraeque eruditionis gloriam, et ſeuerae illius diſciplinae vix umbram aliquam ſeruari, ſine qua numquam vlli ad eam aditus patuerit. Eſſe quidem huic aetati magna ingenia; ſed quae partim *dulcibus vitiis*, vt acutiſſimus olim Romanorum ingeniorum cenſor de *Seneca* iudicabat, *abundent*, iisdemque nimis celeri contagio ad imitatorum ſtolidam turbam manantibus. Quaedam ſeculi bona et decora, atque in his noua ſane et ſpecioſiſſima, adeo extolli plerorumque praedicatione, vt prae his vel contemnantur maiora illa ſuperiorum temporum, inprimisque aeterna ſapiendi ſcribendique exempla, quae veteri Graeciae Latioque debentur; vel certe, repetito ambitioſius illo poetae: *Venimus ad ſummum*, pernicioſa profecto naſcatur fiducia, quae perparum quod agatur reſtare, idque confici fere per otium poſſe, nihilque facilius eſſe, quam partis iam opibus noſcendis vtendisque indulgere, exiſtimet. Denique eodem e fonte deriuandam eſſe incredibilem leuitatem, quae nunc dominetur in ſtudiis litterarum perſequendis, et quanto magis placeat innumeris, tanto longius eos arceat ab illa regia via, in qua patrum auorumque noſtrorum veſtigia feliciter impreſſa cernantur.

Ac

Ac ne quis temere querulos et moroſos putet, qui talem melioris doctrinae receptum, et propemodum fugam, adeſſe contendunt, vocant illi omnes ad contemplandas rationes permultorum, qui ſe liberalis eruditionis ſtudioſos profitentur; ad aeſtimandam raritatem eorum, qui comparari et quaſi opponi ab hac aetate poſſint viris ſummis, quos ante a ėta laetiſſimo prouentu tulit; ad agnoſcendam triſtem et pudendam penuriam qua laboremus ſaepenumero in ornandis rite grauiſſimis muneribus, quibus non tam qui digniſſimi credantur, quam qui ſimilia gesſerint, iam praeficiendi ſint; et vero etiam ad ſpectandam tot Scriptorum, etiam illuſtrium, alienam ab omni grauitate et accurata ſentiendi docendique forma vanitatem, quibus tamen minus quam ceteris ſui deſint, et numeroſi illi, admiratores.

Contra ea qui lucem litterarum et ingeniorum noſtrorum laudant impenſius, has querelas non modo parum aequas adpellant, et profectas ab iis, qui rei noſtrae bona exſtantiora parum edocti ſint; ſed etiam cupiditatis minime obſcurae accuſatione repellunt. Aiunt enim, eas pertinere tantum ad graecarum latinarumque litterarum, omninoque antiquitatis eruditae, conſummatam aut certe probabilem ſcientiam, quam fatentur eſſe in pauciſſimis, et cum ipſa latinae orationis facultate vix iam in ſcholaſticis omnium ordinum doctoribus quaerendam. Sed hoc ipſum ſalibus et iocis exagitant, ridiculum eſſe clamantes, Athenis aut Romae commorari, cum tot curas noſtra deſiderent, et ingenioſae illius vetuſtatis opes his poſtremis ſeculis omnes collectae, ac vel populari ſermone publicatae fuerint; illud autem prorſus ineptum, conſectari loquendo ſcribendoque peritiam inſigniorem linguae dudum emortuae, atque illa copia, qua ne potiri quidem amplius poſſis, eximiorum virorum doctrinam metiri. Ita propius abſunt a Francogallorum lepidis, quas ſibi iactare videntur, ſannis, in latine ſcribentes, (*l'homme au latin, des ſçavans en US*, etc.) eorumdem-

demque moribus, quibus iam pene ſtultum cenſetur, ei linguae ſtilum accommodare, quae vel a doctis, qui dicuntur et habentur, plurimis negligatur.

Etſi autem noſtrae breuitatis non eſt, haec ſententiarum diuortia vel conciliare inter ſe, vel acrius explorata tollere; tamen incerto ſuper iis iudicio vagari neminem patitur perpetua optimarum litterarum dignitas et veritas naturae. Fuerint fortaſſis, qui, cum honores earum imminutos hoc aeuo intellexiſſent, aliquanto acerbiores animi ſenſus expromerent; ſed merito dandum eſt aliquid dolori eorum, quos conſtat in capite rei videre rectius, quam illos ſeculi ſui immoderatos praecones. Nam quod iſti tantopere reprehendunt, vim omnem doctrinae graecarum latinarumque litterarum finibus circumſcribi, ſi ad linguam mores ac ritus vtriusque gentis vnice referatur, abſonum eſt ſine dubio, nec viro vere docto vmquam placere potuit; ſin deſignet varietatem et magnitudinem ſapientiae illius, quae his litteris admirabili arte excultis, propagata ad poſteritatem fuit, in quibus propterea adeo fixum et mutari neſcium veri atque pulchri exemplar inſidet, vt ab eo deflectere ſit ad barbariem mente, ore, et ſcripto accedere: etiam atque etiam defendendum eſt. Itaque, confirmante tot ſeculorum et ſcriptorum cuiuscumque generis hiſtoria, ſtatuamus neceſſe eſt, ſine hoc tali graecarum latinarumque litterarum vſu, doctrinam certam et eximiam efformari non poſſe. Minime autem omnium carebunt illis ſine ſumma noxa, qui docent in Academiis: quippe non eo tantum conſilio, quae eſt vulgi opinio, conſtituti, vt doctrinae alicuius ambitum breuiariorum e tenuitate tradant; ſed vt praecepta ſingula ad fontes ſuos reuocent, ceterisque enixius ac fortius incorruptam diſcendi, iudicandi, et dicendi, imaginem tueantur.

Quodſi quis eo ipſo, in quo ſupra poſitam diximus veriſſimam harum litterarum praeſtantiam, ita vtatur, vt neget,

get, latine loquendi ſcribendique facultatem neceſſariam eſſe viri docti virtutem: ei quidem variis modis occurremus. Ac primum ſane petimus ab eo, vt gratias agat vel fortunae, vel potius prouidentiae, quae communi viros eruditos de tot gentibus chriſtianis non tam lingua, quam vinculo coniunxerit, effeceritque, vt quae litterae omnibus in oris, velut olim graecae, legantur et intelligantur, eas in tanta amplitudine et difficultate ſtudiorum doctrinae, moleſtiaque linguarum ediſcendarum, velut egregium viae compendium paratas ante oculos habeamus. Mercaturae beneficio vtriusque orbis diuitiae patent vniuerſo generi humano; latinarum vero litterarum munus quantum ſit in communicandis ingeniorum omnium et aeui cuiusque theſauris, non modo ſuperioribus ſeculis apparuit, ſed hoc noſtro etiam ipſe ille ingratus earum contemtus facit vt quotidie ſentiamus. Deinde quaerere lubet ex iis, qui promtam latinae linguae copiam ſcholaſtici potius doctoris, quam viri docti in vniuerſum, dotem eſſe exiſtimant, quae ſit aptior lingua tradendis accurate innumeris antiquitatis, hiſtoriae, iuris et moris veteris capitibus? atque adeo ſubtiliter et concinne diſſerendi etiam de iis artibus et diſciplinis, quae copulato veterum et recentiorum ingenio niteant? Sint, vt ſunt, et libelli non pauci, et docendi quaedam ſcribendique genera, quae genti cuique patrio ſermone dicare operae pretium videatur, cuius etiam ſermonis honori et venuſtati, eiusdemque auctoritate ad quam maxime multos transferendae vtiliſſimarum rerum notitiae, malus ciuis ſit, qui non faueat: latinae orationis vſum frequentiorem non ſola neceſſitas commendat viris doctis, ſed certa quaedam et conſtans opportunitatis inuitatio. Maius et audacius videbitur hoc tempore nonnullis, ſed re ipſa paruum eſt et exile quod addimus, vſum illum quem laudauimus romanae linguae, aut puritatis, et, quantum res ac ratio ſinunt, elegantiae quoque capacem eſſe debere, aut indignum doctis hominibus iudicandum. Nihil enim vulgatius ea l ge, abſtinendum eſſe ſcriptoribus a ſermo-

mone quem parum calleant: et difficile dictu eſt, quaenam debeat veteris Latii ſcriptoribus ille, qui ſemibarbaram orationem ſimilem eſſe velit ei, quam ipſi vſurpauerint.

Neque igitur iuſto iniquiores ſunt huic aetati, qui eam neglectae paullum cum graecis latinisque litteris verioris doctrinae arguunt Sed reliqua oppido multa ſi ſpectes in eorum querelis, mollire quaedam aſperiora forſitan licuerit; omnia retundere, aut ſpernendo abiicere, non item. Sunt aliqua Seculi vitia, non hominum, qui illis aut ſeruire coguntur, aut certe ingenium et operam attemperare. Sunt nonnumquam et potentiorum delicta, qui litterarum, quas leuiter attigerunt, vices ita regunt arbitrio ſuo, vt, quos in clientelam ſuam receperint ſolos doctrinae publicae praeeſſe iubeant, quam iſti plerumque intra magiſtri vel ſectae ſuae cancellos fideliter concludunt Nonnulla etiam in peccatis huius aeui, quibus bonae litterae adfliguntur, adeo illi propria non ſunt, vt vel eadem admiſerint maiores noſtri, vel non diſſimilia; manente hoc fato mortalium inſtituta optima, vt fere ſemper, reuoluto viginti annorum orbe nouis impedimentis ſufflaminentur. Nos, quaenam iuſtae cauſſae conquerendi litterarum nomine cum noſtrae aetatis hominibus ſuperent et quibus illa documentis nitantur, velut in transcurſu tantum videamus.

Rarius quidem in *delectu ingeniorum* inſtituendo ſatis ſapuere mortales: et eſt res in ſe difficillima; ſed illorum erroribus parum cauti videmur facti eſſe Nunc quoque litteris tractandis ſtupidiſſimus iuxta atque argutiſſimus pari expectatione admouentur. Res lauta puerum reipublicae deſtinat; tenuis ſcholae vel eccleſiae Non parentum, non praeceptorum, vllae ſunt aut accuratae partes in e plorandis viribus naturae quae arti alicui vel di ciplinae amplectendae videantur eſſe idoneae; non is ipſe, cui litterarum cauſſa agenda aliquando demandatur, deſcendit in ſe, quam primum poteſt et conſilio potius, quam votis aut illecebris quibusdam, in eligendo doctrinae genere obſequitur. Iam *pue-*

puerilis inſtitutio publica, cum ei moderandae paſſim leges ſapientiſſimae praeſto ſint, tamen, male conſpirante parentum opera cum magiſtrorum laboribus, contemtis his, et vniuerſa vita ſcholaſtica, cui moleſtiarum et ſqualoris plurimum incumbit denique emendandae illius et priuatae educationis rationibus eiusmodi propoſitis, quae ab aliis lubricae reputentur, aliis per ſaltum omnia moliri credantur, cur multo minores quam pro ſpe concepta fructus edat in permultis, nihil eſt quod quaeramus. Sequitur *infauſta in adeundis Academiis feſtinatio*, nec diſſimilis, tamquam ſi de praemiis curſu adipiſcendis agatur, earum *relinquendarum praeceps celeritas*. Accedunt bene animati adoleſcentuli; ſed minus confirmato ad ſuſcipienda praecepta doctrinae et ſapientiae pectore, impetu fere, non ordine et ratione, in his ſtudiis verſantes, magis etiam impares ſedando aetatis aeſtui, maximeque omnium tolerandae, quamuis aureae et digniſſimae ſtudioſis litterarum, libertati. Pleraque obiter, ac velut aliud agendo, percipiunt; compendio breuiſſimo vt cuncta ſui iuris faciant ſtudent, auolantque iis annis, qui primum, quantum neſcias, docere poſſint. Dixeris, nihil toto orbe parabilius eſſe, et citius expediendum, quam egregiae et locupletis doctrinae in omnem vitam poſſeſſionem. Huic malo finitima ſunt alia: vt nimia et *immatura ingenii fiducia*, quod ſolum, qui praeſtantius nacti ſunt, penetrare in omnia litterarum adyta poſſe, labore aut nullo, aut paruo adiuvante, autumant; *elegantiae*, in ſe perquam optabilis, ſed *praepoſterum ſtudium*, quod abhorreat a gravi et accurata doctrinae comparandae ratione, belloſque et comtos potitius, quam praeſidiis ingenii fortiſſimis inſtructos, efficiat; inprimisque *iudicii decretorii* de omnibus *ferendi* ridicula *promtitudo*, cum ea profecto non cadat niſi in homines multis litteris inſignes, multo rerum vſu ſubactos, et a quibus nimium cito arripiatur, eorum veris progreſſibus obicem ponat diuturnum. Auget hanc fundi noſtri calamitatem *librorum lectio*, caſu et *per libidinem ſuſcepta* a iuuenibus, qui-

Digitized by Google

bus cum ſuaues ſcriptores, aut riſum excutientes, facile praeplaceant, nullo diſcrimine bonis malisque adhaerent, ſeueritatis in diſcendo et iudicando tanto impatientiores, et pene luſum iocumque interpretantes ſtudia litterarum ac librorum ſcribendorum artem. Hinc tandem prodit illud *inſanabile ſcribendi cacöethes*, quo ducuntur innumeri, qui cum multa praetereunda luſtrarint, atque deguſtarint, in his ita ſe habitare putant, vt etiam publice docendis et illuſtrandis vacare poſſint. Sed dum ipſi mox ſentire incipiunt, parum ſe vltra elementorum doctrinae paupertatem prouectos eſſe, ingenio, eloquentia ſalibus, aut nouae alicuius methodi, certe audaciae, commendatione, quod eruditioni deeſt tegere et ſarcire conantur.

Inuiti attigimus argumentum ingratum, cum nequaquam ſimus ii, qui vitia quaedam huius aetatis in tractandis litteris maiora aut ampliora verbis facere, quod nonnullis videri poſſit, inſtituant: libenter etiam ceſſuri ſi intelligentes arbitri vel fictas prorſus eſſe has cauſſas intercidentis doctrinae liberalis, vel minus late propagatos earum fructus, iudicent. At eas cum his ipſis is demum ignoret, aut cernere ſe neget, cui nihil mente videre datum eſt. Et plures harum cauſſarum ſepoſuimus; vna ſupereſt, de qua copioſius differere iuuat. Nam illam velut ipſa prudentia magiſtra propoſitam cautionem, *Non ſcholae, ſed vitae diſcendum eſſe*, foecundam noxarum matrem dicendam arbitramur, quas bonae litterae hoc potiſſimum aeuo paſſae ſint.

Fuit haec quondam ſapientia, floruitque inprimis a renatis inde artibus veterum, vitae vniuerſae rudimenta et quaſi prima ſtipendia ſcholam exiſtimare, hoc eſt, non modo obſcuriora grammatiſtices ſubſellia, ſed hunc ipſum quoque puluerem, in quo nos academici decurrimus. Viri praeclari, quos omnium conſenſu digniſſimos legum conditores, patriaeque conſultores habitos eſſe accepimus, huius animi ac ſcientiae ſuae et initia et praeſidia pleraque a ſcholis repetebant; nec in mentem iis veniebat dolere, multis

ſe

Digitized by Google

ſe illic inutilibus praeceptis oneratos et fatigatos fuiſſe; quin imo ab ipſo nonnumquam munere ſcholaſtico ad rempublicam adminiſtrandam vocabantur, aut ab hac rurſus ad illud ſuſcipiendum tranſibant. Non erat proauorum aut patrum noſtrorum aetate ea ſcholarum, vel minorum, vel maiorum facies, nihil vt in illis iure deſiderares; tamen iis propter ingentem quam praeſtarent vtilitatem, nec vllo vitae tempore intermorituram, ſalui honores ſui ex merito fuere. Poſthaec exorta eſt noua ſapientia, quae longe plurimis perſuaſit, permulta, ac tantum non omnia, quae in ſcholis didiciſſent, reliquae vitae, maxime ciuili, nihil prodeſſe, eaque ſibi, quae eſt ingenioſa eorum vox, futurae obliuionis cauſſa, inculcata fuiſſe. Eam autem opinionem inualuiſſe fateamur neceſſe eſt, non tantum culpa quorumdam magiſtrorum vmbraticorum et parum peritorum in ſcholis, quas proprie adpellant, et Academiis, qui vel probandis ac ſaluberrimis inſtitutionibus adſpergerent quaeſtiones inanes, et moleſte ſeduli eſſent in quibusdam diſputationibus ſubtilioribus, et rixis de nihilo ſerendis; vel optimam cauſſam peſſime agerent, hoc eſt, in pulcherrimis et vtiliſſimis rebus tradendis, nihil minus, quam quid pulchrum et vtile in iis ſit, curarent atque oſtenderent. Verum ad haec acceſſit praeterea torpor quidam et ignauia, quae detractarent viam illam ſcholaſticam, cum roſis etiam totidem ſpinas alentem; dein ſuperbus ſcholarum contemtus, e moribus ornatioribus et mollioribus natus; praeſertim autem iactura dignitatis, quam ſubiere litterae illae veterum, quibus omnis noſtra ſcholaſtica et academica erudiendi ratio recte ſuperſtructa eſt.

Itaque factum eſt, vt *ſcholis tantum* aſſignarentur linguae, quas nunc fere ſepultas in monumentis earum ſcrutamur, porro hiſtoriae et ritus antiqui ſcientia, ſcriptores eiusdem orbis, vniuerſi, exercitationes dicendi ſcribendique vtraque oratione, alia his ſimilia. Sed ad *vitae* quotidianae, muneriſque *vſum* paratiſſimum, alia omnia referre placuit, *verbis*que relictis ad *res* veniendum eſſe. Quas autem hoc nomine deſignant? Nimi-

 rum-

Digitized by Google

rum, non tam compagem omnem doctrinae illius in qua ſedem ingenii, vitae, et fortunarum fiximus, aut interiora eius et ſublimia arcana, quam quidquid de illa, memoria et quaſi manibus cito apprehendi et tractari, frequentiſſimo accommodandi hominibus, locis, et temporibus exercitio, in poteſtatem noſtram redigi, hoc vero modo commodis et reditibus noſtris amplificandis quam promtiſſime inſeruire poteſt.

Atque haec quidem animo fortaſſis non malo decreta ſunt; conſilio certe et euentu noxio. Qui enim hoc longiſſimo diſcrimine ſcholam a vita diuellunt, et huius vſum toto coelo ab illo diſtare credunt, primum vitae litterariae munera, et ingenium ipſum, quo ſolo vere ac diu viuitur, egregiis nudant auxiliis, quae vltro iis fruſtra ſpretae ſcholae offerunt. Non menti robur et alimenta e veterum theſauris, non ori aut calamo eloquentiam parant. Deinde ſordidam conditionem faciunt virorum doctorum, quos, velut ſellulariae artis ſtudioſos, hoc ante omnia ediſcere volunt, e quo lucrum petatur, nihil de ingenio ſollicitos. Hoc autem ſi vnice ſpectandum eſt, ſi nihil noſtri intereſt, quam bona et praeclara diſcamus, ſed multo magis quam venales merces diſcendo adipiſcamur, e quibus celerrime pecunia et victus vendendo eliciantur: profecto non intelligimus, cur de trecentis, qui eodem tempore verſantur in Academia ducenti ſeptuaginta, quibus illa mens ſedet, hanc moleſtiam itineris ſibi imponant, hos ſumtus parentibus creent. Nam cum *formulariam* tantum aliquam *Theologiam* aut *Iurisprudentiam* captent, hoc eſt, ſollennium ac receptarum formularum, ſententiarum, cautionum et actionum peritiam atque vſum promtiſſimum: haec illi quidem ex aliquo antiſtite aut miniſtro ſacrorum, annis et exercitatione ſubacto, hi ex patrono cauſſarum diſerto, aut praefecturae adminiſtro, ſaepius etiam ex ſcriba non improbo, breui negotio perceperint.

Sed quoniam valde prona ad lapſum eſt adoleſcentia in iudicio de iis faciendo, quae futurae vitae vtilia videantur, aut minus: commendanda eſt ea ratio, cuius ope tuta ab hoc errandi periculo in perpetuum praeſtetur. Leuis erit ſane, aut penitus

eua-

Digitized by Google

euaneſcet dubitatio, quae vſum doctrinae ſcholaſticum a pragmaticae vitae neceſſitatibus et inſtrumentis ſeiungendum cenſet, ſi neutri omnia, principatum autem in moderandis ſtudiis litterarum conſcientiae tribuerimus. Magnum, eſt et prae caeteris omnibus expetendum, huic iudici ſe ſuaque probare, quem iratum habere poſſis, etiam cum moribus vulgaribus, inſtitutis ſcholaſticis, et delecto viuendi generi quam diligentiſſime ſatisfeceris. Ea nimirum diſcenda ſunt atque ita omnino diſcendum, vt conſcius tibi ſis, quidquid ingenio et animo virium ſuppetat, id impendiſſe te ſtudiis liberalibus, nullam temere occaſionem praetermiſſam a te eſſe, quae progreſſibus eorum faueret; ſuperata irritamenta, praeteruectos ſcopulos vel alte latentes; plus amori et dulcedini litterarum, quam durius impellenti officio aut quaeſtui a te datum eſſe; vitae et muneri ea praeſidia acquiſita, quae non modo tolerabilem et mediocrem inter multos, ſed excellentem in paucis reddant; denique per te non ſtetiſſe, quo minus eximiae ſcientiae laudem, eiusque cum quam maxime multis vtiliter communicandi efficaciſſimam facultatem, conſequereris.

Erunt, qui ſe ad tantum votorum faſtigium adſpirare negent; qui beatos eſſe praedicent quibus vel partem eorum exiguam ſors ſua conceſſerit. Sed illi vanitatis in hac optandi modeſtia, ipſa illa conſcientiae auctoritate reuincuntur. Neque enim haec, quid velit quisque aut nolit, quantum aut quam parum temporis, virium et contentionis dicare placeat litteris, ſpectat; ſed quantum ab eo iure e poſcendum ſit, quam ſolerter vſus ſit omni ſapiendi opportunitate, aut quam deſidioſus eam ipſe amiſerit; ac pro eo vel praemiis afficit illum, vel caſtigat et punit. Enimuero, abiicienda eſt tandem aliquando illa pene ludicra poteſtas, quam nomen viri docti apud pleroſque tuetur: vt vel ei vindicetur, qui non ſit indoctiſſimus et plane litterarum rudis; vel iis qui vocabula artis et diſciplinae ſuae cum potioribus praeceptis in numerato habent, nec libros ignorant, e quibus reliqua hauriri et deſcribi poſſint; ceterum, praeter aliquam de his diſſerendi facultatem, libris illis ſuis doctio-

Digitized by Google

res non ſunt. Verae doctrinae eſt, naturam, cauſſas fontes, nexus atque vſus earum rerum, quarum cognoſcendarum deſiderio flagramus, accurate perſpicere; fines ac terminos ſingularum diſciplinarum mente comprehenſos rite deſcribere; et tamen vndique ex iis decerpere, quae vni aut alteri, quam maxime noſtram eſſe volumus, lucem ac robur adferant; praeſidiis earum ſagaciter vti; multas partes diligentiae, maiores etiam iudicio et acumini adſignare; omnia ſuis oculis luſtrare, ſuum veluti peculium facere, quae vera, vtilia, et digna excelſo mentis vigore, libertate duce, congeſſeris; oppugnare opinionum et errorum commenta, meliora vulgatis docere, in omnibus, quae litteras attingunt, ſui arbitrii eſſe, nec iactari diuerſitate ſententiarum, aut inuentorum nouitate incertum; denique hanc ſtudii acerrimi contentionem nonniſi cum ipſa vita remittere. Hoc ſi teneamus, ad miram paucitatem redigi doctorum virorum numerum cernemus, et tanto plures *proximo illo inſaniae morbo contactos, vt ſe ipſos ignorent, et quae neſciant, ſcire tamen ſe putent*, auctore *Socrate*: τὸ δὲ ἀγνοεῖν ἑαυτὸν, καὶ ἃ μὴ οἶδε, δοξάζειν τε καὶ οἴεσθαι γιγνώσκειν, ἐγγυτάτω μανίας ἐλογίζετο εἶναι. (apud *Xenophont.* in Memorab. III, 9.)

Iam quantae grauitatis, quam ſeueri et continui laboris ea res ſit, ordinem perſequi, quem ipſa natura, et auguſta litterarum maieſtas, non hominum leuitas, ſtatuit, hoc eſt: primum omnium ab iis cultum et ſplendorem ingenio, firmitatem animo petere, atque hunc earum amorem nullis anguſtiis concludere, quum erumpere, et optima quaeque arripere incipit; tum vero ex his copiis tam liberaliter cumulatis, deligere, quae ſint vitae negotioſae idonea; poſtremo in iisdem theſauris exaggerandis, etſi muneris adminiſtrandi, et victus parandi neceſſitas non poſtulet, tamen propter generoſam voluptatem, et inſignia commoda, perpetuam operam locare; horum igitur non cuiusquam vox ſed conſcientia quemque ſua commonefaciat. Videmus ſaepe iuuenes, nonnumquam et viros nihil magis refugere, quam laborem, praeſertim aſſiduitatem eius, conſtantiam, et perſeuerantiam illam, quae aptiſſimo nomine ἀνδρεία di-

Digitized by Google

dicta eſt: praecipuum enim locum viriles inter virtutes occupat. Sed illis vel breuiſſima virium contentio tantum nauſeae et defatigationis adfert, vt eam confeſtim requie, imo et voluptatibus, leniendam exiſtiment. Quae ratio, inprimis ſi ab adoleſcentia inde adoptetur, hac irreparabili noxa adficiet omnem reliquam vitam, vt agendi quaedam inertia et ſocordia comites nobis haereant indiuulſi, vt nihil vmquam magnum et illuſtre audeamus, ac vel feliciſſimo ingenio praediti, quam primum labore quem leges et munera imperant aegre perfuncti ſimus, velut exhauſti ad otium et luſus redeamus. Merum certe ludibrium eſt, et prope conuicium in bonas litteras, duos aut tres annos viuidae et florentiſſimae aetatis, qui plane illis conſecrati dicuntur, et a quibus ſequentium vel ſapientia, vel ſtultitia pendet omnium, ita tranſigere, vt pars magna eorum ſomno et ignauiae, non minor gulae, luſibus, et oblectationibus late ſtrepentibus pateat; particula vix memoranda paucarum ſubinde horarum, obiter inſtitutioni publicae tribuatur; extremis autem menſibus ediſcantur formulae nonullae et κυρίαι δόξαι, quibus auditis, doctores eruditionis per otium et tumultum comparatae largiantur teſtimonium, nullum conſcientia.

Quare his quoque de cauſis bene et ſapienter conſtitutum eſt a maioribus, vt omnis doctrinae initia non modo in ſcholis, ſed etiam in Academiis, ducerentur a Philologia, Hiſtoria, et Philoſophia. Nam qui hunc orbem diſciplinarum grauiter et ſedulo peragrauerit, et cum ſine auxilio earum nulla verior doctrina fingi poſſit, numquam eo totus exceſſerit, is melius et frequentius ceteris apud animum reputabit, quantum ſit illud, et quam arduum, cuius ſtudio ardentiori ſe teneri profiteatur. Non ille Icario curſu ad diuinarum humanarumque rerum ſcientiam vllam euolabit ſed his demum veluti pennis ſublatus; non miſere et per inſcitiam eas contemnet quaſi ſcholaſticas tricas obſcurorum hominum, et longe ſeſe inferiora, qui ad altiora ſcilicet, momento temporis, gradu nullo, prouectus ſit. In *litteratura veterum* quam praeclara inſit ſubtilitatis et accurationis in dicendo ac iudicando exercitatio, quam neceſſaria recte interpre-

Digitized by Google

pretandi diſciplina, quis aditus ad fontes candidiſſimos omnis doctrinae, experiundo intelliget. *Poeſeos* et *eloquentiae* diuinas artes, niſi infans et bardus et omnis elegantiae expers haberi velit, numquam ſibi ita negligendas ducet, vt appareat, et dicendo et ſcribendo, nullo ſe pulchritudinis et ſuauitatis ſenſu inbutum eſſe. *Hiſtoriam* rerum clariſſimarum inter homines geſtarum non e proximis quibusque riuulis deguſtabit, ſed hauriet ex illo ipſo oceano memoriae omnium ſeculorum, in qua natales et viciſſitudines cunctarum gentium, rerum publicarum, legum, artium et doctrinarum eminent: et caecum eſſe hoc lumine deſtitutum, non modo in litterarum genere quocumque, ſed etiam in quotidiana orbis mutatione cognoſcenda, ex vero cenſebit. *Philoſophari* autem non diſcet tantum ex regularum quarundam decreto, ſed quotiescumque in explorandis diſciplinarum ac ſententiarum fundamentis et cauſſis, in obſeruationibus rite inſtituendis, in acutis dubitationibus mouendis, in adornanda methodo cogitandi et diſſerendi, verſabitur, atque adeo, ſi detur optio, lectione multiplici quam philoſophia, illa communi litterarum luce, carere malit. Neque vero alienus erit a rerum natura vniuerſa, eiusque viribus et effectibus contemplandis, adiuuante *Phyſica* doctrina, quae cum hiſtoria infinitum verae philoſophiae theatrum pandat, et accedente vel praecedente potius *Mathematum* veriſſima ſcientia, cuius in cetera vtilitate ſumma, vel hoc ingens beneficium eſt, quod plus prope omnibus logicorum praeceptis, ad ratiocinandi et iudicandi vim acriorem valeat. Ita munita ſtudiorum litterariorum via, horum dignitati, et animo ſuo abunde ſatisfaciet, neque verendum erit, ne in hac tanta illorum inter ſe coniunctione, nimis multa et diuerſa ſociare videatur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXXV.

NOVVM TESTAMENTVM GRAECE. TEXTVM ad fidem Codicum, Verſionum, et Patrum, emendauit, et lectionis varietatem adiecit, IO. IAC. GRIESBACH Theol. P. P.

Volumen I. Libri Hiſtorici. *Pars prior*, ſiſtens Synopſin Euangeliorum Matthaei, Marci, et Lucae, Halae, ap. I. I. Curt, 1774. 8. pp. 295. XXVII. pp. praef. et indd. *Pars poſterior*, ſiſtens Euang. Iohannis et Acta Apoſt. ib. 1775. pp. 166. Praef et Add. pp. VI.

Volumen II. Epiſtolas omnes, et Apocalypſin complectens, ib. eod. pp. 200, cum praef. pp. XXXII.

Inter eos, qui poſt inſtauratam in Germania per Bengelium ſacrae Critices artem, huius artis ſtudia diligenter colunt, haud vltimum locum iam dudum obtinebat Clar.

 Gries-

Grieſbachius, nunc Theol. Doct. et Prof. Ienenſis. Is enim, ex quo Criticae ſ. amorem, hic Lipſiae in ſcholis Erneſti conceptum, Semleri diſciplina et conſuetudo in eo firmauerat, totum ſe huic arti dedit, et in itinere per Galliam Britanniamque facto eius copias ex bibliothecis earum regionum inſtructiſſimis egregie auxit; quo tempore eius ſtudia primum innoteſcere, per Semleri epiſtolam ad eum ſcriptam, mox, vbi in patriam redierat, prodeſſe quoque coeperunt ſacrarum litterarum cultoribus, per Diſſert. *de Euangeliorum Codicibus Origenianis*, ab eo editam, qua non ſolum Critici docti et acuti laudem ſibi peperit, ſed etiam haud laeue deſiderium omnibus iniecit Symbolarum criticarum, quibus omnem illum apparatum criticum in itineribus collectum publici iuris facere decreuerat. Interea vero, dum hoc deſiderium expleret, et iſtam laudem vehementer auxit, et exſpectationi, quam de eius doctrina ſummam quisque conceperat, ſatisfecit hac Noui Teſt. editione, quae ſub manibus eſt, adornanda. Ceperat enim laudabile conſilium, in vſum eorum, qui cum S. Criticam tractare cupiant, Wetſteniani aliorumque ſimilium operum facultatem non habent, nouae recenſionis inſtituendae, quae cum apparatu potiorum lectionum variantium ad vſus criticos emitteretur, nec tamen nimis magnae molis, magnive pretii eſſet. Sed hoc conſilium ita perfecit, vt non modo tironibus proſpiceret, ſed etiam peritiſſimis criticae viris gratiſſimum faceret, quia eius editio praeter compendii facultatem etiam propria bona habet quamplurima quae faciunt, vt nec ii, qui Wetſtenianis copiis vtuntur, ea facile carere poſſint. Nihilo minus tamen fuere, quis putet? qui omne hoc conſilium inane et inutile iudicarent, cum vulgaribus N. T. editionibus acquieſci poſſe putarent. Horum vel imperitiae, vel maleuolentiae, Vir doct. oppoſuit copioſam conſilii ſui defenſionem, in praefatione Volum. II. certis theſibus comprehenſam, quas, quamquam ipſe, vt

eſt

eſt modeſtiſſimus, tironibus tantum ſcriptas dixit, tamen hic excerptas dabimus, cum inter nos etiam nunc genus ſit hominum, quibus, cum ſibi minime tirones videantur, iſta tamen ſatis inculcari non poſſint.

Oſtendit igitur Cl. Editor, cum nulla editio N. T. auctoritatem publicam habeat, et cum tamen omnes inter ſe diſcrepent, nunc quoque viris rei peritis licere, quod olim Sec. XVI. et XVII. editoribus licuerit, vt textum, quem vocant, quam poſſint emendatiſſimum, ex libris ſcriptis aliiſque praeſidiis criticis, edant. (Theſ. 1—4.). Iam cum omnium editionum bonitas pendeat partim a bonitate codicum, e quibus ducta ſunt, partim a ſeueritate iudicii, quo editores vſi ſunt in contextis e pluribus Codd. conſtituendis, apud nos hodie nulla eſt editionum auctoritas, nec, ſi Codd. ipſos conſulere poſſumus, e quibus factae ſunt, nec, ſi e quibus factae ſint non conſtat, quia tum de facultate editorum iudicare non licet. (Theſ. V.). — Ceterum ipſe Vir doct. cum interdum ad editiones prouocat in Sylloge Varr. Lectt. ſatis oſtendit, hoc non eo valere, vt nulla editionum ratio habenda ſit in colligenda lectionis varietate; eſt enim iis locus tum, cum de libris ſcriptis non conſtat, e quibus ductae ſunt: ſed hoc tantum vult, fieri non poſſe, vt iudicium noſtrum de bonitate lectionum vllius editionis auctoritati adſtringamus. — Porro editionum N. T. quae criticum vſum habent, praecipue quatuor ſunt genera, Complutenſe, Eraſmica, Stephanica, et Bezae exempla, et inter ea maxime eminent Compl. et Eraſmica, quae reliquorum omnium fundamenta facta ſunt: nam ceteri editores vel ſimpliciter, vel cum leui mutatione, alterutrum repetierunt, aut vtriusque aliquod temperamentum fecerunt, aut alterutro pro baſi ſumto noua ex ſuis copiis deprompta addiderunt, vt Stephanus et Beza (Th. 6—8.). Iam vero et Compl. editores et Eraſmus, paucos admodum libros ſcriptos habuerunt, eosque, quod comparatione intelligi-

 tur,

Digitized by Google

tur, exigui fere pretii; tum a verſionibus antiquis orientalibus et latinis, et a libris doctorum graecorum inſtructi non fuerunt; itaque vix credibile eſt, eos textum bonum et emendatum dare potuiſſe; et vero etiam conſtat, non dediſſe, nam Complutenſes in quibusdam locis conſulto textum mutarunt, in ceteris malae fidei ſuſcipionem lectori non adimunt, quia libros non indicant ex quibus ſua hauſerint; de Erasmi vero vel diligentia, vel conſtantia, in editionibus N. T. curandis, res ipſa non patitur nos valde magnifice ſentire. (Th. 9—17.) Nec vero Stephani aut Bezae diligentia effecit, vt nos noua recenſione carere facile poſſemus. Nam Stephanus paucis Codd. quos habuit tam negligenter vſus eſt, vt non modo multas varietates praeteriret, ſed etiam ſaepe contra omnium librorum ſuorum fidem, in prima editione Complutenſem, in tertia et quarta Erasmi quintam ſequeretur. Beza vero, etſi plura et firmiora habuit praeſidia, tamen baſin editionum ſuarum fecit Stephanicam tertiam, ita vt ei immiſceret alias lectiones ex libris ſcriptis, aut verſionibus, inconſtanti admodum iudicio ductus, ſaepe etiam e coniectura natas. Ex his duobus autem exemplis cum conſarcinata ſit, incertum a quo editio Elzeuiriana, quam ceterae omnes ad haec noſtra tempora imitatae ſunt, apparet, vulgaria exempla habere textum ex Stephani et Bezae recenſione mixtum; et cum Beza, praeter pauca pro lubitu mutata, expreſſerit Stephani tertiam, hic Erasmi quintam, intelligitur, Erasmum vere parentem dici poſſe vulgaris recenſionis. (Th. 18—20) — Quae cum ita ſint, dubitari non poteſt quin his noſtris temporibus, in tanta optimorum praeſidiorum copia a viris artis criticae peritis recenſio N T. fieri poſſit vulgari multo accuratior et emendatior; nec reprehendendi ſunt, qui ad eam rem perficiendam animum applicant. Neque enim metuendum eſt, ne verbum Dei detrimentum capiat e mutata lectione, cum partim non niſi ex idoneis cauſſis mutare quidquam liceat, partim verbum Dei ſit in ſenſu, non in verbis, quae mu-

Digitized by Google

mutantur, aut, ſi vel maxime mutatae lectionis alius ſenſus fuerit, hoc ipſum quaerendum ſit, fueritne ſententia mutata pars verbi diuini, an hominum incurioſorum improborumue inuentum? Tandem nec illud vituperandum eſt, ſi mutatae lectiones plerumque leues videntur, nulliusque momenti: nam aut non omnes ſunt ex eo genere, aut, ſi paucis admodum in locis ſenſum varietas afficit, agnoſcendum eſt beneficium Dei, qui inter innumeras tot librorum varietates tamen verbum ſuum ſaluum nobis et integrum ſeruauit, et, ſi quid corruptionis, et illatum fuerit, fecit vt ea tolli et ſanari poſſet.

Sed ſatis de conſilio Viri doct. diximus, et de cauſſis, quibus commotus id ſuſcepit; in quarum enumeratione profecto omnes ſibi habebit conſentientes, qui non opinionum ſuperſtitioſarum erroribus abrepti, in alia omnia feruntur. Iam ad ipſam huius editionis deſcriptionem et rationem explicandam veniemus, vt, quomodo Cl. Editor conſilium ſuum perſecutus fuerit, appareat.

Primum igitur hoc peculiare et proprium habet illa, quod Matthaei, Marci, et Lucae commentarios non continua ſerie exhibet, ſed omnes ſimul iuxta ſe poſitos in tabulis ſynopticis proponit, criſeos et interpretationis iuuandae cauſſa. Scilicet ſaepe a criticis obſeruatum erat, vnum Euangeliſtarum ex ſimilibus locis ceterorum fuiſſe interpolatum, ſaepe ab interpretibus hos ſcriptores, cum vnam eandemque rem narrent plures, mirifice ſe inuicem illuſtrare. Vt igitur lectores N. T hoc commodo, quod ex obſeruato parallelismo Euangeliſtarum fluit, (ſic enim vocant) tanto certius fruerentur, *Grieſbachius* ita inſtituit, vt, quotiescunque vna res a duobus vel tribus auctoribus tradita eſſet hae narrationes coniunctae exhiberentur, vna pagina bifariam trifariamue diuiſa; cum vnus illorum ſolus aliquid narraret, eius oratio ſola omne ſpatium

paginae occuparet. Sed cum non omnes eodem ordine vtantur in narrandis dictis factisque Ieſu, fieri non poterat, quin vnius alteriusue liber, ſi ad ordinem alius accommodandus eſſet, diſtraheretur, et narrationes varie transponerentur. Itaque omnes Euangeliſtas in Sectiones minores diſpeſcuit, easque ita ordinauit, addito in ſupremo margine Sectionum indice, et loci, vbi quaeque narratio continuatur, ſignificatione, itemque omnium Sectionum Conſpectu in fine poſito, vt etiam ſingulorum auctorum commentarii per ſe deinceps legi poſſint. Quod vt lectores magis intelligant, noſtri de indice Sectionum, in quas tota illa Synopſis trium Euangeliorum diuiſa eſt, particulam huc transtulimus:

Sect.	Matth.	Marc.	Luc.
1	—	—	I, 1–4.
2	—	—	5–25.
3	—	—	26–38.
4	—	—	39–56.
5	—	—	57–80.
6	—	—	II, 1–6.
	(I, 1–17. occurrit demum Sect. 13.)		
7	I, 18–25	—	—
8	—	—	7–21.
9	—	—	22–39.
10	II, 1–12.	—	—
11	13–23.	—	—
12	—	—	40–52.
13	I, 1–17.	—	(III. 1–23. occurrit Sect. 14. 15.)
14	III, 1–12.	I, 1–8.	III, 1–20.
15	13–17.	9–11.	21–23.
16	IV, 1–11.	12. 13.	IV, 1–13.
17	12.	14.	14. 15.
18	—	—	16–30.

Sect.

Digitized by Google

Sect.	Matth.	Marc.	Luc.
19	13-22.	14-20.	—
20	—	21-28.	31-37.
21	VIII, 14-17.	29-34.	38-41.
22	—	35-39.	42-44.
23	—	—	V, 1-11.
24	23-25.	—	—

Sed quia tamen hanc rationem, quae et ad criticam ſacram, et ad interpretationem prodeſſe poteſt haud parum, iis, qui libros ſacros deinceps legere velint, parum commodam vel fore praeſenſit, vel fuiſſe edoctus eſt, in Vol. II. praefatione promiſit, ſe curaturum vt tres priores Euangeliſtae etiam continua et natiua ſerie orationis edantur, ex eadem hac ſua recenſione, cum omni apparatu variarum lectionum.

Scilicet praecipua dos libri, et totius operis quaſi arx et caput cernitur in ratione textus graeci emendata et emaculata, et in congeſta copia habitoque delectu variarum lectionum, de quibus adhuc conſtat, omnium; quas quibus ex fontibus Editor hauſerit, quomodo iis, et quibus ex praeceptis, ad conſtituendam orationem ſcriptorum vſus ſit, et quam normam in adornanda Varr. lectionum congerie ſecutus ſit, noſtrum iam erit indicare, prout vel ab ipſo in Praef. Vol. I. expoſitum legimus, vel tractando libro cognouimus.

Fontes igitur habuit hos: Codicum graecorum lectiones laudauit e Wetſtenio, (ſic vt etiam huius notas et ſiglas ſeruaret) quocum Millium et Bengelium contulit, ſed ita, vt raro ex his illum emendaret, quod nonnulli faciunt: quia in Bodleiana bibliotheca repererat exemplum editionis Millianae, ipſius Millii manu caſtigatum et emendatum, quo etiam Wetſtenius vſus videbatur. Praeterea ipſe excerpſe-

rat

rat varietatem librorum plurium, qui antea vel plane non inſpecti fuerant, vel admodum negligenter perluſtrati, et collationibus quibusdam vſus eſt ab aliis viris doctis confectis. Acceſſerunt ergo ad Wetſtenianas copias in Euangeliis Codices IX, n. 113—121. et Euangeliſtaria VI. n. 25—30. quae omnia ipſe inſpexit, nec non fragmenta Guelferbytana a *Knittelio* deſcripta, litt. P. et Q. ſignata; tum Cod. 122. Gieſſenſis, cuius lectiones Ill. *Michaelis* in bibliothec. orient. exhibuit, et tres Viennenſes, 123—25. a *Treſchonio* excerpti, quorum omnium varietates in Addenda coniecit. In Actis App Wetſtenii apparatus auctus eſt excerptis duorum librorum 59 et 60. in Epiſtolis Paullinis X. Codicum 61—70. et vnius Lectionarii, in Catholicis Codicum VI, in Apocalypſi III. librorum graecorum; quorum omnium librorum a Cl. Editore excerptorum curatiorem deſcriptionem Symbolis ſuis criticis ſeruauit. — Alter fons varietatis reperiendae cum ſit in verſionibus antiquis, harum lectiones ex iisdem illis triumuiris commemorauit, vocata tamen, quoad orientales verſiones, in ſubſidium *Bodii* Pſeudo-critica Millio Bengeliana; latinae vero verſ. varietatem inſigniter auxit veteris italicae, quae vulgo dicitur, lectionibus, ex *Sabatierii* et *Blanchini* ſplendidiſſimis operibus depromtis, quibus nec Bengelius, nec Wetſtenius vſi erant; qua acceſſione rectiſſime iudicat V. C. gratum ſe facturum eſſe viris harum rerum peritis. — Ad ſcriptores eccleſ. quod attinet, horum lectiones non ſolum e Millio, Bengelio, Wetſtenio, et quoad latinos etiam e Sabatierio exhibuit; ſed alias quoque adiecit, inprimis e graecis, a ſe ipſo obſeruatas, cum hoc ipſo conſilio quorundam doctorum graec. libros tractaret; hac tamen cautione, vt non tam de augenda varietatum copia, quam de recte adhibendis repertae varietatis exemplis cogitaret.

Adhibuit autem ad textum, quem vocant, ſingulis in locis conſtituendum, vt maxime erat veriſimile, e manu ſcri-

ſcriptorum eum prodiiſſe, cuius iudicii quae ſibi ipſe praecepta ſcripſerit, operae pretium erit cognoſcere. Primum igitur religioſe cauere voluit, ne quid e coniectura, ſine idonea auctoritate mutaret; tum ad aeſtimandam vim auctoritatis praecepta critica ſequi profeſſus eſt, de quibus inter omnes conſtat, de lectionum difficultate, varietate, exquiſitiori natura, de numero et aetate libb. ſcriptorum, et quae ſunt ſimilia; ſed et alia adiecit, quae vulgo non omnibus ſatis nota ſunt. Sic Codicum, qui latinam verſ. imitentur, auctoritatem non ſpernendam, contra *Syriacae* Verſ. non nimium pretium ſtatuendum, Codicis Alex. *textum*, in Euangeliis minoris quam in epiſtolis faciendum, docuit. Inprimis vero, cum N. T. varias recenſiones antiquitus editas fuiſſe conſtet, in iudicio de lectionibus faciendo hoc quaerendum duxit, ex qua recenſione ea petita eſſe videretur; nam prae ceteris recenſionibus inprimis duas praeualuiſſe, *Alexandrinam*, cuius lectiones e verſſ. Copt. Aeth. Arm. Syr. poſteriori, e libris Clementis Al. Origenis, Euſebii, Cyrilli Alex. Iſidori Peluſ. Damaſceni, et in Euangeliis quidem e Codicibus C. L. K. 1. 13. 33. 66. 106. 118. et Euangeliſtariis 18. 19. in Epiſtolis vero e libb. A. C. 17. 46. 47. petendae ſint; et *Occidentalem*, cuius veſtigia e verſ. lat. antiqua, vel Itala, e patribus lat. antehieronymianis, interdum etiam e verſ. Syr. tum e cod. D. et partim etiam e Codd. 1. 13. 69. in Euangeliis, e D. E. F. G. in Epiſtolis, colligi poſſint; ab vtraque differre recenſionem Codicis A. in libb. hiſtoricis, et textum Chryſoſtomi in epiſtolis; Theodoretum ab omnibus prioribus diſcrepare, Theophylactum vero Oecumeniumque recenſionem ex omnibus mixtam, et editionibus noſtris ſimillimam ſequi. Jam ſi quae lectiones in vtraque illa recenſione fuiſſe deprehendantur, eas ſemper antiquiſſimas, et plerumque pro genuinis habendas eſſe, niſi neceſſariae leges criticae aduerſentur; egregie vero eas confirmari aſſenſione Cod. A. (in Euang.) verſionis Syr. Chryſoſtomi, et librorum M. P. 10. 11. 12. 17. 28. etc.

Digitized by Google

(in Epiſt.) bonis lectionibus abundantium; inter duas autem lectiones, alterutri recenſioni proprias, eam plerumque ſeligendam eſſe, quam Alexandrina habeat, niſi aliae cauſſae vetent; nam in nonnullis locis Alexandrinae recenſioni mature interpolatae occidentalem praeſtare. — Ex his igitur praeceptis, in conſtituenda oratione Scriptorum SS. ſic verſatus eſt V. Cl. Griesbachius, vt, poſito pro fundamento vulgari contexto, quod Wetſtenius expreſſerat, mutationes inductas omnes indicaret, quae ſibi certiſſime addenda, omittenda, mutanda viderentur, ſtatim in contexta reciperet, vel eiiceret, cum admonitione, quid factum ſit, quae autem non ſine ſpecie quidem, ſed tamen non ſatis certo mutanda iudicaſſet, indicaret ſaltem in margine, additis ſignis, quibus, quam prope, quamue parum ad veritatis ſpeciem accederet varia lectio, definiretur, vt variarum recenſionum additamenta, interpolationes et diſcrepantias annotaret, tandem omnium harum rerum rationem redderet, earumque iudicandarum copiam faceret lectoribus, ſubiicienda in imo margine variarum lectionum congeſta farragine.

Ceterum non omnes omnino varietates, vel a Wetſtenio notatas, vel a ſe ipſo repertas, in notis exhibuit: ſed, cum tironum neceſſitatibus conſulere, non abſolutum opus criticum edere vellet, tantum annotauit variarum lect. quantum ad critices ſtudia tironibus ſufficere videretur. Praetermiſſis igitur omnibus, in quibus pauci Codd. iuniores a textu recepto diſcrepant, aut quae manifeſto ex ſtudio ſimiles narrationes variorum concinnas reddendi orta erant, omiſſis item leuioribus variationibus, quae in articulo poſito omiſſone, in formis verborum obſoletis, in ſcriptura nominum propriorum, in permutatione verborum ἀποκριθεὶς et λέγων, κύριος et Ἰησοῦς, et ſimilium, in addito pronomine αὐτῷ, αὐτοῖς, et aliis ex eo genere, verſarentur, niſi eadem optimorum libb. auctoritate firmata eſſent, ea poſuit,

Digitized by Google

ſuit, quae non ſolum ad iudicium de lectione mutata, vel propoſita, vel indicata, faciendum pertinerent, ſed etiam ad alia quaedam haud inutilia cogitanda et diſcenda ducerent. Itaque diligenter annotauit gloſſemata, quae vocantur, vt quae ſaepe ad ſenſum locorum reperiendum faciant, lectiones leues et futiles, ſed quae ad naturam rationemque huius vel illius Codicis aeſtimandam conferrent, excerpſit, aliasque varietates poſuit, vt vel ſic Editoris opera acquieſcere poſſint, qui Wetſteniano et ceteris operibus palmariis carent. In Codd. autem recenſendis, qui aliquam lectionem tuentur, non ſemper omnes nominatim recenſuit, ſed interdum in varietate exigui momenti, tantum, quot codices eam agnoſcant, dixit; nonnunquam etiam ſimpliciter commemorauit, quosdam, vel plurimos Codd. hoc vel illo modo verba exhibere, cum idem antea ſic ταχυλῶς a Millio Wetſtenioque factum erat.

Satis de natura et conſtitutione operis diximus; neceſſe videtur, vt, quae ſit eius forma, quis habitus externus, narremus. Eſt igitur ipſa oratio SS. Scriptorum in prioribus tribus Euangeliis eo modo, quo ſupra diximus, in ceteris libris continua ſerie expreſſa, ſingulis paginis bifariam diuiſis, non facta capitum et verſiculorum diſtinctione, quorum tamen numeri ad latus poſiti ſunt. In contextis ipſis reperiuntur verba vel addita, vel mutata, minori litterarum charactere expreſſa, cum aſteriſcorum et lemniſcorum vario genere, itemque alia ſigna, quae aliquid eiectum eſſe, vel fortaſſe eiiciendum monent, quorum ſignorum explicationem in Praef. Editor dedit. Huic contexto ſtatim ſubiecta ſunt inter duas lineolas transuerſas verba eiecta, vel eiicienda, mutata, vel mutanda, aut ſubſtituenda receptis, aut amplianda, item quae interpolata videantur e variis recenſionibus, cum iisdem ſignis, quae in contexto apparent. In inferiori tandem margine paginarum omnium ſilua varr. lectt. cernitur, quarum quaevis litteris minu-

 ſcu-

Digitized by Google

ſculis gothicis iis verbis contextae orationis adſtringitur, ad quae referenda eſt.

His ita expoſitis de conſilio, ingenio, habituque libri, ſupereſt, vt exemplis oſtendamus, quomodo Celeb. Griesbach editoris et caſtigatoris functus ſit opera, et quomodo praeceptis ſatisfecerit, quae ſibi ipſum ſcripſiſſe diximus. Sed cum hanc ipſam enarrationem iam longius progreſſam videremus, quam fines tali narrationi conſtituti paterentur, conſultius duximus, ad aliam Actorum noſtrorum partem exemplorum recenſionem differre, facile nos veniam a lectoribus noſtris impetraturos rati, ſi de tali libro bis ſcripſerimus.

DEMONSTRATIO ANALYTICA, QVOD AEquatio cubica, tres habens radices reales, etiam totidem imaginarias inuoluere poſſit.

Sit aequatio cubica $x^3 - 5x^2 + 6x - 2 = 0$, habens tres factores reales 1) $x = 1$; 2) $x = 2 + \sqrt{2}$; 3) $x = 2 - \sqrt{2}$, vti examen facile docebit. Eſt enim $1 + 2 + \sqrt{2} + 2 - \sqrt{2} = +5 =$ Coefficienti Termini II. cum ſigno contrario; $1.(2 + \sqrt{2}) + 1.(2 - \sqrt{2}) + (2 + \sqrt{2})(2 - \sqrt{2}) = 1.2 + 1.2 + 4 - 2 = 2 + 2 + 2 = +6 =$ Coefficienti Termini III; et $1.(2 + \sqrt{2})(2 - \sqrt{2}) = +2 =$ Coefficienti Termini IV. ſeu = Term. vltimo cum ſigno contrario.

Reſoluetur vero haec aequatio per regulam Tſchirnhauſii ponendo $x^2 = tx + (s + y)$; eritque $x = \frac{2 - (t - 5).(s + y)}{(t^2 - 5t + 6) + (s + y)}$; eliminando iam x per hunc valorem aſſumtum, peruenimus ad aequationem cubicam

y^3

$$\begin{array}{lllll}
 & y^3 + A y^2 + & B y & + C = 0 & \\
\text{Seu ad:} & y^3 + 3ſ y^2 + & 3ſ^2 y & + ſ^3 & \\
 & +5t \ldots & +10tſ \ldots & +5t.ſ^2 & \\
 & -13 \ldots & -26ſ \ldots & -13.ſ^2 & \\
 & & +6t^2 \ldots & +6t^2ſ & \\
 & & -24t \ldots & -24t.ſ & \\
 & & +16 \ldots & +16.ſ & = 0; \\
 & & & +2t^3 & \\
 & & & -10t^2 & \\
 & & & +12t & \\
 & & & -4 &
\end{array}$$

In hac vltima aequatione cubica ſi ponatur $A = 0$; et $B = 0$; ſeu $3ſ + 5t - 13 = 0$; $3ſ^2 + 2(5t-13)ſ + 6t^2 - 24t + 16 = 0$, prodibit $6t^2 - 24t + 16 = \frac{(5t - 13)^2}{3}$; id quod dat $t = \frac{29 + \sqrt{6}\sqrt{-1}}{7}$; et $ſ = \frac{-54 - 5\sqrt{6}\sqrt{-1}}{3\cdot 7}$; per hos ideo valores Termini aequationis ſecundus et tertius ex aequatione exeunt, et relinquitur $y^3 + C = 0$, ſeu $y^3 + ſ^3 + (5t - 13)ſ^2 + (6t^2 - 24t + 16)ſ + 2(t^3 - 5t^2 + 6t - 2) = 0$; ſeu ob $5t - 13 = -3ſ$, $y^3 + ſ^3 + 2(t^3 - 5t^2 + 6t - 2) = 0$; Vnde eliciuntur pro t et ſ eorum valores $\frac{29 + \sqrt{6}\sqrt{-1}}{7}$; et $\frac{-54 - 5\sqrt{6}\sqrt{-1}}{3\cdot 7}$

ſubſtituendo, $y = -\frac{2\sqrt[3]{108 - 102\sqrt{6}\sqrt{-1}}}{3\cdot 7}$;

adeoque ob $x = \frac{2 - tſ + 5ſ - (t-5)y}{t^2 - 5t + 6 + ſ + y}$; fiet

$$x = \frac{\dfrac{-60+24\sqrt{6\sqrt{-1}}}{3\cdot 7\cdot 7} + \dfrac{(6-\sqrt{6\sqrt{-1}})\,y}{7}}{\dfrac{-36+34\sqrt{6\sqrt{-1}}+y}{3\cdot 7\cdot 7}}\text{; ſeu}$$

$$x = \frac{-\dfrac{(60-24\sqrt{6\sqrt{-1}})}{3\cdot 7\cdot 7} - \dfrac{(6-\sqrt{6\sqrt{-1}})}{7}\cdot\dfrac{2\sqrt{(108-102\sqrt{6\sqrt{-1}})}}{3\cdot 7}}{-\dfrac{(36-34\sqrt{6\sqrt{-1}})}{3\cdot 7\cdot 7}-\dfrac{14\sqrt{(108-102\sqrt{6\sqrt{-1}})}}{7\cdot 3\cdot 7}}\text{; ſeu}$$

$$x = \frac{+(30-12\sqrt{6\sqrt{-1}})\times(6-\sqrt{6\sqrt{-1}})\cdot\sqrt{(108-102\sqrt{6\sqrt{-1}})}}{+(18-17\sqrt{6\sqrt{-1}})+7\sqrt{(108-102\sqrt{6\sqrt{-1}})}} = F$$

Hic valor F per iuſtum calculum inuentus, dat factorem $x - F = 0$ aequationis propoſitae $x^3 - 5x^2 + 6x - 2 = 0$; quo cum factore, ſi aequatio haec diuidatur, prodibit quotus ſeu aequatio quadratica ſequens:

x^2

$$x^2+[(-1)r^{3}(\ldots.)+(114+23r6r-1)r^{3}(\ldots.)^2]=0;$$

$$((\ldots)]^2$$

$$2)x=[(60\ldots)-(379-34r6r-1)r^{3}(\ldots\ldots)^2]$$

$$\text{et } 3)x=[(60-73r-(379-34r6r-1)r^{3}(\ldots)^2]$$

per hanc reſolutionerod iuſtae ſint, examine oſtendam.

Eſt enim, quia

2)

* Notetur pro) ^{2}; et $r^{3}(\ldots)^3=(108-102\,r\,6\,r-1)$. Sequitur exinde in producto, atum eſſe. E. gr. multiplicando 2) x X 3) x cum 1) x pro coefficiente 2, ſeu p 1) $r^{3}(\ldots)^2$ cum $(6-r\,6\,r-1)\;r\,(\ldots)$; id quod dat $(114+23\,r\,6$ mio annumeratur ideoque in aggregato — 101520–44064 $r\,6\,r-1$ continet

(2

Digitized by Google

2) x + 3) x

2) x + 3) x

ſed 1) x ddantur: erit 1) x + 2) x + 3) x

)] = + 5 =

Coefficienti T

(−3456 − 29 . .) x

(−5004 − 7 . .)² } addendo

= (−8460 −

= (−8460 −

(−1410 −

= +

Digitized by Google

=+6 [(−1 41

(−141

T

(−1015 .)² =

= (−10152 =

(−5076

= + 2. [(− 1)$\sqrt[3]{}$(....)²] =

[(− 1)$\sqrt[3]{}$(....)²]

= + 2 = T

Hocce ex
rum hae poſte am compoſitam eſſe poſſe tribus radicibus imaginariis, qua-
ductum x³ ur. Minime etiam contradictionem inuoluere videtur, pro-

In ſequer
x³ − 2x² + 3 m valorem realem aut imaginarium. Sit aequatio cubica
$\sqrt{7}\sqrt{-1} + \frac{1}{2} - \sqrt{7}\sqrt{-1}, = 1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{2} = +2 =$ Coefficienti
2 2

Termini II. cu $\sqrt{-1})(1 - \sqrt{7}\sqrt{-1}) =$
4

$= 1 + \frac{(1+7)}{4} =$ um ſigno contrario.

Per

Digitized by Google

Digitized by Google

CCLXXV.

Per formul $-168\sqrt{21})$; et tandem $x = \frac{2 - t ſ + 2 ſ - (t-2) y}{t^2 - 2t + 3 + ſ + y}$

$= \frac{(42 + 3\sqrt{2}}{(63 - 8\sqrt{2}}$ $x^2 + 3x - 2 = 0$, per factorem inuentum diuidendo

oritur aequatio q

$x^2 - \frac{[(84 - 19 \ldots)^2]}{(63 - 8} = 0$

Quae

2) $x = [(84 - 1 (\ldots)^2]$

3) $x = [(84 - 1 \sqrt[3]{(\ldots)^2}]$

quort

1)

Digitized by Google

Digitized by Google

1) x + ... efficienti Termini II. cum ſigno contrario.

Secu ... [(63 — 8 √ 21) + 5 √ (. . .)]² et 2) x X 3) x =

[(13608 — ... 1) x [2) x + 3) x] + 2) x X 3) x =

.)²

3 =

Coeff

.)² =

)² =

)²

.)³] = + 2 =

.)²

Termino

Haec ... ias imaginarias, quae licet valde differant a tribus prioribus, tame

Caet ... x — 2 = 0, ac x³ — 2x² + 3x — 2 = 0, coefficientes ſint

numeri ad

— 2 √ (7

AL

ALBII TIBVLLI CARMINA LIBRI TRES cum libro quarto Sulpiciae et aliorum nouis, curis caſtigauit CHR. G. HEYNE, M. Britan. Regi a Conſiliis, Eloquentiae ac Poeſeos P. P. O. et Bibliothecarius Georgiae Auguſtae: Editio altera auctior et emendatior.

Lipſiae apud Ioannem Fridericum Iunium CIϽIϽCCLXXVII.

Si culti Tibulli diſcentur numeri, donec ignes erunt, arcusque Cupidinis arma, et docti poetae ſuaues elegi non paucos reperient qui legant, quique admirentur, donec aliquis venuſtatis, atque elegantiae ſenſus in animis hominum reſiduus atque ſuperſtes erit: haud deerunt quoque, qui miram exinde voluptatem capiant, quod in legendis Tibulli carminibus non deſtituantur ſubſidiis, quibus lectio poetae reddatur et facilior, et iucundior. Etſi enim Tibullus in argumento facili, leui, gratoque verſetur, amantisque perſonam vbique tueatur: tam multi tamen reperiri videntur verſus traiecti atque transpoſiti, hiulci atque corrupti, vt niſi inter legendum certo duce ac fido vtaris comite, facile offendas, trepides, incertusque haereas. Grata itaque et accepta non poterit non eſſe opera Ill. *Heynii*, Viri, cuius doctrinae, praeter alia, Pindari ac Virgilii carmina debemus, quique cum ante viginti annos Tibullum prodire iuſſiſſet, in huius poetae carminibus explicandis illuſtrandisque ita elaborauit, vt votis eum Tibulli amicorum ſatisfeciſſe, commodisque adoleſcentum bene conſuluiſſe nobis quidem perſuaſum habeamus. Vir Clariſſ. enim non ſolum in hac iterata Tibulli editione fontes, ex quibus fluxiſſet quaeque lectio, accuratius indicauit, editionesque veteres, in his Vicentinam atque Aldi-

Digitized by Google

nas diligenter inter ſe comparauit, ſed etiam carminum argumenta appoſuit ita concinnata, vt ex his elegiae cuiusque ſummam, conſilium, ac praeſtantiam, ſi quis velit, cognoſcere poſſit; elegantias ac venuſtates earumque cauſas meliori luce illuſtraret; ea, quae a doctis viris in aliis libris et ad alios auctores copioſius exponerentur, breuiter indicaret; ad ea denique, quae in Tibullo ſingularia, ac raro obuia cernerentur, legentis animum conuerteret. Quorum omnium vt fidem faciamus ei, cui hanc alteram editionem Heynii nondum videre contigit, ea afferemus, quae huic noſtro conſilio apta et conſentanea videbuntur. Duo commemorantur editiones Tibulli principes, vna ſine loci nota 1472. ex qua Veneta 1475. videtur expreſſa, Vulpio quae primum fuit cognita altera, Romana 1475. ſubiectis Cyllenii commentariis, quos ille ad codicem ſuum ſcriptum adornauerat quemque *non contemnendum in multis Tibulli enarratorem* Barthius ad Stab. Theb. XII, 418. laudat. Ex hac fluxere Venetae 1487, 1491, 1493, 1500 et 1520. Succeſſere his Aldinae, prima 1502, quae Venetas expreſſit, altera 1515. quarum alterutram ſecutae ſunt omnes ſequentes, ita vt priorem vnice exprimerent Colinaeanae et Baſileenſes, poſteriorem Veneta per Scotum 1531. et Gryphianae fundamenti loco ponerent. Quum Paulus Manutius a. 1558. Tibullum vna cum Catullo et Propertio ex recenſione et cum ſcholiis M. Antonii Mureti ederet, et Muretus Aldina ſecunda pro fundo ſubſtrata multa in poetae verbis egregie emendaret, Ioſ. Scaliger lectionem a Mureto emendatam, et vna cum illa Aldinam ſecundam ſpreuit, rediitque ad Aldinam primam, ita vt multas vitioſas et importunas lectiones reduceret, quas partim docte, nonnunquam etiam ingenioſe, ſed a Tibulli genio abhorrenti more modoque correxit, partim in contextu reliquit. Ex hac Scaligeri recenſione prodiit primum Tibullus cum Catullo et Propertio Lutetiae Pariſ. 1577. repetitus Antw. 1582. quam cum Ianus Brouckhuſius, qui magno apparatu

Digitized by Google

tu librorum inſtructus Tibullum, cum variantium lectionum libro, et notis Heinſii, Amſtelod. 1707. edidit, religioſe ſequeretur; vt iſta textus recenſio pro praeſtantiſſima haberetur, iniquo fato accidit. At Io. Ant. Vulpius, Prof. Gymnaſii Patauini, quum Tibullum 1744. 4. prodire iuberet, non modo Scaligeranam luxatorum carminum transpoſitionem eiecit, ſed etiam in lectione, multis in locis, Scaligerum atque Brouckhuſium deſeruit, quo factum eſt, vt et Ill. Heynius Vulpii auctoritatem ſequendi conſilium caperet, ita tamen, vt emendatiores Aldinae ſecundae et Mureti lectiones, veterum editionum ex Veneta principe ductarum fide confirmatae, reducerentur. Commentationem doctam de Tibulli lectione per libros ſcriptos prelo excuſos propagata ſequitur vita Tibulli ex editione Vulpii ſed refectis nonnullis nimis otioſe disputatis: de qua cum non ſit quod copioſius diſſeramus, ad notas potius et obſeruationes Ill. Heynii animum conuertere lectorum, operae videtur eſſe pretium.

Elegia prima, qua Tibullus a Meſſala rogatus cum ipſo militiam facere recuſat, multas Vir doctiſſimus difficultates acute vidit, nec paucas feliciter ſuſtulit. Priori enim diſticho alterum parum reſpondet, quod de eo agere videtur, qui in caſtris hoſti ex aduerſo poſitis commorans cum perpetuo vexatur metu, tum repente claſſico audito a ſomno auocatur; is vero quamuis diuitias congerere ſibi poſſit, non de eo tamen dici poſſe videtur, quod teneat *culti iugera multa ſoli.* In ipſis verbis: *Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte, Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent,* diſplicet hoc, quod *aſſiduus* verſu ſtatim ſequente recurrit, *labor terrere* minus accurate dicitur, *claſſica* denique potius *cani*, quam *pelli* videntur. Hinc voci *terreat* ſubſtituendum *exerceat*, *laborem* forte pro *periculo* dici, et *claſſica pulſa* eſſe ſpiritus vi impulſa Ill. Heynius ſuſpicatur, ſenſumque omni-

omnino hunc eſſe arbitratur: *Paret alius ſibi aurum et agros, dum in moleſta militia verſatur, et modo aſſidente caſtris hoſte perpetuo terrore agitatur, modo, vbi tranquille obdormit, ſignis militaribus excitatur.* Nobis, ſi quid videmus, Tibullus non de opibus bello parandis, ſed iam bello alioue modo partis, verſu primo agere videtur, quod et ex voce *teneat* intelligi videtur, ac potiſſimum hoc dicere velle, quod nolit militiam ſequi, vt diuitias paret quia diuitum fortuna belli tempore ſit miſerrima, cum qui pecunia abundet, is dormire non poſſit, quod ſemper claſſici ſonum audire videatur, qui agros teneat is ab iis colendis deterreatur, vicino hoſte. Labor enim terrere dicitur eum, qui inter laborandum terretur. Quum voci *claſſica* iam additum legatur *Martia*, forte *pulſa* referri poſſent ad *ſomnos*, quos *pulſos fugent*, ſeu pellant ac fugent Submittimus vero iſta acutiſſimo Ill. Heynii iudicio, lectorumque doctiſſimorum relinquimus arbitrio, cum neque nobis ipſis ſatisfaciamus, atque hunc alterum verſum duriorem, minimeque cohaerentem, plane abeſſe malimus. *Vita iners* verſu tertio Tibullo dicitur ea, quae nullo labore et moleſtia vexatur, atque cum curis diuitum, tum moleſtiis militum, vacat: ſed *traducere vitae inerti*, eſſe inſolentem atque inſuauem loquendi modum recte iudicet quum Vir docti placet nobis potius eo praeeunte legere

Hic mea paupertas vitam traducat inertem;

quamuis nec hac ratione verbum *traducere* nobis arrideat. Si audacius corrigere liceret, ſcribi potius poſſet

Hic mea paupertas vitam mihi fallat inertem

Verba: *Nam veneror etc.* quorum cum antecedentibus nexum atque iuncturam Ill. Heinius deſiderare videtur, ſcribens, *Niſi fragmenta haec tantum ſunt elegiae vnius ſeu plurium: ſententiarum iunctura forte haec foret, felicem frugum prouentum ſperare licet, cum pietas mea diis cordi non eſſe nequeat;*

Digitized by Google

queat; forſan arctius cum prioribus cohaererent, ſi ſic legeretur:

> *Nec ſpes deſtituet, ſed frugum ſemper aceruos*
> *Praebebit, pleno pinguia muſta lacu*

copula *et* ſubintellecta.

Deus agricola doctiſſ. Heynio vix alius eſſe videtur quam Priapus, vt et infra El. V, 27. huius tamen cum ſtatim fiat mentio, *Terreat vt ſalua falce Priapus aues,* nihil definiri poſſe putat, quod et Siluanus et Pan eſſe poteſt deus agricola. Libenter quidem in ſententia Viri Ill. acquieſcimus: forte tamen a vero haud procul aberrare videbimur, ſi non certum quoddam numen, ſed deos omnes agriculturae praeſides, inprimis eos, qui in ſpecie commemorantur, Cererem, Priapum, Lares compitales, intelligi exiſtimemus. Omnem aſſenſum merentur ea, quae Ill. Heynius de verſu 25 et 26 diſſeruit, quos conſtat vulgo ſic legi

> *Iam modo non poſſum contentus viuere paruo,*
> *Nec ſemper longae deditus eſſe viae.*

Quum primum quemuis offendat *Iam modo non,* vel *Iam modo iam,* vel ſi ſententia iuncta ſit ſuperioribus, *Agna cadet vrbis — ſi modo nunc,* Vir doct. legendum ſuſpicatur, contorti tamen et ingenii et ſermonis eſſe dicit: *longae viae deditum eſſe,* ita vt totum diſtichum h. l. ſublatum eſſe cupiat. Sane languet ac friget ſententia, nec facile intelligitur quid ſibi verba velint: *Nec ſemper* (poſſum) *longae deditus eſſe viae.* Ill. Heynio ſuccurrebat ſententiam fere hanc eſſe debere: *Nec ſemper longae taedia ferre viae,* vbi tamen non *poſſum* ex priori verſu repeti poterat, ſed *cogor,* aut ſimile verbum ſubintelligendum erat. Nobis quidem, ſalva tamen aliorum ſententia, ſic placeret legere:

Digitized by Google

Nam modo iam poſſum contentus viuere paruo,
Nec ſemper longae creditus eſſe viae.

Scil. cogor me credere itineri periculoſo, diuitiarum parandarum cauſa. Si vero diſtichon illud plane deleretur, tunc ex ſententia acutiſſimi Heynii ſane legendum eſſet verſu ſequenti, *Sit Canis aeſtiuos ortus vitare* — h. e. liceat vitare, vt I, 5, 25. *Requieſcere lecto* v. 43. Ill. Heynius cum Vulpio recte retinuiſſe videtur, quamuis ſequatur *ſolito membra leuare toro*, et Brouckhuſius legi iubeat *lecto*, quum vix bene dicatur *lecto requieſcere* pro *ſub lecto*, *torus* et *lectus* ſeu puluinus ſpondae impoſitus ſint res diuerſae, denique eodem modo *vndae* et *aquae* I, 7, 13. 14. ſe excipiant. In *ſolito toro* magna eſt ſuauitas, non peregre, ſed in domo ſua, et *lectus*, vt nos quidem arbitramur, intelligitur tenuis et vilis, qualis eſſe ſolet pauperum. In verbis v. 46. *Et dominam tenero detinuiſſe ſinu* videtur *detinuiſſe* elegantius, quam vulgatum *continuiſſe*, et pro *tenero*, coniectura Heynii *tepido* nobis arridet, quia ſinui Tibulli hoc magis conuenit; nolumus tamen Viro Ill. repugnare, ſcribenti: *Sed nil mouendum, eſt epitheton ſimpliciter ornans.*

Non ego laudari curo v. 56. ſuauius legitur *Non ego laudari cupio.* — Quod *duro praecordia ferro Vincta* v. 64. nihil aliud ſint, quam rigidus, durus, qui nullius miſeriae aſpectu mouetur animus, non ſolum accurate oſtenditur, ſed etiam aliorum poëtarum exemplis clarius illuſtratur. Vti dii, deaeque incedunt caput nimbo vel aëre cincti: ſic Mors v. 70. eleganter deſcribitur *tenebris adoperta caput*, ad quem locum carmen, quod Neoptolemus Philippo Macedoni cecinit apud Diod. XVI, 92. explicatur, et Gratius Cyneg. 348. nec non Iov. Pontanus Amor II, 1: qui id lepide ad noctem transtulit, laudantur. *Rixas inſeruiſſe iuvat* v. 74. dictum pro ſimplici, ſeruiſſe, h. e. rixari cum riualibus et amicis aditum prohibentibus, Tibullus enim loquitur de *leui Venere*, ſeu de furtis iuuenum, hinc plus in-

di-

Digitized by Google

dicari videtur, quam dulces amantium rixas commemorare, quod etiam ſenes facere ſolent. At Elegiae priori Tibulli, acumine atque doctrina abrepti, elegantia ſuauitateque animaduerſionum Ill. Heynii capti, tam diu immorati ſumus, vt iam vela contrahere iubeamur, lectorumque noſtrorum rogemus veniam. quod non omnes doctrinae copias, non omnes has delicias explicare, vnoque quaſi intuitu ſpectandas admirandasque exponere potuerimus. Inſtituti enim ratio nos breuitatis ſtudioſos eſſe iubet, atque in multis egregiis locis difficile eſt ea eligere, quae prae ceteris attentione digna eſſe videantur. Liceat vero modo ea addere, quae Ill. Heynius de Sulpiciae et aliorum Elegidiis ſcripſit, cum quod iſta in priori editione deſiderantur, tum quod iudicio Viri acutiſſimi non parum tribui nouimus. Sequuntur (p. 187. ſcribit) carmina ad meum ſenſum mellitiſſima et venuſtiſſima ex tota antiquitate Romana: diuerſae vtique indolis, adeoque diuerſi coloris a ſuperioribus, vt quomodo a viris doctis Tibullo tribui potuerint vix intelligas; nam quod grammaticis et librariis hoc placuerit ſtatuere, minus mirandum. Brouckhuſius Tibulli ſtudioſum fuiſſe auctorem arbitrabatur, hanc tamen ſententiam recte deſtructum iuerunt Vulpius ad libr. IV, 2. et Vir doctus in Miſc. Obſ. Vol. VII. p. 337. docentes, non eam Sulpiciam intelligi, quae ſub Domitiano floruerit, cuius caſti in Calenum amores noti ſint, ſed eam, cuius furtiui amores in Cerinthum deſcribantur. Nec tamen Cerinthus, vt Vulpius credit, fuit ipſe Tibullus, alias enim ad ſe ipſum IV, 2. ſcripſiſſet, nec Sulpicia eſſe poteſt Delia, quod libertinam illam fuiſſe ex libro I, *6*, *67* probatum eſt. Fuit tamen puella mirae venuſtatis, petita illa et procata a multis iuuenibus, inter quos quoque vnus fuit ex Meſſalarum familia. Etſi itaque res ad liquidum perduci nequit: probabile tamen fit, luſus hos eſſe variorum hominum elegantium et nobilium, compoſitos ea aetate, qua Romae in nobiliſſimis gentibus vigebant litterarum ſtudia,

Digitized by Google

dia, cum vrbanitate coniuncta, qualis illa Auguſteo aeuo fuit.

Sed ſatis de his. Digniſſima enim et haec, et Tibulli carmina fuerunt, quae Ill. Heynii ingenio atque doctrina illuſtrarentur, cum mirae ſint elegantiae, dolendumque modo ſit, Tibullum in ſententiis ac verbis nonnunquam eſſe paulo negligentiorem, totumque in re amatoria verſari.

Rumor ait crebro noſtrum peccare Tibullum,
Nunc ego me ſurdis auribus eſſe velim.
Crimina non haec ſunt noſtro ſine iacta dolore,
Quid miſerum torques, Rumor acerbe? tace.

Tibull. libro IV. carm. 14.

IOHANNIS VORSTII DE HEBRAISMIS NOVI Teſtamenti Commentarius: acceſſere praeter Eiusdem cogitata de Stylo N. T. et Diatriben de Adagiis N. T. Horatii Vitringae animaduerſiones ad Commentar. de Hebraismis N. T. curauit IOH. FRIDERICVS FISCERVS.

Lipſiae, ſumtu Adami Frider. Boehmii, CIƆIƆCCLXXVIII. in 8.

Cum ſacrorum librorum vtriusque Teſtamenti interpretatio omnibus Theologiae ſtudio addictis quam maxime commendata eſſe debeat, eademque haud exiguis laboret difficultatibus, quae partim a rebus ipſis, partim a ſcribendi genere, quo ſacri ſcriptores vſi ſunt, obiiciuntur: ſumma ſapientiſſimi numinis cura, de ſalute hominum maxime ſollicita, egregie prouidit, ne deeſſent viri docti pii-

piique, qui de difficultatibus ſingulis vel tollendis, vel ſaltem leuandis, cogitarent, omnemque in eo collocarent operam, vt ſacrorum librorum interpretatio redderetur et certior, et facilior. Horum igitur, qui de ſacris litteris, adeoque de genere humano bene mereri ſtuderent, in numero fuiſſe, imo eminuiſſe, conſtat *Iohannem Vorſtium*, Gymnaſii Ioachimici Berolinenſis Rectorem, ante octo et nonaginta annos inter coelites receptum; qui cum videret libros N. T. haud recte intelligi, nec bene explicari poſſe, niſi quis prius graecarum, latinarumque litterarum accurata ſcientia inſtructus, in libris hebraicis V. T. probe verſatus, atque a continua verſionis Alexandrinae lectione recens, ad interpretanda N. T. ſcripta accedat, conſilium cepit veſtigia Georg. Paſoris, Thomae Gatakeri, inprimis vero Caſparis Vuyſſii, Profeſſoris Graecae linguae Tigurini, legendi, omnia, quae in ſacris N. T. ſcriptis hebraeae convenirent linguae, aut aliqua ratione ad eam pertinerent, colligendi, atque in certas claſſes diſtribuendi. Id conſilii primum aperuit Roſtochii 1651. libello, quem inſcripſit *cogitata de ſtylo N. T. quaedam*, quemque Thomas Crenius Exercitationibus Philologico hiſtoricis a ſe collectis inſeruit: quod cum viris peritis haud diſplicere Vorſtius intelligeret, executus eſt ſuum conſilium opere egregio, quod *Philologiae ſacrae* titulo innotuit, cuiusque pars prior Lugduni Batauorum anno ſeculi ſuperioris duo de ſexageſimo prodiit, quam ſeptem annis poſt pars poſterior ſecuta eſt, Amſtelodami impreſſa. Commentarii igitur huius Vorſtiani de Hebraiſmis N. T. quem titulum vtrique parti emtorum cauſa venditor praefigi voluit, quamuis anno huius ſeculi quinto Herbornae noua curaretur editio: tamen, cum longa annorum ſerie, tum emtorum copia accidit, vt et principis et repetitae editionis exemplaria ſaepius fruſtra in tabernis librariis quaererentur, nec tamen deeſſent, qui, quod hunc librum egregium, vtilem ac fructuoſum ſacrarum litterarum interpretibus eſſe cognoſcerent, illius vel

emendi, vel legendi cupiditate incenderentur. Ne igitur raritas huius libri hanc Theologiae ſtudioſorum cupiditatem extingueret, duci ac claritati interpretationis ſacrarum literarum officeret, obliuionem denique ac contemtum ipſi libro afferret: conſultum videbatur huius Commentarii nouam adornare editionem. Hinc *Ioh. Frid. Fiſcherus*, Vir, qui de diuinis humaniſque litteris egregie meretur, non modo auctor fuit librario, vt ſumtus huic operi inprimendo liberaliter ſuppeditaret; ſed etiam curam illius deſcribendi ita ſuſciperet, vt librum quidem integrum ac immutatum redderet, auctoritate tamen, conſilio, laudibus, iuuenes ſacrarum litterarum ſtudioſos ad librum ſibi maxime vtilem atque fructuoſum accuratius et cupidius legendum inſtigaret, atque impelleret. Quum ex ipſa huius libri inſcriptione facile intelligatur, Vorſtium hoc libro egiſſe de Graecis vocibus et phraſibus N. T. ad linguae hebraicae tum temporis vſitatae ingenium expreſſis, ita quidem, vt explicaret voces, quae vel nouam aliquam ſignificationem receperunt, vel noue ſaltem vſurpatae, aut aliis denique modis ſunt affectae, et illuſtraret phraſes, quae iuxta hebraeas phraſes ita ſunt expreſſae, vt verbum de verbo ſit redditum. Breuiſſimis modo quid Fiſcherus V. Cl. praefando dixerit, quoque ratione librum iſtum commendarit, videamus. Poſteaquam idoneum librorum N. T. interpretem accurata non Graecae modo, ſed et Hebraeae Latinaeque linguarum ſcientia excellere, atque omnia praecepta ac leges noſſe debere oſtendiſſet, quarum ad normam dirigenda ſit opera et diligentia, cum in conſtituenda lectione, tum in ſenſu loci cuiusque reperiendo: in laudes Vorſtii excurrit, oſtendendo, eum ſine vlla controuerſia in numerum Grammaticorum et Criticorum bonorum eſſe adſcribendum, laudando monumenta, quae Vorſtii ingenio atque induſtriae debentur, demonſtrando denique breuiter, eum, multis ac magnis antiquae doctrinae praeſidiis inſtructum, ad orationem N. T. ex genio linguae hebraeae illuſtrandam acceſſiſ-

ſe.

ſe. Qua vero ratione in noua editione curanda verſatus ſit *Fiſcherus* his ipſe verbis commemorat: „Librum Vorſtii „ipſum integrum et immutatum reliquimus, neque enim „videbamus, cur vel reformandum, vel vlla parte ſua trun„candum eſſet opus illud, cuius fabrica et ſtructura ſemper „tuliſſet laudes grauiſſimorum iudicum maximas. — Cae„terum non negamus, multa corrigi in opere Vorſtiano „poſſe; neque inficiamur, plura etiam adiici, cuique He„braismorum claſſi, atque adeo numerum ipſarum claſſium „non paucis aliis augeri, licere. Namque nihil hoc in ope„re dictum eſt de crebra et propemodum conſtanti coniun„ctione duorum pluriumue nominum et verborum, etiam „formularum, quarum vnius notione iam reliquarum notio „contineatur, ſed cuius coniunctionis veſtigia vel nulla, vel „pauciſſima occurrant Graeca legentibus; nihil de ordine „et collocatione verborum multis locis diſcrepante ab ea, „quam Graeci ſcriptores ſequuti reperiuntur; nihil de vſu „temporum, nihil de Adiectiuis Subſtantiuorum comitibus „nouis et inuſitatis; nihil denique de ſtructura et compoſi„tione verborum inſolenti ſaepe, et inaudita." Iſta vero hebraismorumgenera, ſi Deo videbitur, quod optamus, Fiſcherus in noua libelli Leusdeniani editione attinget, et libellis peculiaribus perſequetur. Iam quidem de mendis operarum tollendis laborauit *Chriſt. Dan. Beckio*, Lipſienſi nunc A. M. laboris ſocio, deinde id egit, vt loci vtriusque Teſtamenti omnes recte laudati, et emendate deſcripti apparerent, et ſedes verborum ex aliis libris a Vorſtio laudatis indicarentur, quam operae partem *Godofr. Findeiſenius*, Artium Magiſter, ſubleuauit. Praemiſſis tandem Vorſtii Cogitatis de ſtylo N. T. et ſubiectis Horatii Vitringae C. F. Animaduerſionum ad Vorſtii Commentarium ſpecimine, hanc iteratam editionem Fiſcherus augendam ornandamque putauit. Aliquando illum commemorantem audiuimus, ſe, cum primum Lipſiam ſtudiorum cauſa veniſſet, ſibi Vorſtii Philologiam, tanquam ſuppellectilem vtilem ac neceſſariam,

ſtatim

ſtatim comparaſſe, atque ab illo inde tempore in deliciis habuiſſe; quod tanti Viri praeclarum exemplum vt iuuenes Theologiae operam dantes, quibus non eſtres nimis arcta et anguſta domi, ſequantur omnes, vehementer optamus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Cal ndis Martii Anno MDCCLXXV.

E S A I A S.

EX RECENSIONE TEXTVS HEBRAEI AD Fidem' Codd. quorundam Mſpt. et verſionum antiquarum, latine vertit, notasque varii argumenti ſubiecit, IO. CHRISTOPH. DOEDERLEIN, S. Theol. Lic. ac. Prof. P. O. in Acad. Altorfina.

Altorf. MDCCLXXV. octonis.

Quam arduam, quamque difficilem habeant prouinciam ii, qui linguam Hebraeam transferre ſuſcipiunt in Latinam, quae toto coelo ab illa differre intelligitur, viri vtriusque docti atque periti maxime ſentiunt atque cognoſcunt. Nam litteris Hebraicis et Latinis leuiter tantum imbuti nil niſi verba verbis mutare curant, cum illi contra omnem Scriptoris alicuius mentem perſpicue exprimere ſtudeant, et qui-

Digitized by Google

ſtatim comparaſſe, atque ab illo inde tempore in deliciis habuiſſe; quod tanti Viri praeclarum exemplum vt iuuenes Theologiae operam dantes,, quibus non eſtres nimis arcta et anguſta domi, ſequantur omnes, vehementer optamus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLXXV.

ESAIAS.

EX RECENSIONE TEXTVS HEBRAEI AD Fidem Codd. quorundam Mſpt. et verſionum antiquarum, latine vertit, notasque varii argumenti ſubiecit, IO. CHRISTOPH. DOEDERLEIN, S. Theol. Lic. ac. Prof. P. O. in Acad. Altorſina.

Altorf. MDCCLXXV. octonis.

Quam arduam, quamque difficilem habeant prouinciam ii, qui linguam Hebraeam transferre ſuſcipiunt in Latinam, quae toto coelo ab illa differre intelligitur, viri vtriusque docti atque periti maxime ſentiunt atque cognoſcunt. Nam litteris Hebraicis et Latinis leuiter tantum imbuti nil niſi verba verbis mutare curant, cum illi contra omnem Scriptoris alicuius mentem perſpicue exprimere ſtudeant, et qui-

Digitized by Google

quidem ita, vt ſimul vſus loquendi Latinorum habeant rationem. Quod profecto negotium permagnum eo maioribus difficultatibus neceſſario implicatur, quo quis V. T. Liber ex genio linguae Hebraeae ſublimior et elegantior aeſtimatur. Iam quis eſt, qui, ſi vel mediocriter lingua Hebraea ſit tinctus, Eſaiae Vaticinium omnium Librorum V. T. non iudicet et elegantiſſimum, et obſcuriſſimum? Nihilominus tamen hunc librum Doederlinus V. Cl. nuper elegantiſſima et diligentiſſima Verſione latina, quae multis magnisque Commentariis longe praeſtat, donauit. In qua perficienda hoc maxime propoſitum habuiſſe videtur, vt, conſideratis ſingulis verbis Hebraicis, eorum ſenſum verum pure atque eleganter redderet latinis. Quam vertendi rationem in vniuerſum quidem reprehendere non ſuſtinemus, at in vaticiniis interpretandis aliter fortaſſis res ſeſe habet. Nam ſuo quaſi iure Vates poſtulare videntur, vt in ſingulis quibusdam locis, quae quidem in vniuerſum nominari nequeunt, propheticum dicendi modum, quamvis a Latinorum conſuetudine abhorreat, in verſione retineamus. Itaque omnibus et ſingulis alicuius loci rebus quam diligentiſſime perpenſis, Interpretem quemque ſuum ſenſum, optimum de hac re iudicandi magiſtrum, in conſilium adhibere oportet.

Animaduerſiones porro, quibus Vir doctiſſimus hanc Eſaiae verſionem exornauit, duplicis ſunt generis, partim artem criticam, partim Philologiam reſpicientes. — Iam vt iis, quorum intereſt, de quibusdam rebus cum maxime ad rem criticam pertinentibus, Cl. Doederlini ſententiam cognoſcere, ſatisfaciamus, de hac parte nunc accurate, breuiter tamen, agemus. De textus Hebraei emendatione, quae quaeſtio ſaepiſſime, vti ſatis conſtat, in controuerſiam eſt adducta, V. Cl. ſententia eo redire videtur, vt iudicet, eos omnino Litteris ſacris male conſulere, qui, orta difficultate aliqua, ſtatim in coniecturas incidunt. Sed

con-

contra eos quoque fortiter pugnat, qui omnem rei criticae vſum ſuperſtitioſe et aniliter reſpuunt, atque adeo damnant, et Codices ſacros ab omnibus Librariorum vitiis vacuos eſſe acriter defendunt. Quamobrem et ipſe cl. verſionis auctor varias lectiones, a viris doctiſſimis, Lilienthalio, Ruckersfeldero, Vogelio, Schützio collectas, nec non eas, quas ex duobus, qui Noribergae adſeruantur, Codicibus, Nagelius V. Cl legit, ſaepiſſime in auxilium vocauit. Verſiones et am antiquas omnes ſedulo contulit, verum ita, vt eas emendare potius, quam earum lectiones ad textum Hebraicum accommodare videretur. Ita cap. XIX, 10. verba Hebraea: שְׁחִתָיה מְדַכְּאִים Theodotion graece reddidiſſe fertur: ταπεινὰ αὐτῆς τεταπεινωμένα, Cl. Doederlinus per coniecturam vidit, τὰ πῖνα eſſe legendum. Cap. XXXVII, 13. Interpretes Alexandrini verba Hebraica: הֵנַע וְעִוָּה ita retinuerunt, vt in vnum, Ἀναγουγάνα, contrahere viderentur. Sed latinae Verſionis auctor Ἀνα καὶ Γανα, praeeunte Arabica, ex Graeca facta, emendare voluit. Sic cap. XLIII, 12. pro ὠνείδισα *exprobrauit*, exprimens hebr. הִשְׁמַעְתִּי Cl. Doederlinus ἰώτισα legit. Cap. XLVII, 2. duplex Symmachi verſio verborum: גַּלִּי צַמָּתֵךְ, altera κάλυψαι τὰ ὦτα apud Procopium, altera τὸ σιωπηλόν σου apud Hieronymum, qui graeca *taciturnitatem tuam*, *quod taceri debeat prae verecundia*, eſt interpretatus, recenſetur. Sed pro ὦτα, quod hebr. צמתך prorſus non exprimit, Libri auctor ὤα, *fimbria*, *ora veſtis*, eſſe legendum cenſet. Quae coniectura maxime ob Gloſſam Heſychii, ὤας per κόμας explicantis, qui fortaſſis ad locum Symmachi reſpexerit, ad veritatem proxime accedere videtur. Porro verbis τὸ σιωπηλόν σου, Cl. Doederlini iudicio, Symmachus minime τὸ צמתך, vti vulgo putatur, ſed שבל, quod paulo poſt legitur, ſignificans σωπηλον, ex quo haud dubie σιωπηλον eſt ortum, exprimere voluit. At, licet hoc concedamus, σου tamen, cum שֹׁבֶל ſine Affixo legitur, non habet quo referatur. Cap. LVII, 11. Aquilae verba,

N 2

וּמֵעוֹלָם נָאוֹתִי לֹא תִירָאִי in ſuam linguam ſic transtu-lit: *διέμεινες ἐξ αἰῶνος ἄφοβος καὶ ἀνευλάβης.* Montefalconius huius verſionis deprauationem ſentiens, eam integritati reſtituere putauit, ſi *βλάβης*, cui tamen hebraicum non reſpondet, legeret. Rectius latinae verſionis auctor, levi mutatione, *ἀνευλάβης* in *ἀνευλαβὴς*, *impius, cui nulla εὐλάβεια, religio eſt,* conuertit.

Verba textus, quoad litteras Cl. Doederlinus, duobus modo locis exceptis, (qui ſint, ſtatim indicabimus), pro arbitrio non mutauit. Prior nimirum Cap. XIV, 5. 6. extat, vbi pro מַרְדֵּף, parallelismo membrorum ſic poſtulante, vt רֹדֶה habeat, cui reſpondeat מַרְדֵּת legit. Quam lectionem, vti poſtmodum cognouit, haud dubie iam Chaldaeus Interpres eſt tuitus. Nam Chaldaica verba latine ſic poſſunt reddi: *ſeruire faciens populos ſeruitute irremiſſa.* Noſter hunc locum ſic eſt interpretatus: *Iehovah confregit faſces improbi, qui populos inclementer, irremiſſo ictu, feriebat, ſceptrum tyrannorum, quod efferre gentes regebat, nemine tyrannidem prohibente.* Alter Cap. XXX, 7. legitur, vbi Cl. Doederlinus haec tria verba: רַהַב הֵם שָׁבֶת in duo רַהַב הַמָּשְׁבָּת contraxit, commotus maxime eo, quod vulgaris lectio non facile admittit explicationem. Noua igitur loci emendati Verſio haec eſt: *Nequidquam fruſtra ſuccurret Aegyptiis, ideoque nomen ei dedi: Rahab, quieſcens.*

Sententia porro Doederlini, Viri doctiſſimi, de Hebraeorum Accentibus et Vocalibus, vtique paulo liberior et durior multis videbitur. Nam, *plane perſuaſus*, inquit, *non humanae tantum, ſed recentioris plane artis inuentum eſſe.* Quamquam vero, Vocales, quae ad noſtra tempora venerunt, recentioris eſſe aetatis, quam litteras, concedamus; tamen in conſtituenda vera lectione non minoris ſunt momenti quam ipſae litterae, quibus quaſi inſeruire videntur.

Nam

Nam vtrumque, et Vocalium et Litterarum mutatio, multum facit ad ſenſum verum et genuinum aut efficiendum, aut peruertendum. Igitur nobis videtur, loco Vocalium antiquiſſimis iam temporibus ſigna quaedam fuiſſe in vſu, ne lector incurreret in ambiguitatem. Sed haec obiter ſint dicta, quia animaduertimus Cl. Doederlinum nonniſi ex antiquarum verſionum auctoritate, aut conſentiente contextu, puncta, quae Vocales vulgo appellantur, mutaſſe. Sic Cap. XXX, 19. יֹשֵׁב pro יֵשֵׁב legit. Cap. XXXVIII, 9. loco בֹּעַר mauult legi בַּעֵר, a. r. בער ſiue עור *excutere, ſpoliare*. Sed notionem *ſpoliandi*, quoniam ea, quantum ſcimus, hebr. בער ſ. עור in nullo V. T. loco tribuitur, merito in dubium vocamus, defendimusque potius lectionem vulgarem, quae commodum omnino ſenſum habet. Nam בֹּעַר ſignificat, quod nemo neſcit, *rugire*, quae ſignificatio huic loco optime conuenit. *Baſan et Carmel* h. l. per Metonymiam dicta ſunt pro feris in regionibus iſtis habitantibus; verti igitur poſſunt haec verba ſic: *Baſan et Carmel clamoribus* [ferarum] *reſonant.* — Cap. XLIII, 14. in loco longe difficillimo verbum בָּרִיחִים quod *fugientes, fugitiuos* ſignificat, ita latine reddidit, ac ſi eſſet, בְּרִיחֵיכֶם *veſtri cauſa*, ſunt Verſionis verba, *ad Babylonios hoſtes ablego: eosque omnes ad molas, atque Chaldaeos ad triremes, quae laetitia perſonuere, contemnendos efficiam.* Nam ברִיחִים reſpondere τῷ באֳנִיּוֹת ſibi Cl. Doederlinus habuit perſuaſum; quod vt probaret, ad Cap. XLVII, 2. קְחִי רֵחַיִם *prehende molam* — prouocauit. Cap. XLV, 24. pro עָדָיו, *ad eum*, ex huius Viri doctiſſimi emendatione עֵדָיו, *teſtis eius*, venit. At quoniam haec lectio עֵדָיו ſimul requirit, vt יָבוֹא mutetur in יָבוֹאוּ, *venient, accedent teſtes eius*, nobis placet in vulgari acquieſcere, atque verba: עָדָיו יָבוֹא, quod commode fieri poteſt, ad praecedentia בַּיהוָֹה צְדָקוֹת וָעֹז referre hoc ſenſu: *Ioua, de me dicent, ſ. dicetur, verus eſt ſummus Deus,* עדיו יבוא *hunc adite.* Sic tertia perſona ſaepiſſime impersonaliter ponitur, aut אִישׁ ſubintelligitur.

Caeterum ad explicationem verborum צדקות et עז quod attinet, Doederlinus V. Cl. qui ea de veri Dei cognitione inter omnes gentes capit, plane conſentimus. Totum hunc locum verſionis Auctor ſic latine expreſſit: *Ioua, de me profitebitur, verus eſt et ſummus Deus. His teſtibus praeſentibus Iehouae aduerſarii pudefient.* Ac de parte critica quidem, cui nulla re philologica cedit, ſatis dictum eſt.

In vniuerſum huius partis adnotationes aut verſionem vindicare, aut ipſum Eſaiae Vaticinium explicare videntur; quarum aliae regionum deſcriptionem comprehendunt, aliae ex hiſtoria politica et naturali, ea quae lucem aliquam accendere poſſint, continent; maximus autem earum numerus tam Vaticiniorum ipſorum, quam ſingularum eorum partium connexionem, aliasque res, de quibus Propheta cogitaſſe videtur, complectitur. Quae interpretandi ratio, ſingulis verbis recte ſatisque intellectis, ad eruendum verum Prophetarum ſenſum, et aptiſſima eſt, et certiſſima. Displiceat fortaſſis quidem haec methodus, quoniam hac ratione nonnulla, quae de Chriſto interpretantur, vaticinia, longe alium habuiſſe euentum apparet, iis, qui dogmatum veritatem religionis Chriſtianae, non argumentorum euidentia, ſed multitudine metiuntur. Verum qui hac peruerſa opinione tenentur, neutiquam conſiderare videntur, ſeſe multo magis obeſſe quam prodeſſe veritati. Omnis enim veritas, quod e vita communi poteſt illuſtrari, facile ſuſpecta redditur, ſi argumentis dubiis, et ad probandum infirmis, quamuis multis, eam ſtabilire conentur. Quae periculoſa ſententia in hac re eo plus habet admirationis, quo minus pro diuinitate Chriſti, omnibus leuis momenti reiectis, deſunt teſtimonia in Litteris ſacris euidentiſſima et certiſſima, quae ne acerbiſſimi quidem atque tenaciſſimi aduerſarii irrita reddere valeant. Itaque plane non intelligimus, quibus ex cauſis haec Prophetas explicandi ratio ſit negligenda, atque adeo damnanda. Sed, ne

rei

rei, viris doctis ſatis cognitae atque perſpectae, admodum diu immorari videamur, iam ea, quae pro inſtituti huius ratione exſpectent omnes, addemus. De interpretatione loci, quo angeli magnas in Aſſyriorum caſtris ſtrages edentis ſit mentio, Cl. Doederlinus eorum, qui miraculum tollere ſuſtinent, ſententiam ſequitur. Nam Aſſyrios per *Sammum* ventum, qui venena ſpirare putatur, fuiſſe caeſos contendit. At huic opinioni ſcite excogitatae huius venti effectus non fauent, nam, quantum conſtat, vim ſuam peſtiferam tantum in eos, quibus reflat, exerit; verum Aſſyriorum exercitus tunc temporis in tabernaculis ſe tenebat. Nocet porro nemini, qui humi iacet; at Aſſyrii, tradente Eſaia, hanc ingentem cladem noctu, cum omnes dormirent, acceperant. Quid igitur eſt, quod, cum res non ſit clarior, ſed obſcurior, neque difficultates minuuntur ſed potius augentur, de vulgari ſententia decedere nos moueat? — Locus Cap. XLI, 1—4. vtrum de Abrahamo ſolum, an potius de omni Iſraelitico populo ſit intelligendus, Cl. Doederlinus dubius haeret. Vitringae aliorumque, qui hunc locum de Cyro ſunt interpretati ſententiam, ob comma maxime quartum, exploſit, dicens: *nihil, ſi quid video, probant, quam attributa omnia Cyro conuenire.* At haec ſatis graui argumento eſſe poſſunt, vt errent ii, qui hunc locum de Cyro non intelligant. Accedunt praeterea etiam ad hoc loca parallela, quae v. 25. et cap. XLV, 1—13. reperiuntur, vbi nominatim Propheta Cyri fecit mentionem. Dubium vero, quod Cl. Doederlinus de Praeteritis פעל ועשה v. 4. mouit, tollitur, ſimulac per Praeſentia, quod vtique facere licet, latine reddantur, vti et ipſe v. 1. verba in forma futuri per praeterita in latinam linguam tranſtulit. Denique v. 2. et 3. quomodo de Abrahamo poſſint explicari, non intelligimus. — Cap. LII, 14. Cl. Doederlinus in tot fere difficultates, quot verbis hic locus continetur, incidit. Lectionem vulgarem עָלֶיךָ retinuit quidem, ita tamen, vt putaret, Prophetam non Meſſiam, ſed

ſed vniuerſum populum Iudaicum alloqui. Verſio huius loci eſt haec: *Sicuti plurimi te, o Zion, viſa ſtupebant, ita ille corruptam et ignobilem magis quam reliqui homines habet formam: ita addictas ſibi reddet nationes plurimas* [יַזֶּה ab arabico נָזר, *addictum, deditum eſſe alicui*, doctiſſimus verſionis Auctor deduxit]: *reges eo viſo obmuteſcent, quippe qui res cernant, quas nondum audiuerant, et inaudita iam cognoſcant.*— Verbis cap. LXV, 20. וְהַחוֹטֶא בֶּן־מֵאָה שָׁנָה יְקֻלָּל libri Auctor hunc ſenſum tribuit: *annum*, inquit, *centeſimum, vltimam fere ſtadii noſtri metam, in ſeculo aureo pueritiae quaſi tempus fore, vt qui centenario minor obierit, ei numen ſummum iratum fuiſſe credatur.* Dicitur itaque חוטא h. l. vti Iud. XX, 16. ſignificatu primario, quo *a ſcopo aberrare* denotat. Hanc autem Interpretationem contextui omnium optime conuenire, quis eſt qui non intelligat?— Reſtat vt Clauis, quam doctiſſimus huius Libri Auctor edere promiſit, fiat mentio. Erit autem illa ſic comparata, vt vberiorem explicationem verborum שמחה, שלום, קרא, צדקה, ברית, בחר, exhibeat. Nam rationes, quibus commotus haec verba diuerſe in latinum tranſtulit, Cl. Verſionis Auctor raro attulit. Vt igitur ſe ſuaque iis quoque commendaret, qui haec deſiderauerint, ſeparatim de his verbis differere conſtituit; quem librum quam cupidiſſime exſpectamus.

DEMONSTRATIO ASSERTI, AEQVATIONEM tertii gradus, methodo Tſchirnhauſii reſolutam, tribus radicibus imaginariis conflatam eſſe poſſe.

MONITVM.

Regula Analyſtarum huc vsque vniuerſalis credita: *quamlibet aequationem impari gradus certo habere debere vnum factorem realem*, per methodum reſoluendi aequationes a celeberrimo le Grange explicatam, exceptionem pati videtur. Quodſi enim aequatio tertii gradus $x^3 + 6x^2 + 9x + 1 = 0$, ſtatuendo $x^2 = tx + (\text{ſ} + y)$ transformetur

tur in aequationem $y^3 + A y^2 + B y + C = 0$; et ponantur $A = 0$ ac $B = 0$; inuenientur valores ipſorum t et ſ imaginarii. Deinde ex $y^3 + C = 0$, elicietur valor ipſius y cubicus itidem quantitate imaginaria affectus. Vnde ſubſtituendo pro t, ſ, y valores inuentos, x neceſſario valorem induet imaginarum valde complicatum; hic in $x^3 + 6x^2 + 9x + 1 = 0$ diuiſus dat aequationem quadraticam $x^2 + px + q = 0$ ex meris imaginariis compoſitam, quaque reſoluta tres prodeunt factores imaginarii pro aequatione cubica data $x^3 + 6x^2 + 9x + 1 = 0$, qui ſi iuſte iterum in ſe inuicem multiplicenter aequationem datam reſtituunt. Examen modo recto inſtituatur, non fallit.

Totum negotium nititur calculo ſecundum regulas inſtituto, quas Celeberrima *de la Grange*, tanta ſagacitate, in Diſſertatione, cui titulus eſt, Reflexions ſur la reſolution algebraique des aequations, explicuit. Videantur Nouveaux Memoires de l'Academie des Sciences et B. L. de Berlin année 1770.

Applicetur hunc in finem exemplum generale in §. 10. citatae Diſſertationis exſtans pro aequatione cubica

$$x^3 + mx^2 + nx + p = 0;$$

ad exemplum ſpeciale ſequens

$$x^3 + 6x^2 + 9x + 1 = 0;$$

Aequatio ſubſidiaria a Tſchirnhauſio praeſcripta, eſt $x^2 = bx + a + y$; hic b. a, et y ſunt quantitates incognitae negatiuae. Aequationem datam per ſubſidiariam vi §. 11. diuidendo

$$x^2 - bx - (a+y) = 0 \,[\, x^3 + 6x^2 + 9x + 1 = 0 \,)\; x + (b+6)$$

$$\underline{x^3 - bx^2 - (a+v)x}$$

$$(b+6)x^2 + [9-(a+y)]x + 1$$

$$\underline{(b+6)x^2 - (b^2+6b)x - (b+6)(a+y)}$$

erit reſiduum $[(b^2+6b+9)+(a+y)]x + 1 + (b+6)(a+y) = 0$

vnde $x = - \dfrac{[1 + (b+6)(a+y)]}{b^2+6b+9+a+y} = \dfrac{f+gy}{k+y}$ (per §. 17.)

 Pro-

Proſequendo porro calculum ſatis clarum §. 10. pag. 149. exſtantem peruenimus pag. 150. ad aequationem quadraticam ſolam incognitam b continentem $(m^2-3n)b^2+(2m^3-7mn+9p)b+(m^4-4m^2n+6mp+n^2)=0$, in hac aequatione ſubſtituendo pro m, n, p reſpectiue 6, 9, 1, fiet $(6^2-3.9)b^2+(2.6^3-7.6.9+9.1)b+(6^4-4.6^2 9+6.6.1+9^2)$; ſeu $(36-27)b^2+(432-378+9)b+(1296-1296+36+81)$; ſeu $9b^2+63+b117=0$; ſeu $b^2+7b+13=0$; adeoque $(b^2+7b)=-13$; et $(b+\frac{7}{2})^2=\frac{49-52}{4}=-\frac{3}{4}$; vnde

$$b=\frac{\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}-\frac{7}{2}\text{; atque ob}$$

$$a=\frac{mb+m^2-2n}{3}\text{; (pag. 149);}$$

$$a=\frac{\frac{6\sqrt{3}\sqrt{-1}-42}{2}+36-18}{3}$$

$$=\frac{6\sqrt{3}\sqrt{-1}-42+72-36}{6}=\sqrt{3}\sqrt{-1}-1;$$

En valores imaginarii pro b, et a, prodeuntes, ope quorum termini Ay^2, et By ex aequatione reducta $y^3+Ay^2+By+C=0$, exeunt, manetque $y^3+C=0$, quorum valorum vero examen lectori perito relinquo.

Quoniam vlterius per pag. 149; eſt $3a=mb+m^2-2n$; ob $A=0$ (per hyp.); itemque (per hyp.);

$B=3a^2-2a(mb+m^2-2n)+nb^2+(mn-3p)b+(n^2-2mp)=0$; hoc eſt $3a^2-6a^2+nb^2+(mn-3p)b+(n^2-2mp)=0$; Vnde $nb^2+(mn-3p)b+(n^2-2mp)=+3a^2$; erit

$C=a^3-(mb+m^2-2n)a^2+[nb^2+(mn-3p)b+n^2-2mp]a-p(b^3+mb^2+nb+p)$
$=a^3-3a^3+3a^3-p(b^3+mb^2+nb+p)$; ſeu

C=

Digitized by Google

$C = a^3 - p(b^3 + m b^2 + n b + 1)$; ſeu $C = a^3 - (b^3 + 6b^2 + 9b + 1)$; hoc eſt ob $a^3 = 8$; $b^3 = +18\sqrt{3}\sqrt{-1} - 35$; $b^2 = \frac{23 - 7\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}$;

$C = 8 + 35 - 18\sqrt{3}\sqrt{-1} - 69 + 21\sqrt{3}\sqrt{-1} - \frac{9\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2} + \frac{63}{2} - 1$; hoc eſt

$C = \frac{16 + 70 + 63 - 138 - 2}{2}$

$+ \frac{(42 - 36 - 9)\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}$; ſeu

$C = \frac{149 - 140}{2} + \frac{(42 - 45)\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}$; h. e.

$C = \frac{9 - 3\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}$; adeoque $y^3 + \frac{(9 - 3\sqrt{3}\sqrt{-1})}{2} = 0$; et $y = -\sqrt[3]{\frac{(9 - 3\sqrt{3}\sqrt{-1})}{2}}$;

Cum iam ſit $x = \frac{-1 - ab - 6a - (b+6)y}{b^2 + 6b + 9 + a + y} = \frac{f + gy}{k + y}$ erit $f = -1 - ab - 6a = -1 - 2 + 4\sqrt{3}\sqrt{-1} + 6 - 6\sqrt{3}\sqrt{-1} = 3 - 2\sqrt{3}\sqrt{-1}$. Porro: $g = -b\ 6 = \frac{+7.\ \sqrt{3}\sqrt{-1}}{2} - 6 = \frac{-\sqrt{3}\sqrt{-1} - 9}{2}$. $k = b^2 + 6b + 9 + a = \frac{-1 - \sqrt{3}\sqrt{-1}}{2} - 1 + \sqrt{3}\sqrt{-1} = \frac{\sqrt{3}\sqrt{-}}{2}$; adeoque $x =$

$$\frac{3 - 2\sqrt{3}\sqrt{-1}\ \frac{(\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)}{2}.y}{\frac{\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3}{2} + y}$$; ſeu

$x =$

$$x = \frac{6 - 4\sqrt{3}\sqrt{-1} - (\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)y}{\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3 + 2y};$$ ſeu

$$x = \frac{-(4\sqrt{3}\sqrt{-1} - 6) - (\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)y}{(\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3) + 2y};$$ ſeu

$$x = \frac{-(4\sqrt{3}\sqrt{-1} - 6) + (\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)\sqrt[3]{\frac{9 - 3\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}}}{(\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3) - 2\sqrt[3]{\frac{9 - 3\sqrt{3}\sqrt{-1}}{2}}};$$ ſeu

$$x = - \frac{[(4\sqrt{3}\sqrt{-1} - 6) - (\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)\sqrt[3]{(\ldots)}]}{(\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3) - 2\sqrt[3]{(\ldots)}}$$

hinc primus factor aequationis datae $x^3 + 9x^2 + 9x + 1 = 0$

eſt $x + \frac{[(4\sqrt{3}\sqrt{-1} - 6) - (\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)\sqrt[3]{(\ldots)}]}{(\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3) - 2\sqrt[3]{(\ldots)}}$;

vbi notandum eſt $(\ldots)$ indicare valorem ipſius C.

Adeoque veritas, primum factorem, ſeu primam radicem, aequationis propoſitae $x^3 + 6x^2 + 9x + 1$, imaginarium eſſe, ſatis aperta eſt. Ad reliquos vero duos factores, quod attinet, non niſi per diuiſionem aequationis datae per factorem noſtrum inuentum, et per reſolutionem quoti, ſeu aequationis quadraticae ex diuiſione ortae, reperiuntur, id quod exactitudinis obſeruandae cauſa paululum laborioſum eſt.

Eſt vero quotus iſte ex diuiſione ipſius

$$x + \frac{[(4\sqrt{3}\sqrt{-1} - 6) - (\sqrt{3}\sqrt{-1} + 5)\sqrt[3]{(\ldots)}]}{(\sqrt{3}\sqrt{-1} - 3) - 2\sqrt[3]{(\ldots\ldots)}} = 0;$$ in

aequationem propoſitam $x^3 + 6x^2 + 9x + 1 = 0$; ortus;

x^2

XXV.

$$x^2[(2\sqrt{3\sqrt{-1}-1-1^2-1})\sqrt[3]{(\ldots)^3}] = 0;$$

$(\sqrt{3\sqrt{-1}-3})$ -

Ex cuius aequatio = 0; nempe

$$3)\ x + [(2\sqrt{3\sqrt{-}}\ldots + (6\sqrt{3\sqrt{-1}-54})\sqrt[3]{(\ldots)^2}] = 0$$

et

$$3)\ x + [(2\sqrt{3\sqrt{-}}\ldots) + (6\sqrt{3\sqrt{-1}-54})\sqrt[3]{(\ldots)^2}] = 0$$

Calculus ipſe, tan

diuiſor x +

$+ x$

Diuidendus x^3 -

Reſiduum I. + [6-

ſeu [(2

[(2

$$\ldots \sqrt{}-1-7)\sqrt[3]{}(\ldots)] \cdot [(4\sqrt{}3\sqrt{}-1-6)-(\sqrt{}3\sqrt{}-1+5)\sqrt[3]{}(\ldots)]^2$$

$$\sqrt{}-1-3) - 2\sqrt[3]{}(\ldots)]^3$$

$$\left.\begin{array}{l}\sqrt[3]{}(\ldots)^2] \\ \hline \end{array}\right\} 2$$

$$12 \cdot 4\sqrt{}3\sqrt{}\cdot 1)\sqrt[3]{}(\ldots)-(2+2\sqrt{}3\sqrt{}\cdot 1)\sqrt[3]{}(\ldots)^2][(4\sqrt{}3\sqrt{}-1-6)-(\sqrt{}3\sqrt{}-1+5)\sqrt[3]{}(\ldots)]$$

$$(\sqrt{}3\sqrt{}-1-3)-2\sqrt[3]{}(\ldots)]^3$$

$\sqrt[3]{}(\ldots)^2]$; ſeu $1 - 1 = 0$;

$(\ldots)^2]$

$$)\sqrt[3]{}(\ldots) - (2+2\sqrt{}3\sqrt{}-1\sqrt[3]{}(\ldots)^2] = 0$$

$.)]^2$

$$2+(\sqrt{}3\sqrt{}-1-12+[(\sqrt{}3\sqrt{}-1-7)\sqrt[3]{}(\ldots)$$

$$5)\sqrt[3]{}(\ldots)] =$$

$= 48$

atur

licentur

ad Reſiduum

$+ (4+12 \sqrt{3\sqrt{-1}}) (\ldots)^{\frac{1}{3}}$

$(\ldots)^2$

= (

= (

Ex

Quotus

x² 3√−1)√ (. . . .) + (−2−2√3√−1) √ (....)²]·

(. . . .)]²

[−1) √ (....) + (46−14√3√−1)√ (.....)²]. Addatur

4

+x

erit: [$\overline{+}$[3 $\sqrt{}$ — 1 — 108) $\sqrt{}$ (....) + (6 $\sqrt{}$ 3 $\sqrt{}$ — 1 — 54) $\sqrt{}$ (. : . .)^2]

— 1 — 3) — 2 $\sqrt{}$ (....)]^2

$\overline{+}$— 1 — 108) $\sqrt{}$ (.....) + (6 $\sqrt{}$ 3 $\sqrt{}$ — 1 — 54) $\sqrt{}$ (......)^2]

— 3) — 2 $\sqrt{}$ (....)]

Vn

Et rias, quae, ſi iterum in ſe ducantur aequationem datam ab omni quantita

Nicare licet, ſine vllo vlteriori calculo, num aequatio quaedam cubica propoſit aginarium, prima radix, ſeu primus factor, ſine dubio imaginarius erit, cu os factores prodituros eſſe tunc imaginarios. E. gr. ſit propoſita $x^3 — 5$

$\cdot(-5)^2.\ (6)\quad +6\quad (—5)\quad (—2)\quad +\quad (6)^2] = 0$

$+ 6.10 + 36] = 0;$

$] = 0;$

ſeu $7b + \frac{121}{7};\ b^2 — \frac{58}{7}b + \frac{29^2}{49} = \frac{841}{49} — \frac{847}{49} = — \frac{6}{49}.\ b — \frac{29}{7} = \frac{\sqrt{6}\sqrt{-}}{7}$

Anonymus-Ged.

P.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS OPERA, VARIETATE lectionis, et perpetua Adnotatione illuſtrata, a CHR. GOTTL. HEYNE. TOMVS QVARTVS Carmina minora: accedit index vberrimus.

Lipſiae ſumtibus Caſpari Fritſch, 1775. octonis.

Quamquam Ill. Heynius Minora haec Carmina non videbatur adiecturus editioni ſuae fuiſſe, ſi promiſſi Indicis amplitudo et vbertas potuiſſet accedere tertii voluminis modulo; tamen optime factum, quod operis integritati et perfectioni conſulere, et his quoque dandis et illuſtrandis prodeſſe Virgiliano nomini, ad ſubtilitatemque iudicandi de ſuppoſitis et genuinis Auctorum libris, hoc exemplo mentes non dicam rudiorum, ſed eorum etiam qui ſapere videntur, acuere voluerit. Minoribus autem his carminibus Culex, Ciris, Catalecta, Copa, et Moretum comprehenduntur. Rectene an ſecus tribuantur Virgilio olim quaeſitum fuit, diuerſis animorum ſtudiis, negantibus aliis, aliis affirmantibus ſimpliciter et cupide, argumentorum valore in neutram partem multum efficiente. At quae ab Heynio prolata ſunt ad dirigendum iudicium idonea, iis nec acumen inuentionis, nec ponderis grauitas deeſt.

Sciendum eſt, in Virgilianis codicibus, abſoluto Aeneidos opere, ad ſpatium quod ſupereſſet vacuum explendum, ſcripta fuiſſe ab librariis quaedam, vt videtur, aliena carmina; iſtum morem per plurimos Codices propagatum cauſſam exſtitiſſe primam, cur ea Virgilio tribuerentur.

Horum vero poematum lectores, quod in aliis quoque carminibus feciſſe conſtat, in his multo magis ſibi in-

duſiſſe, non tam videntur, quam certis indiciis produntur, vt ſimilia vel Virgilii, vel aliorum poetarum loca adſcriberent, alia mutatis manente ſententia verbis exprimerent, alia expolirent, variarent, tentarent, ſollicitarent, interpolarent, prout cuiusque ferret ingenium ac voluntas; quibus carminibus ita exercitis ſi accederet librarius, deſcriptor praeſertim imperitus et lucro deditus, quis dubitet, eum, quae in margine, quae inter lineas exarata reperiſſet, in ordinem verſuum deinceps poſitorum intuliſſe. Quod monitum de longioribus inprimis illis, Culice et Ciri, valet. Nam fuiſſe aliquando *Culicem* inſcriptum carmen pro Maroniani ingenii iuuenili fetu habitum, locis Martialis, XIV. ep. 185. VIII. ep. 56, 19. 20. Suetonii in vita Lucani, et Statii Silu. II, 7, 14. conſtat. An tamen is, quem nunc manibus terimus, pro Maroniano Culice habendus ſit, dubitari poteſt. Et fuit aliquando ill. Editor in ea opinione, nos veterem Maronis Culicem non habere, quod exiſtimat etiam Franc. Oudinus, cuius eſt diſputatio de Culice Virgiliano in Miſc. Obſſ. Crit. nou. p. 307. T. IV. Nunc re penſitata concedit, fundamentum quidem carminis eſſe Culicem Maronianum, ſed attextas eſſe a Scholiaſtis et Grammaticis lacinias plurimas, quibus priſcus carminis nitor pleriſque in locis admodum attritus ſit, quibus illuſerint carmini indignis modis, quod inter luſus refertur ipſum argumenti ſui vi atque natura Hinc ne legi quidem poteſt cum delectatione, nec niſi ab iis, qui corruptelas dictionis ac ſententiae ſentire didicerint. Adeo hoc carmen cum ceteris, quae hoc quarto volumine continentur, proponi poterit adoleſcentibus, ad exercenda ingenia in critico ſtudio vel cognoſcendo, vel adhibendo.

Ac ſtatim in principe editione vulgatum hoc carmen inde in multis aliis editionibus repetitum, caruit emendatrici manu ante P. Bembum. Hic enim praeter alterum codicem, qui totum Virgilium complectebatur, ex Pontani Aca-

Academia, vſus alio eſt perantiquo, trunco tamen et mutilato codice, cui praeter *iuuenilis ludi* libellum, et Bucolica, ac Georgicorum primi libri partem, nihil ſupereſſet. In hoc autem libro iuuenilis ludi, cum aliis minoribus, quorum nomina, Dirae, Copa, Eſt et Non, Vir bonus, Moretum, Roſae, Culex quoque, continebatur. Bembi autem recenſio Culicis ex illo codice, praegreſſis tamen Aldi et Aſulani, qui eiusdem codicis vſum ab eo impetrauerant, ſtudiis, facta, reperitur in dialogo de Culice et Terentii fabulis. Deinceps Ioſ. Scaliger, Barthius in Aduerſariis, Taubmannus, illuſtrarunt hoc carmen, a quo tempore Bembina lectio coepit interpolari. Burmannianae maioris editionis, ſicut vbique, ſic etiam hic, lectionem retinuit ill. Editor. Optat autem, vt qui paſſim in bibliothecis, inprimis in regia Pariſienſi, ſunt horum carminum codices, aliquis excutiat. Helmſtadienſis quidem codex, et Koelerianus, quorum varietate ipſe vſus eſt, praeterquam quod aliquot bonas lectiones Aldinas firmabant, nihil admodum opis ferebant.

Cirin, carmen, qui Virgilio vindicant, argumentis fere vtuntur ſatis leuibus. Non illico alicui Poetae tribui poteſt, ſi quid eius ingenio indignum non ſit. Antiqua auctoritas nulla adhuc allata eſt. Senecae verba Ep. 92. *vt ait Virgilius noſter in Scylla*, non hoc carmen reſpiciunt, vt arbitrati ſunt multi, ſed Aen. III, 426. ſq. *in Scylla* enim, eſt in loco de Scylla: quod veriſſime monitum confirmat vetus conſuetudo citandi partes ſeu ſegmenta Carminis etiam Heſiodei, quod Opera et Dies inſcribitur, de qua videri poteſt Heinſius in Introductione, et Tho. Robinſonus in diſſertatione de Heſiodo. Laudibus Scaligeri et Barthii, quibus hoc poema celebrarunt, multa vitia eius obloquuntur. Laudetur vtique ab inuentione; at in ipſo tractu eius et exornatione multifariam peccatur. Idne carmen laudetur, in quo, quae amplificari debebant, vix verbo memorantur, quae tractata niteſcere nequeant, operoſo molimine di-

dilatantur? quod loca praebeat plurima ſcabra et horrida, verſus duriores, aut pedeſtri ſermone depreſſos, aut vano conatu corruptos ac ſenſu carentes. His expenſis ſtatuat quisque, Catullone an Valerio Catoni hoc carmen tribuere liceat? Qui Virgilio, qui alii Poetae, Auguſti qui vixerit aeuo, quia Meſſalae exordio ſatis diſerto inſcribitur, tribuat, indignis et foedis labibus corruptum et deprauatum tamen concedat neceſſe eſt.

Catalecta vt tribuantur Virgilio, cum inſtituto librariorum, qui ſpatium Virgilianorum codicum reſiduum, variis carminibus adpingendis explere ſoliti fuerunt, tum Grammaticorum, ſed Pſeudodonati et Pſeudoſeruii, auctoritate carentium, aſſerto receptum eſt. Grauior vtique Auſonii fides Technopaegnio: *De quid ſignificent catalecta Maronis.* Inſerta ſuis locis ſunt Anthologiae latinae Burmanni Secundi; hinc variam lectionem ibi prolatam adſcribendam ill. H. non putauit, ſed ea tantum perſequenda ſumſit, quae aut relicta videret, aut ad ſententiam verſuum conſtituendam pertinere iudicaret.

Copam et *Moretum* carmina, quae in Heinſiana et Burmanniana recenſione deſunt, propter eorum elegantiam adiicienda putauit. Eſt autem *copa*, non, vt vulgo putant, carmen in anum propolam ſcriptum, ſed inuitatio ad compotationem, et ad hilariter exigendum diem, et quidem auctumnalem, in taberna cauponaria: quo ſumto, ad veram eius interpretationem via, alioquin praecluſa, panditur. Caeterum copa non tam intelligenda eſt ea mulier, quae cauponae praeeſt, ſed vnaquaeque, nunc autem crotaliſtria, quae in caupona artem exercet. Nec, quia *caput Graia redimita mitella* dicitur, de vetula cogitandum cum Scaligero, quum etiam mitrarum ſeu faſciarum vſus puellis fuerit, earumque figura conſpiciatur in monumentis antiquis, tum aliis, tum Herculanenſibus.

Mo-

Digitized by Google

Moretum non minus elegans carmen, Idylli argumentum refert, ſcilicet ex vita priuata, et tenui hominum humili loco natorum, petito. Latius autem patet, quam vulgo exiſtimatur. Deſcribitur omnino prima dici pars, et quae mane fiant a ruſtico priusquam ad opus in agro faciendum exeat. Huic carmini Ill. H. ita fauet, vt maiori eclogarum Virgilianarum parti, in quibus ſententiae ex Theocrito mutuatae annumerentur, praeferat. Quod nobis ſecus videtur. Neque vero certa ratione exploratum habemus, Virgilium id habere auctorem Lectionem ipſe V. Ill. conſtituit, Aldina et Scaligerana emendatione pro fundo poſita.

His abſolutis, Addenda ſequuntur ad ſingulos Tomos reliquos modica, ſed ad primum Volumen ſatis ampla, inprimis in Codicum Elencho. In notis ad Virgilii verba multa retractantur; admonitiones noſtrae in his Actis litterariis expenduntur; Ruhnkenii V Cl. cum Ill H. communicatae proponuntur. In quibus ſunt exquiſita pleraque, nec ſine laudibus excipienda. Et omnis iſte in Virgiliano carmine illuſtrando labor ſuſceptus, ſummae curae, ſtudii, diligentiae, lectionis multae, et accuratae doctrinae pleniſſimum opus peperit. Abſtinemus exemplis; ſingulae pagellae teſtantur. — Index verborum Virgilii ad exemplum eorum indicum, qui Burmannianis poetarum editionibus inſunt, Maittariano, tanquam pro fundamento poſito, ſubiectus eſt.

SAM. FRID. NATHANAEL. MORI, GR. ET LAT. Lingu. Profeſſor. in Acad. Lipſ. de diſcrimine ſenſus et ſignificationis in interpretando, Commentatio.

Certum eſt, et vſu multo comprobatum, non poſſe quemlibet locum alicuius ſcriptoris ad verbum, vt aiunt, in aliam linguam transferri. Neque hoc in iis tantum fit, quae alicui linguae aut genti propria ſunt, veluti certa certarum re-

rerum vocabula, ſententiae, prouerbia, et quae nominatim dici ſolent idiomata; ſed alii loci in quouis libro bene multi reperiuntur, vbi nihil quidem eſt alicui linguae proprium, quos tamen qui ad verbum verti audierit, nihil vtique intelligat. Quantumuis enim homines opinionibus, natura, ſenſibus, facultate, et in vniuerſum modo cogitandi conſentiant: modus tamen cogitata et ſenſa eloquendi vtplurimum tantopere differt, vt, ſi quis linguas non nullasque ſcriptores quosdam comparet, interdum dubitandum videatur, an homines, tam diuerſa loquendi ratione vſi, eadem natura et facultate cogitandi praediti fuerint.

Quod autem negamus, omnia in aliam linguam ad verbum transferri poſſe, id hanc vim habet: *non poſſe vbiuis in alia lingua verbum eiusdem plane ſignificationis poni, cuius ſignificationis verbum in eo, quem quis vertit, loco legitur:* ſiue: non poſſe ſignificationes omnes ac ſingulas in vtraque lingua ita ſibi reſpondere, vt, tamquam par pari, ſic verbum verbo, ſignificatio ſignificationi, reddatur. Hoc, opinor, volumus, cum de hac re loquimur: et rem in omnibus exemplis ita ſe habere reperimus.

Atque diuerſitatis huius cauſae cum vniuerſis gentibus communes ſunt, vt aetas, mores, cultus; tum ſingulis ſcriptoribus propriae; in his indoles animi, vitae genus, doctrina, ignorantia: de quibus omnibus ac ſingulis tam crebro diligenterque ab aliis diſputatum eſt, vt res nullis amplius egere videatur verbis. Sed ex hac cauſarum obſeruatione conſequitur, in alia lingua ſupereſſe multum inculta e antiquitatis, quod aliae, pulcritudinem vbique adfectantes, omnino ſuſtulerint, aliae paſſim deterſerint: aliam multa per ambages dicere,[a] in nectendo potiſſimum et tranſeundo ab alio ad aliud, quae in alia ſoleant coarctari: aliam pluribus, aliam paucioribus omiſſionibus (ellipſes dico) ſolere vti: hanc tropis et allegoriis laetiorem eſſe, illam proprietate et ieiunitate ſeueriorem; hanc ancipitem et lubricam vagari, illam eſſe

a) Vid. Perizonius ad Sanctii Minerv. p. 434. 486. et paſſim.

eſſe finitam et certam: aliam diſciplinis atque artibus omnibus aptam eſſe, aliam, ſi de his rebus agat, aut nihil praeſtare poſſe, aut alieno ſaltem auxilio indigere: hanc copioſam eſſe, illam penuria laborare. Quae cum ita ſint, quis tandem ſperet, omnia ſe ita expreſſurum eſſe vertendo, vt, quod in definiendo paulo ante poſitum eſt, verbum verbo, ſignificatio ſignificationi reſpondeat?

Ipſi porro ſcriptores ita differunt, vt alium vertendo facile ſequi poſſis, in alio ſemper aliquid addendum, demendum, mutandum, emolliendum, non nimis vrgendum, circumloquendum ſit. Quae diuerſitas vbi ad eam, quam ipſa linguarum natura et conditio efficere ſolet, acceſſit, multo etiam minus ad verbum interpretari licet.

Quoniam ergo his de cauſis hoc non licet, eſt eius, qui librum vertit, *ſenſum* loci in alia lingua quibuscumque demum verbis exprimere. Hoc autem cum in ſingulis verbis, tum in integris ſententiis et propoſitionibus locum habet. In ſingulis enim verbis, quorum ſignificatio exprimi verſione non poteſt, verſamur ita, vt tradamus notionem, quae in hoc loco et hoc verborum contextu permutari poteſt cum notione verbi, quod ſcriptor ipſe poſuit. Atque ita ſignificationis loco traditur ſenſus. Cum ergo προσέχειν τινὶ nullo modo poſſit vbique verti *attendere ad aliquid, animum eo conuertere*: permutatur cum hac ſignificatione alia, quam cuiusuis loci conditio ſuadet atque permittit, et προσέχειν ταῖς τιμαῖς eſt, *ſtudioſum, cupidum eſſe honorum, iis deditum eſſe, delectari, duci*; προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπό τινος,[b]) *adſenſu probare id, quod ab altero traditum erat*; προσέχειν τῷ Καίσαρι, *factionem Caeſaris ſequi*. In integris vero ſententiis, quas verſio non poteſt ad verbum repetere, hac ratione vtimur, vt *rem*, a ſcriptore verbis ſuis expreſſam, exprimamus alterius linguae verbis iis, quorum adiumento lectores ad eamdem *rem*, quam ſcriptor verbis ſuis expreſſerat, *in vniuerſum cogitandam* deueniant. Ita vero rurſus loco ſignificationis ſenſus

b) Act. Apoſt. 8, 6. cf. v. 12. vbi illud ipſum, προσεῖχον τοῖς λαλουμένοις, permutatur cum πιστεύειν. Cf. Act. 16, 14.

ſus traditur. Quod ſi λόγον ζωῆς ἐπέχειν c) non verti poteſt, *doctrinam ſalutarem porrigere, exhibere:* neque συντρέχειν εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν, d) *concurrere in idem luxuriae inquinamentum*: tradatur ſenſus et res aliis quibuscumque verbis. Ita prius erit, *doctrinam ſalutarem prae ſe ferre*: e) poſterius vero, *ruere in eamdem ſcelerum ſentinam, voraginem.* f) Non poſſunt poetae g) verba, ἀρχαὶ ἐπληρεῦντο, verti *magiſtratus explebantur;* ſed res et ſenſus eſt, *magiſtratus frequentes conuenerant, conſilium frequens aderat.* Aut quod Dionyſius Halicarnaſſenſis h) dixit, ἡ πόλις ἐν καλλίστῳ κεῖται συνόδου ταῖς ἄλλαις πόλεσι, quis ad verbum vertet? cum ſenſus ſit, *vrbem opportune ſitam eſſe ad commune gentis concilium.*

Si

c) Epiſt. Pauli ad Philipp. 2, 16. d) Prior. ep. Petri 4, 4.

e) h. e. vita factisque ſpectandam exhibere, demonſtrare, vt alii eius vim et praeſtantiam agnoſcant, et adamare incipiant. v. Beza et Erasm. Schmid. ad h. l. Hunc vero ſenſum mihi quidem admittere videtur cum linguae ratio, tum ſeries orationis, confirmatque latini ſermonis ſimilitudo, ſi quis modo illud *prae ſe ferre* ſatis intelligat. Ceteras verſiones verbi ἐπέχειν in hoc loco, *habere, tenere, tueri, continere, attendere* (de qua vid. Theodoret. ad h. l. etiamſi ἐπέχειν τι et ἐπέχειν τινὶ confundit,) non ſuſtineo diiudicare; ſed illos probare non poſſum, qui hic loquendi formulam graecam quaerunt, τοῦτο ἐπέχει λόγον τινὸς, *hoc tenet locum alicuius rei*, veluti cum ſtellae dicuntur noctu lucis locum tenere, ἐπέχειν λόγον φωτὸς: quam quidem loquendi formulam Chryſoſtomus hoc loco reſpicere videtur, (etſi eius rationem non ſatis adſequor,) et Wetſtenius illuſtrauit. Non poſſum, inquam, hos probare, quia λόγος ζωῆς in libris ſacris haud dubie ſemper eſt *doctrina ſalutaris*, et, quidquid ad illam phraſin huc transferendam diceretur, mea quidem opinione valde contortum foret.

f) vid. Lamb. Bos in obſeruatt. ad N. T. et Wetſten. ad h. l. et Albertus ad Heſychium, qui ἀνάχυσιν interpretatur φυρμόν. Etiam id, quod in catena Oecumenii (p. 160. ed. Veron. a. 1532.) reperitur, ἀνάχυσιν eſſe σύγχυσιν, eodem redit: et cum vulgata verſio *confuſionem* expreſſerit, adparet, vnde hoc ſit, et quem ſenſum habeat.

g) Euripid. Androm. v. 1097. Similis locus eſt eiusdem poetae in Iphigen. Taur. 306, πολλοὶ ἐπληρώθημεν ἐν μικρῷ χρόνῳ, *multi conuenerant, aderant, breui tempore.*

h) Archaeol. lib. 8. p. 484. ed. Sylb. Cf. Xenoph. hiſt. gr. 6, a, 6, ἡ νῆσος ἐν καλῷ κεῖται τοῦ βλάπτειν, *opportune ſita ad nocendum.*

Digitized by Google

Si certa ſunt, quae hactenus di i, ſequitur, ſenſum loci a ſignificatione verborum ſingulorum differre, et ſenſum in verſionibus ſaepe numero ita, vt paulo ante definitum eſt, exprimi ſolere.

Quem ad modum autem haec de verſionibus valent, ita tum quoque diſcrimen ſenſus ac ſignificationis ſpectatur, cum ſcriptorem aliquem ſine conſilio vertendi explicamus. Nemo enim interpretem, ſingula verba ſingulosque modos loquendi illuſtrantem, muneri ſuo ſatisfacere exiſtimat; ſed rem, quae ſub illis verbis latet, et ſenſum oſtendi ſibi volunt atque aperiri. Hoc autem non tantum fit explananda materia, quam ſcriptor tractauit, veluti hiſtoria, ritibus, placitis philoſophiae, et aliis; ſed opera danda eſt interpreti, vt lector in omnes partes verba verſare, multisque modis cogitare diſcat; vt, ſi Europaeus fuerit, ſermonem populorum orientis vsque eo comparet cum ſermone ſuo, dum alterum cum altero permutare, et rem ſuo modo cogitare, ſuisque verbis exprimere poſſit; vt antiqua cum recentioribus comparet, eaque dignoſcat; vt poetas a vulgari ſermone diſcernat, et hunc illico cum poetarum ſermone permutare poſſit; vt id, quod iuxta ſcriptoris verba non nimis vrgeri poteſt, adcurate definiat, ne quid amplius limitandum, excipiendum, dubitandum, mitigandumue relinquatur; vt et tropos, et vitae communis ſermonem, ad eas notiones reuocet, quae in ſcholis philoſophorum definitae, artiumque vocabulis certis et vbique receptis expreſſae ſunt; vt definitionem definitae rei ſubſtituat, et viciſſim; vt loco circumlocutionis ac deſcriptionis nominet vno verbo rem, cuius deſcriptio et periphraſis in loco, quem tractat, occurrit; vt multas inuicem linguas comparet. Et ſunt multo plura. Sed in his omnibus haud dubie diſcrimen ſignificationis a ſenſu animaduerti poteſt, et vt quisque interpres perſpicuitatis eſt ſtudioſiſſimus, ita maxime relictis ſignificationibus ſenſum exprimere conatur, quoniam qui illas tenet, hunc non raro ignorat. Nam tralaticium eſt, non nullis ma-

xime tironibus, ſignificationes omnium alicuius loci verborum notas eſſe, neque tamen hos ſenſum loci vel adſequi, vel verbis exprimere poſſe. Alius contra, praeſertim cui celerius ingenium contigit, ſenſum loci facile deprehendit, ſive potius ſuſpicatur, etiamſi interrogatus de ipſis verborum ſignificationibus, hoc eſt, de cauſis, cur hunc ſenſum loci eſſe putet, et de modo quo ineſſe putet, nihil adcurate reſpondere poteſt.

Iam cum ſatis videar lectoribus in memoriam reuocaſſe, vbi diſtet ſignificatio ab ſenſu, et quid hoc in vniuerſum ſibi velit: liceat vlterius docere, quibus modis in interpretando ſoleat ſenſus pro ſignificatione poni. Ita paſſim adſpergi poterit, quae inde oriantur officia cum eius, qui vertit, tum illius, qui explicat librum; quem vſum haec res habeat; quas denique cautiones.

Iam multiplici quidem ratione fieri ſolet, vt, verba non preſſe ſequentes, rem atque ſenſum tradamus; nec ſuſtineat aliquis, omnia genera enarrare: ſed ſi quis huius rationis exempla et genera ea, quae, non temere adrepta, ſed conſilio delecta, hac diſputatione pertractare conſtitui, diligentius ac ſaepius ſecum cogitauerit, eum arbitror in plerisque locis normam habiturum, ad quam ſingula exigat.

Vbi ergo, id quod primum erat, ſignificatum alicuius verbi ne poſſumus quidem vno verbo exprimere, vel quia obſcura foret aut verbis adſtricta nimis verſio, vel quia verbum ſemel tantum occurrit, vel quia factum et inuentum eſt a ſcriptore, (quo quidem genere Homerus, Pindarus, Aeſchylus, redundant;) vel quia in arte aut diſciplina, aut ab arbitrio ſcriptoris, ampliorem anguſtioremue, quam in vita communi, ſignificationem accepit: neceſſe eſt, vt aut notionem aliquam tradamus, quae cum notione verbi, quo ſcriptor vſus eſt, recte permutari poſſit,[i]) aut circumlocutione vtamur, qua modo definiatur, modo deſcribatur, modo

i) vid. ſupra pag. V. vbi illud *recte* explicatum eſt. Nempe quando verborum contextus in aliquo loco permutationem fert, *recte* altera notio alteri ſubſtituitur.

de diuiſione aut partitione explicetur notio verbi eius, quod interpretari volumus. Hic vero quis non videt, ſenſum loco ſignificationis ab interprete tradi?

Videamus de genere priore, quod notiones permutat. Quid ſit ἀτελεύτητον, neminem fugit; ſed cum apud Sophoclem[k]) Oedipus indignabundus Tireſiam inexorabilem dicit ἀτελεύτητον, facile adparet, ſi ſenſus ſpectetur, eum dici *contumacem*, *intractabilem*, *cedere neſcium*;[l]) etſi nihil horum ipſam et primam verbi ſignificationem exprimit, quae eo continetur, eſſe hominem *finire neſcium*, *qui numquam deſinat* obloqui, reluctari, quocum, ſi finitam confectamque rem putes, ſemper recrudeſcat controuerſia. Sed hanc verbi primam vim ſi quis exprimat illis verbis, *contumax*, *intractabilis*, *cedere neſcius*, is nonne cum vna notione, hoc eſt, cum ſignificatione verbi, permutat aliam, eamque ſimilem? Nonne perſpicue et accommodate ad rem notiones has permutat? Nam ſi vel maxime tenuerit etymologiam, et cum Abreſchio ad Heſychium *finire neſcium* dixerit, nonne tum vlterius explicandum erit, atque e verborum contextu definiendum? Nam pluribus modis dici poteſt *finire neſcius*. Quapropter maxime ad perſpicuitatem, tum vero etiam ad breuitatem profuerit, ſenſum exprimere notionibus permutandis. Talia ſunt, cum ἁπλότητα [m]) interpretantur *liberalitatem*, aut καταναρκᾶν [n]) vertunt *moleſtum eſſe*.

Sed huiusmodi interpretationibus, quae permutandis notionibus cenſentur, omnia plena ſunt, praeſertim in explicandis ſcriptoribus hebraicis, et poetis e genere elatiore. Vel feſtinanter percurrenti gloſſaria et ſcholia vbiuis multa offerentur exempla. Hinc pleraeque explicationes librorum veteris et noui Teſtamenti, in operibus Chryſoſtomi,[o]) Theodo-

k) Oed. Tyr. v. 344. p. 166. ed. Steph.

l) Ac talia fere ſunt in ſcholiis, δυσάξιστος, δυσπαράπειστος, ἀμείλιχος.

m) Poſter. ep. ad Corinth. 8, 2. 9, 11.

n) Ibid. 11, 8. cf. Heſychius in κατενάρκησα.

o) Eorum cauſa, qui ipſa ſcriptoris huius opera tractare non poſſunt, exempla quaedam hic poſui, atque ex homiliis in priorem epiſtolam ad Corinthios haec excerpſi;

Digitized by Google

oreti, Theophylacti. Hinc tot variae lectiones, ex gloſſematibus in margine poſitis ortae. Hinc innumera in veteris Teſtamenti verſionibus graecis: nam qui vel Trommianos indices inſpexit, etiamſi verſiones ipſas non tractauit, is non potuit non animaduertere, vnum verbum graecum, tot hebraica exprimens, non vbiuis ſignificationem exprimere, ſed plerumque ſenſum. Verum de hac omni re in libello animaduerſionum ad Longinum (p. 48.) et in diſſertatione de nexu ſignificationum eiusdem verbi, monui. Ibi exemplo verbi *πολιτικὸς* vſus ſum, hic de verbo *ἀμφιλαφὴς* egi.

Quodſi hanc in interpretando vſitatam notionum permutationem vno verbo exprimere remque ad ſuum genus referre velimus, metonymia eſt et ſynecdoche, ſi cum rheto-

I, 19. *ἀπώλεσεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν* — *ἔδειξεν οὖσαν ἀνόνητον.*
VII, 34. *μεμέρισται ἡ γ. κ. ἡ παρθ.* --- *διεστήκασι.*
IX, 17. *οἰκονομίαν πεπίστευμαι* --- --- *κηρῦξαι ἐπιταττομένη.*
--- 26. *οὐκ ἀδήλως* --- --- *οὐκ εἰκῇ καὶ μάτην, πρὸς σκοπὸν βλέπων.*
X, 13. *ἀνθρώπινος πειρασμὸς* --- --- *μικρὸς, βραχὺς, σύμμετρος.*
X, 16. *κοινωνία τοῦ αἵματος* --- --- *μετοχή*, i. e. *fruitio*, plane vt in Vulg. vers. *participatio*. Mentem Chryſoſtomi et vulgatae vers. recte adſecuti ſunt auctores Libb. Symbol. p. 600. ed. Rechenb. Quae ſequuntur, petita ſunt ex homiliis in poſteriorem epiſtolam ad Corinthios.
I, 9. *ἀπόκριμα* --- --- *ψῆφος, κρίσις, προσδοκία.*
V, 13. *ἐξέστημεν* --- ---, *μέγα τι φθεγγόμεθα.*
σωφρονοῦμεν --- *μέτριόν τι καὶ ταπεινὸν λαλοῦμεν.*
--- 14. *συνέχει* --- --- *οὐκ ἀφίησι ῥαθυμῆσαι, ἡσυχάζειν, ὑπνῶσαι.*
VI, 14. *ἑτεροζυγοῦν* --- --- *ἑαυτὸν ἐκκλίνειν.*
IX, 8. *εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν* --- *ἵνα καὶ ἑτέροις παρέχητε.*
X, 1. *ταπεινὸς* --- --- *εὐκαταφρόνητος.*
θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς --- --- *φυσῶμαι, κομπάζω, κατεξανίσταμαι ὑμῶν.*
XI, 7. *ἐμαυτὸν ταπεινῶν* --- --- *ἐν στενοχωρίᾳ διαγαγών.*
--- 28. *ἡ ἐπισύστασίς μου* --- --- *αἱ πολιορκίαι τῶν δήμων, αἱ ταραχαὶ, οἱ θόρυβοι.*
XIII, 4. *ζησόμεθα* --- --- *σωζόμεθα.*
--- 9. *δυνατοὶ* --- --- *εὐάρεστοι, δόκιμοι.*

Sed de his, volente Deo, in ipſa homiliarum Chryſoſtomi editione vberius agam. Nunc eorum cauſa, qui graecas literas tractant, addo, multas in gloſſariis antiquis obuias interpretationes, ad libros ſacros noui potiſſimum teſtamenti pertinentes, e Chryſoſtomi homiliis petitas eſſe.

Digitized by Google

toribus loquamur; ſin a philoſophis nomina mutuemur, adiunctum, aut connotatum. Nam interpres exprimit illud, quod rem quam ſcriptor dixit, antecedit aut ſequitur, aut ab hac re efficitur, aut vllo modo, ſiue natura, ſiue cogitatione, cum re coniunctum eſt. Qui ergo nouit, quid metonymia ſit, quo fundamento nitatur quot generibus contineatur, is de huiusmodi interpretationibus facile iudicare poterit. Qui cogitat, adiunctorum et connotatorum notiones nexu rerum (relatione) niti, is non mirabitur, ſi in millenis huius nexus modis, millenae permutationes notionum reperiantur, ſi alia gens et lingua alium nexum ſpectet, ſi alter nexus plus perſpicuitatis habet altero, ſi, vt quisque verſatiſſimus ſit cogitando, ita facillime nexum reperiat, ſi, vt maxime ſe ſubtilitati cogitandi adſuefecerit, ita maxime propinquum notionum nexum inueſtiget, ſi denique incredibilem interpretum atque interpretationum diverſitatem viderit.

Iam quo veriora ſunt, quae expoſui, (firmantur enim conſtanti vſu omnium, qui interpretando occupantur,) eo magis mirandum eſt, fuiſſe, qui hoc interpretandi genus leuitatis et negligentiae accuſarent, nimium que a verbis recedi, et ſignificationes, quae nullae eſſent, temere fingi exiſtimarent. Quid vero? Eſtne ille leuis, qui ante omnia, quid in verbis ipſis, aut per etymologiam, aut per vſum loquendi ſit, ediſſerit, atque, ſi in eo nihilo minus aliquid obſcuritatis ſit, illo modo repertam verbi ſignificationem in aliam partem verſat, illius notionis cum aliis nexum (relationem) ſcrutatur, metonymiam vt metonymiam tractat, donec notionem adcommodate ad verborum contextum cum alia permutare poſſit? Eritne tandem grauior et diligentior, qui, quod verbum paulo ante p) commemoraui, καταναρκᾶν, etymologiae conuenienter et argutius explicet, vel *reddere torpidos*, ſeu flagitando obtundere; vel *obtorpeſc re*, ſeu taedio fatigari et ſtudium remittere: vel *eſſe torpidum*, ſeu ſine ſenſu, durum, immeſericordem? Eritne ergo hic diligentior, quam qui, his omnibus praemiſſis, tamen ad ex-

p) Pag. IX.

tremum nihil aliud inde conſequi et intelligi dixerit, quam *moleſtum alii*, ſeu in exigenda mercede acerbum eſſe? Quid, quaeſo, ad veritatem et perſpicuitatem deerit, ſi loco ſignificationis ita tradatur ſenſus? Fruſtra igitur monent et vrgent, non eſſe has ſignificationes, ſi quis *πνευματικὸς* interdum dicas eſſe *prouectiores* chriſtianos, q) *σαρκικὸς* autem *rudiores*, r) et *σάρκα καὶ αἷμα exiguam*, qualis hominum eſt, *ſcientiam*. s) Quis vmquam dixit, has eſſe ſignificationes, quales proprie et anguſtius dicuntur? Imo ſenſus horum verborum in alia lingua, legitime e contextu verborum permutatis notionibus, ſic exprimitur. Scilicet, vt exemplo vtar, idem eſt, ſiue dicas εἶναι ἐκ τοῦ κόσμου, ſiue εἶναι ἐκ τῆς γῆς, ſiue εἶναι ἐκ τῶν κάτω: nam haec a ſacris ſcriptoribus promiscue dicuntur t). Vnde fit, vt etiam εἶναι ἐκ Θεοῦ, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, et ἐκ τῶν ἄνω eamdem rem exprimant: nam et haec promiscue dicuntur u). Iam vt illa verti debent *mundanus* et *terrenus* et *inferus*, ita haec *diuinus*, *coeleſtis*, *ſuperus* x). Haec ſunt ergo ſignificationes, quae genus exprimunt, et proprie dicuntur ſignificationes. Sed ſufficitne hoc ſcire? Imo vero niſi progreſſus fueris ad ſpeciem inueſtigandam, illa generis notio ne tantillum quidem proderit. Iam

q) Ep. ad Galat. 6, 1.
r) 1 Cor. 3, 1.
s) Matth. 16, 17.
t) Euang. Io. 8, 23.
u) Ibid. 3, 31.

x) Hanc verſionem, quae talia exprimit adiectiuo, primo poſtulat ſermonis, ex hebraeo et graeco mixti, conſuetudo. Nam οἱ ὄντες ἐκ τῆς ἀληθείας ſunt, *dediti vero*, h. e. *intelligentes et amantes veri*: Io. 18, 37. quod ipſum 1 Io. 3, 19 ſignificat, *integrum, probum eſſe*. οἱ ὄντες ἐξ ἐριθείας, *dediti contentioni* h. e. *contentioſi, immorigeri*. Rom. 2, 8. οἱ ὄντες ἐκ τοῦ πονηροῦ, *proclines ad facinora, facinoroſi*. 1 Ioh. 3. 12. ἡ βουλὴ ἐξ ἀνθρώπων ᾖ, *machinatio mere humana*. Act. Apoſt. 5, 38. Secundo ipſi ſcriptores ſacri hunc loquendi modum cum adiectiuis permutant, vt Iac. 3, 15 τὸ ἄνωθεν ἐρχόμενον opponitur τῷ ἐπιγείῳ. Ergo τὸ ἄνωθεν ἐρχόμενον eſt *coeleſte, diuinum*. Item 2 Cor. 5, 1 2. τὸ οἰκητήριον ἐκ Θεοῦ et ἐξ οὐρανοῦ, opponitur τῷ ἐπιγείῳ, (eſt ergo *coeleſte, diuinum*, h. e. immortale) et permutatur cum αἰώνιος, ἀχειροποίητος. Ergo omnes hae loquendi formulae tractandae ſunt vt adiectiua, praeterquam ibi, vbi ipſa hiſtoria et res in facto poſita declarat, accipiendas eſſe ad literam, vt cum de homine creato dicitur, εἶναι ἐκ τῆς γῆς, aut de Chriſti in has terras aduentu, εἶναι aut ἐληλυθέναι ἐξ οὐρανοῦ.

Digitized by Google

Iam vero *terrenus* eſt vel vilis, vel imperfectus, vel inſcius, vel vitioſus, vel periturus. Quot ergo modis variatur (determinatur) notio verbi *mundanus* ſeu *terrenus*, totidem modis variari notionem verbi *diuinus* ſeu *coeleſtis*, in promtu eſt. Itaque *coeleſtis* eſt vei praeſtans, vel perfectus, vel intelligens, vel vitii expers, vel duraturus. Quod ſi quis dicat, Ioannem ἐκ τῆς γῆς ὄντα, ſi cum Chriſto comparetur, eſſe *minorem*, *viliorem*, y) is ſane non vertit ad verbum, ſed nonne ſenſum verum et adiunctam verbo *terrenus* notionem indicat? z) Num vero hac de cauſa leuior eſt, quam qui pueriliter et anxie vertit, *Iohannes eſt e terra*? Num ille fingit aliquid, interea dum alter, verbis adſtrictus, vera loquitur? Quod ſi quis alibi, a) hac ipſa obſeruatione tutus, hanc ſententiam, Ἡ ἐπιθυμία ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί, verterit, *cupiditatem eſſe vitioſam*; mallet quidem vnus et item alter hoc multo diligentius, id eſt, verbis adſtrictius dici; ſed quare et quo iure malit, ipſe viderit. Et quis vel cum exigua veri ſpecie negare poteſt, τὸν ὄντα ἐκ Θεοῦ eſſe b) *intelligentem religionis, Dei rerumque diuinarum cognitione imbutum*, θεοδίδακτον, ideoque verum chriſtianum, et nominatim verum doctorem? Aut quis iure dubitet, χοϊκὸν eſſe mortalem, οὐράνιον immortalem? c) Si ergo partim grammaticae rationi contrarium eſt, talia ad verbum vertere; partim non ſufficit generis notionem exprimere, vt *diuinus*, *coeleſtis*, ſed ad perſpicuitatem neceſſe eſt, generi ſubiectam ſpeciem quaerere, h. e. quatenus dicatur *diuinum*, *coeleſte*; et, quod maximum eſt, ſi horum omnium varia exempla occurrunt, vt adpareat, ea non vbiuis eodem modo dici: nonne interpreti licebit, in quolibet loco ſpeciem pro genere nominare, aut e genere concludendo deriuare ſpeciem, hoc eſt, ſenſum loco ſignifica-

y) Io. 3, 31.

z) Ipſe enim ſcriptor (ibid.) in verbis ὁ ἄνωθεν, ſeu ἐξ οὐρανοῦ ἐρχόμενος cogitari vult *celſiſſimum*, vt adiunctam his verbis notionem.

a) Prim ep. Io. 2, 16. b) Ibid. 4, 6. cf. Io. tert. epiſt v. 11.

c) 1 Cor. 15, 47. ſqq. Quem ad modum autem hoc loco ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ χοϊκὸς ſignificat, *hominem e terra formatum eſſe mortalem*: ſic Io. 3, 31. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς ἐστιν ἐκ τῆς γῆς ſignificat, *homo in his terris natus eſt vilis et humilis.*

ficationis tradere? Poteram eodem modo de verbis πνευματικὸς et σαρκικὸς differere; ſed tempori parcendum eſt. Vnum illud addo, has permutatione notionum, de qua cum maxime diſputo, in religione tradenda ad notiones eas, quae dogmaticae et propriae dicuntur, perueniri. Non eſt dogmaticum, corpora noſtra olim *coeleſtia* fore; ſed ea fore *aeternum duratura*, hoc dogmaticum eſt.

Neque vero deſunt, qui hac permutandarum notionum ratione, male intellecta, male vtantur. Nam quodcumque verbum viderint explicandi cauſa pro eo poſitum, quo ipſe ſcriptor vſus eſt, hoc putant exprimi verbi ſignificationem. Itaque hanc opinatam ſignificationem adripiunt, et alio transferunt, quaſi iam de vſu loquendi planiſſime conſtet, ſiue patiatur verborum contextus, ſiue repudiet, ſiue idem, ſiue alius ſit notionum nexus. Cuius generis exempla proponam, non quo vanitate alienorum errorum delecter, ſed quia haud raro ſic erratum vidi, adeoque litterarum ſtudioſos monendos putaui. Vidi ergo, qui in Ouidiana [d]) deſcriptione Penei, fluuii, per Theſſalica Tempe labentis, haec verba,

Peneus — ſonitu plus quam vicina fatigat,

ſic interpretaretur, Peneum fluuium deiectu aquarum non modo vicinam, ſed et remotas regiones *excitare*, hoc eſt, attentionem hominum excitare, vt aures adrigerent. Mirabar primo, quid eſſet, quare *fatigandi* verbum hoc potiſſimum modo accipiendum putaret; ſed cauſſam percunctatus intellexi, hanc proferri, quia in aliquo Virgilii loco, [e]) vbi aliquis *ſocios fatigare* dicitur, *fatigare* haberet vim *excitandi*. Proinde et in Ouidiano loco eidem verbo videri eamdem ſignificationem tribui poſſe. At quanta tandem eſt haec notionum atque rerum confuſio! Apud Virgilium *fatigat* ſocios, qui abſidue inſtat hortando monendoque, aut, ſi ſenſum alio verbo exprimere velimus, qui ſocios *excitat*, hortatur. Et hoc tu adripies, atque, quia *fatigare* hoc loco ſic explicari poteſt, dices, fatigare vbiuis eſſe poſſe *excitare*, et de quocumque genere ac modo excitandi dici? Et fluuium, ſtre-

d) Metamorph. 1, 573. e) Aeneid. 4, 572.

Digitized by Google

ſtrepitu aures fatigantem, interpretaberis aures excitantem? Imo vero *ſonitu fatigans* fluuius eſt adſidue ſtrepens, tam adſidue, vt ad extremum aures poſſint fatigari, et *vicina fatigans* eſt, cuius ſtrepitus adſidue, ſine fine, ad fatigationem vsque, auditur per viciniam. In his ergo ne tantilla quidem eſt cum Virgiliano loco ſimilitudo, modo ne ſenſum verbi *fatigare*, in loco Virgiliano notionibus in hoc verborum contextu legitime permutandis expreſſum, habeamus pro ſignificatione verbi, aut notione, coniuncta cum verbo per vſum loquendi. Aliud exemplum notaui. Legerat aliquis apud Ioannem f), *ἔχειν τὸν πατέρα, ἔχειν τὸν υἱόν*, idque audierat ita explicari, *agnoſcere patrem*. Hac obſeruatione adiutus ille ſibi videbatur tenere artem expediendi loci difficilis, g) vbi mulieres iubentur *ἔχειν ἐξουσίαν ἐπὶ κεφαλῆς*: nam hoc ſine haeſitatione ſic expoſuit, *debent agnoſcere imperium in capite ſuo* (h. e. in perſona mariti, ſ. imperium mariti). Vix attinet haec refutare; dicam tamen contra, vt de confuſa cum ſenſu loci ſignificatione verborum conſtet. Scilicet ſenſus formulae loquendi, *ἔχειν Θεόν*, exprimi ſic poteſt, *cognitum habere Deum*, (quamquam haec explicatio nondum omnem rem exhaurit, quoniam in hac epiſtola *ἔχειν Θεόν*, et *κοινωνίαν ἔχειν μετὰ Θεοῦ*, et *εἶναι ἐν Θεῷ*, permutantur, indicantque omnem illam neceſſitudinem, religione effectam, quae hominibus cum Deo intercedit, cuius non niſi pars eſt cognitio Dei;) ſenſus ergo ſic poteſt exprimi: ſed haec propterea non eſt ſignificatio verbi *ἔχειν*, quam, quocumque demum velis, transferas. Sed vt in his exemplis error apertus eſt, ita vereor, ne ſimili modo e verſione codicis hebraei Alexandrina haud paucae ſignificationes adfictae paſſim ſint verbis hebraicis, quae iis ſignificationis nomine ac loco tribui non poſſunt. Tum graecis illius verſionis verbis, quibus non ſignificationes ſingulorum verborum, ſed ſenſus loci vtcumque expreſſus erat, tamen, quaſi verbum verbo redditum eſſet, interdum ſignificationes obtruſae, et inde in noui Teſtamenti libros illatae ſunt.

Satis dixi de modo tradendi ſenſum loco ſignificationis

 ſin-

f) Epiſt. pr. 2, 23. 5, 12. g) Prior. ep. ad Cor. 11, 10.

ſingulorum verborum, qui modus continetur permutationi notionum. Alter modus, vt ſupra h) propoſitum eſt, pertinet ad circumlocutionem eius verbi, cuius notio non poteſt alio verbo vno exprimi. Ac, ſi quilibet ſcriptor eiusmodi verba ipſe definiiſſet, vt Andocides i) ἐπιτιμίαν in iure attico, Cicero k) *mores* in libris Academicorum et Peripateticorum; aut ſi omnia ex hoc genere verba eſſent artium diſciplinarumque vocabula: facilior foret haec pars interpretationis. Nunc, cum verba quoque vitae communis, pro arbitrio ſcriptoris, interdum tantum vno aliquo in loco, habeant vim et ſignificationem, quam nec vſu loquendi, nec aliis in locis habent; ideoque neceſſe ſit interpretis acumine et diligentia haec definiri, ex oppoſitis, e conſilio orationis, ex omni verborum contextu, ex hiſtoria: res eſt multo difficilior, nec mirari debemus, ſi in his conſtituendis homines in diuerſas ſententias diſcedant. Notabilis eſt in hanc rem locus Matthaei, l) in quo πληρῶσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας verti ſolet, aut *vitam agere, iis, quae a Moſe et prophetis tradita ſunt, conſentaneam*, aut *doctrinam Moſis atque prophetorum tradere*, aut *facere, dicere, perferre ea, quae ab antiquis illis ſcriptoribus praedicta ſunt*. Sed nulla harum interpretationum, per ſe ſpectata, ſenſum integrum exprimit. Nam etſi cum verbis καταλῦσαι et πληρῶσαι paulo poſt λῦσαι et ποιῆσαι permutantur, et ita permutantur, vt nihil aliud, quam *obedire* aut *non obedire* praeſcriptis doctrinae, intelligi poſſit, ideoque in καταλῦσαι et πληρῶσαι idem cogitandum ſit: tamen ad hanc ſignificationem accedit alia, ſcilicet, *doctrinam hanc vere et exacte tradere*, ne alii in errorem ſentiendi agendiue deducantur m). Accedit autem neceſſario. Nam primo Chri-ſtus

h) Pag. VIII. i) Orat. de myſteriis p. 36. ed. Reisk.

k) Quaeſt. acad. 1, 5. l) Matth. 5, 17.

m) Chryſoſtomus in homilia ad hunc locum, enumeratis variis de verbo πληρῶσαι ſententiis, tandem eam potiſſimum tenet, de qua nunc loquor. Dicit ergo inter alia, Ὁ Χριστὸς διορθοῖ τὸν νόμον. Τρανότερον μᾶλλον λέγων. Τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ λεγόμενα οὐκ ἦν ἀναίρεσις τῶν προτέρων (i. e. legis et prophetarum,) ἀλλ' ἐπίτασις (diligentius vrget, ſeuerius inculcat,) καὶ πλήρωσις. Ὁ Χριστὸς ἐπιτείνει τὴν ἀρετήν. Οὐκ ἐναντιοῦται, ἀλλὰ συγχωρεῖ αὐτά. Ὁ νόμος ἔχει πλείονα κεφάλαια. Tam late patere putat Chryſoſtomus vim verbi πληρῶσαι hoc loco: nam haec omnia vno illo verbo vult comprehendi.

Digitized by Google

ſtus diſerte addit (v. 19.), ideoque auget verbi ambitum, et, qua parte ipſe hoc loco ſpectari, quocum item comparari velit, declarat. Atqui hic verborum ſuorum interpres audiendus eſt. Secundo diſputat aduerſus iudaicos doctores, qui doctrinam diuinitus acceptam non modo viuendo violabant, ſed et interpretandi calumniis peruertebant. Tertio per omnem hunc locum, vsque ad finem huius capitis, vbi longo ſermone demonſtrat, ſe doctrinam veterem πληρῶσαι, quid quaeſo facit? Nempe doctorem ſe gerit, ſuam diſciplinam diſciplinae iudaicarum ſcholarum contrariam ponit, doctrinamque religionis exacte et vere tradit. Vt ergo verbis λῦσαι et ποιῆσαι adiungitur id, quod modo dixi: ſic verbis καταλῦσαι et πληρῶσαι, quibuscum illa permutantur, idem adiungendum eſt. Et cum Chriſtus dicat, primo ſe velle πληρῶσαι, ſecundo ſe nolle καταλῦσαι, tertio eum demum probandum eſſe, qui et viuat vt poſtulet doctrina, et vere exacteque eam tradat: neceſſe eſt, vt Chriſtus πληρῶν τὸν νόμον καὶ τὰς προφήτας ſit, qui ſecundum illam doctrinam agit, eamque recte tradit aliis. Omnino res ad hanc argumentationem redit: Quales fuere iudaici doctores, talis Chriſtus neque eſſe neque haberi vult. Atqui iſti et docendo et viuendo doctrinam diuinam peruerterunt (id quod eſt καταλῦσαι). Ergo Chriſtus eam et docendo et viuendo ſtabilire vult, (id quod eſt πληρῶσαι). Quodſi ille interpres, qui nihil niſi vitam legibus congruam in verbo πληρῶσαι admittere vult, ſenſum omnem non exhaurit; iisdem de cauſis in errore verſatur is, qui in hoc verbo nihil niſi ſignificationem recte docendi agnoſcit. Quod autem non nulli in illo πληρῶσαι euentum vaticiniorum ſpectandum indicarunt, id non tam in hoc quidem Matthaei loco verbo huic ineſt, quam ineſſe poſſe, et alibi ineſſe, per hanc occaſionem dici ſolet. Sed inſit. Non repugno. Tamen, ſi quis vnum hoc reſpici velit, id rem non conficit. Sed haec, quae ſexcenties iam dicta ſunt, ad noſtram hanc diſputationem transferamus. Si ergo πληρῶσαι eſt, docendo viuendoque ſtabilire, munire: facile adparet, hanc interpretationem ab vſitata verbi ſignificatione non pendere, ſed ambitum ſignificationis, quam hic locus po-

ſtulat, per partes eundo emetiendum eſſe, et notionem verbi, huic loco congruam, colligendam ex vſu loquendi, ex oppoſitis, e conſilio orationis, ex iis quae ſcriptor ipſe addidit, et cum his verbis coniuncta eſſe voluit, ex hiſtoria: nam haec ſingula aliquid ad expletam perfectamque horum verborum notionem hoc loco conferunt. Sed notio, tot partibus conſtans, vix poterit vno alterius linguae verbo exprimi, in quo eadem omnia inſint. Quamquam enim non male quis λῦσαι vertit, *peruertere*, et πληρῶσαι, *ſtabilire*; tamen quaerendum reſtat, quid ſit peruertere aut ſtabilire doctrinam, (nam hoc pluribus modis fieri poteſt,) et vberius explicandum, vt lectores ſciant et cogitent, ſcriptorem velle potiſſimum hoc: *doctrinam per calumniam explicari*, *et a doctore ſecus, ac religio vult, viui.* Quare interpretatio ad circumlocutionem redit, quae vbi eſt, ſenſus loco ſignificationis traditur.

Expoſitis iis, quae in explicando libro fieri debent, adſpergere liceat, quae in eiusmodi locis mihi videantur officia eius eſſe, qui libros in alium ſermonem transfert. In priore igitur genere, cum notiones permutantur, poteram in vniuerſum monere, operam dandam eſſe vertenti libros, vt verbi, quod alteri ſubſtituitur, notio quam proxime accederet ad notionem eius verbi, cui ſubſtituitur; a qua quidem diligentia ſumma verſionum laus pendere ſolet: ſed raro ſufficit, in vniuerſum praecipere; et quis non ſponte videt, ſic agendum eſſe? Experiar potius, ſingula genera enumerare. Debet ergo verſio tropum exhibere, vbi ipſa ſcriptoris oratio ornandi variandique cauſa n) tropo vſa eſt: verbum efficacius o), vbi ſcriptor ipſe tale verbum poſuit: caue-

n) Ὑγρὸν ἦθος, vt Graeci dicunt, non poteſt verti *humida indoles*; vertetur ergo permutata metaphora, *mollis*, *flexibilis*, *quae duci poteſt.* Quod autem praeceptum hoc adſtrinxi tropis, ornandi variandique cauſa adhibitis, id indicat, in ceteris tropis, liberum eſſe interpreti, eorum loco verba propria vſurpare, id quod in multis, notionem religioni propriam exprimentibus, locum habet, vt ἀναγεννᾶσθαι, ἐπιστρέφεσθαι.

o) Dico id, quod rhetores Graeci adpellant σημαντικόν. Tale eſt apud Paulum ad Philipp. 3, 2, κατατομή, et paſſim στοιχεῖα τοῦ κόσμου de legibus Iudaeorum ritualibus.

Digitized by Google

cauebit ſibi a tropis, vbi ſcriptor ipſe rem proprie dixit: non vtetur vocabulis artium et diſciplinarum pro vitae communis vocabul s, quibus ſcriptor vſus eſt: non exprimet genus tum, cum in ſcriptoris verbis ſpecies eſt, neque antecedens loco conſequentis p): verba, quae vnice ab animi ſenſu acriore pendent, vt conuicia q), querelas r), lamentationes, indignationem s), diligentiſſime comparabit cum vita communi, et, quod noſtri homines tali tempore dicunt, verſione exprimet, ne ſenſum vtcumque et in vniuerſum tradat; neue verbis male adſtrictam verſionem efficiat: omnino hoc aget, vt ſubſtantiua (ſubiecta) aeſtimet e natura et vi adiectiuorum et verborum (praedicatorum), cuius rei obſeruatio in permutandis notionibus certiſſimam praebet normam, et praeſens erroris negligentiaeque remedium. Sed ſufficiat, pauca monuiſſe: alibi locus erit adcuratius de his verſionum legibus dicendi, in primisque cauſas harum legum inquirendi.

Poſterius genus, quod circumlocutione verbi continetur, vnam mihi videtur praeceptionem habere, ſi officia vertentis librum quaerantur, vt eodem modo, quo ſcriptor ipſe, verbum ponat, quod notionem illam multis partibus compoſitam non exhaurit, ſed aequat, qualia paulo ante erant λῦσαι, *peruertere*, πληρῶσαι, *ſtabilire*. Ceterum lectores de augendo am-

p) Ἄτεγκτος ἀνήρ, apud Sophoclem (in Oed. Tyr. v. 344.) non dicetur *durus*, *inexorabilis*, ſed *immitis*. Apud Paulum (Rom. 8, 27. 1 Cor. 2, 10.) ἐρευνᾷν τὰ πάντα non vertetur, *noſſe*, ſed *penetrare omnia* (intelligendo). Scio haec ſimilia eſſe; ſed qui librum vertit, cogendus eſt, vt ſit quam diligentiſſimus.

q) Ad Matth. 5, 22. de illo ῥακὰ Chryſoſtomus (p. 199. ed. Francof.) ſcribit: οὐ μεγάλης ἐστὶν ὕβρεως ῥῆμα, ἀλλὰ μᾶλλον καταφρονήσεως καὶ ὀλιγωρίας. Hactenus bene: ſed multo melius quod ſequitur, vbi rem comparat cum vita communi: καθάπερ ἡμεῖς ἢ οἰκέταις ἢ τισὶ τῶν καταδεεστέρων ἐπιτάττοντες λέγομεν· ἄπελθε σύ· εἰπὲ τῷ δεῖνι σύ· οὕτω καὶ οἱ τῇ Σύρων κεχρημένοι γλώττῃ Ῥακὰ λέγουσιν, ἀντὶ τοῦ Σὺ τοῦτο τιθέντες. Hinc multo rectius et verſio et ſenſus reperiri poteſt quam etymologia ſectanda.

r) Ἡ ψυχὴ περίλυπός ἐστιν ἕως θανάτου.

s) Bene vertit Lutherus verba Pſalmi (69, 10); ſed eadem illa verba, repetita in euangelio Ioannis (2, 17) male vertit. Ibi conſuluit vitam communem, hic verbis verſionem adſtrinxit.

Digitized by Google

ambitu verbi hoc loco monebit: ita nec vituperabitur, quod non exhauſerit rem et notionem omnem, (ipſe enim ſcriptor hoc non adſecutus eſt,) nec dici poterit ſuam ſententiam et explicandi rationem ſcriptoris orationi obtruſiſſe.

Dixi de ſenſu loco ſignificationis tradendo in explicandis aut vertendis verbis ſingulis. Veniendum eſt ad ſententias et propoſitiones integras, quas vbi ad verbum vertere non licet, aut ſyllabatim explicare obſcurum eſt, ita tractamus vt ſignificationibus ſubſtituatur ſenſus. Quod quam vim habeat, ſupra [t]) dixi. Interdum ergo, vbi ſcriptor ſignum alicuius rei oſtenderat, interpres rem ipſam, illo ſigno notatam tradit: vt cum Deum coelitus venientem, eſſe dicunt Deum, illuſtre opus edentem, praeſentem, animaduertentem, propitium [u]), indignantem: aut cum Chriſtum, cum Deo imperantem [x]): aut cum in orientis ſcriptoribus ſolem obſcuratum, lunam obfuſcatam, ſideraque tremefacta, volunt eſſe triſtiſſimorum tempo um effigiem, adeoque, ſi quando haec euenta naturae ſecutura dicantur, illud vnum cogitandum eſſe, triſtiſſima fore tempora.

In his explicandis vt nemo non videt ſenſum indicandum eſſe, ſic in vertendo non aeque expedita res eſt. Primo enim, vbi in enumeratione plurium ſignorum eſt euidens deſcriptio [y]), vt Matth. 24. 29. 30. 31. Ioel. 3, 1, omnia ſunt preſſe vertenda: mutilaret enim dictionem ſcriptoris, qui haec contrahere, eorumque ſenſum ſummatim indicare vellet, quia ſcriptor noluit rem paucis dictam cogitationi ad-

t) Pag. V.

u) Homerus (Iliad. 1, 67.) Deum dixit *ἀντιᾷν θυσιῶν*, *venire ad ſacrificia*. Hinc eſt apud Apollon. Rhod. 1, 1141. Rhea, *ἀνταία δαίμων*, *Dea, quae ad ſacra venit*, aut *εὐλιτάνευτος*, vt ſcholiaſtes explicat. Similiter in Orphei hymnis (10, 21.) Deus dicitur *βαίνειν ἐπὶ λοιβαῖς*. In his omnibus propitia numinis voluntas intelligenda eſt.

x) Quem Dauides (Pſ. 110, 1.) Deo *dextrum ſedere* dicit, donec omnium hoſtium victor fuerit, hunc Paulus (1 Cor. 15, 25.) dicit *regnare*, donec omnium hoſtium victor fuerit. Ergo dextrum alicui ſedere eſt, cum eo regnare.

y) *Φαντασία ἐναργής. Εἰδωλοποιΐα.* Longin. de ſublim. c. 15.

admouere, ſed effigie adumbratam oculis exhibere. Deinde, in ſingulis loquendi formulis, ſi verſio iis conſeruandis nullum errorem gignit, ſed quilibet lecta verſione intelligit, haec eſſe aliter ac dicantur, (h. e non ad literam) intelligenda, qualia ſunt, quae de Deo vt homine (ἀνθρωποπαθῶς) dici ſolent: non eſt, quare mutentur in paraphraſin aut explicationem. Quis enim erret aut haereat, ſi homines miſeriis adflictos ad ſolium Dei ſupplices accedere legerit? Sed ſi verſio, quatenus verſio eſt, hoc eſt, quatenus eſt liber v. c. germanice ſcriptus, et legitur ab indoctis, qui linguam vnde facta eſt non intelligunt, aut, ſi intelligant, librum tamen ea ſcriptum interpretari nequeunt, ſed ſi verſio ita ſpectata aut neceſſario in errorem ducit, quia verbum verbo reddidit, aut ſententiam plane contrariam, aut adeo nullam efficit: non video, cur propoſitionis ſenſum loco ſignificationis verborum exprimere vereamur, praeſertim *ſi argumentatio ſequatur*, quae non nitatur verbis, ſed ſenſu, et quam nemo capere poſſit, niſi qui miſſis verbis ſenſum propoſitionis reputauerit. Talia ſunt, vt mihi quidem videtur, *intercedere pro hominibus* z), et *dextrum alicui ſedere* a), quae his de cauſis in verſione germanica epiſtolae ad Hebraeos, nuper admodum Lipſiae edita, ſic expreſſi, vt mihi viſa ſunt exprimenda. Tale eſt, *Chriſtum diuitem factum eſſe pauperem, vt homines locupletarentur* b), et *coelum occupare* c), quod ſine vlla dubitatione hoc loco vertendum puto, *omnium celſiſſimum eſſe* d), *imperare.*

z) Epiſt. ad Hebrae. 7, 25. a) Ibid. 1, 13.

b) 2 Corinth. 8, 9. Horum verborum verus ſenſus et legitima verſio ex epiſt. ad Hebrae. 12, 2. petenda eſt. Vt enim hic χαρὰ eſt perpetuitas gaudiorum et vacuitas ab omni moleſtia, ſiue vno verbo *beatitas:* ſic in altero loco πλοῦτος χριστοῦ eſt vacuitas ab egeſtate, ius et facultas rebus omnibus pro arbitrio vtendi, ſiue *dominium omnium rerum.*

c) Act. Apoſt. 3, 21.

d) Hoc ſi cogitaſſent omnes, non quaeſiuiſſent, vtrum Chriſtus coelum, an coelum Chriſtum caperet: nec putaſſent minui maieſtatem Chriſti, veluti loco incluſi: nec Beza ſcripſiſſet notulam, quam ſcripſit. Senſus, ſenſus quaerendus eſt, non ſignificationes ſingulorum verborum. Nullo modo.

Alibi, quae ſcriptores de parte aut ſpecie dixerunt, interpretes ad totum aut genus transferunt, et viciſſim. Nam quod illo modo ſpectatum obſcurius eſt, aut durum, aut non nimis vrgeri poteſt, id ſi hoc modo ſpectetur, dilucidius eſt, et mollius, et adcurate dictum. Quod Dauides alicubi optarat vt domicilium inimicorum ſuorum atque adeo inimicorum Meſſiae, aliquando incultum et deſertum eſſet, id, interprete Petro e), Iudae proditori Chriſti euenit, ad eumque referendum eſt. Sed aliter de inimicis Dauidis, (ſi quis primo de his intelligi locum velit,) aliter de Iuda capiendum videtur. Nam de Dauidis inimicis poteſt ad verbum intelligi; de Iuda non item. Vnde enim conſtat, domicilium Iudae mortui deſertum et incultum fuiſſe? Certe vis facienda eſſet loco. et argutius aliquid effingendum ſi quis haec proprie intelligi vellet f). Experiendum ergo eſt, quonam modo *ſenſus in vniuerſum* tradi poſſit. Scilicet cui inprecamur vt eius domus deſerta ſit, ei omnino imprecamur, vt exſtirpetur, vt intereat. Sunt enim dirae, in quibus, vt vita communis docet, non ſemper vocabula ipſa ſpectantur, ſed omnino res aduerſae, quibus aliquem opprimi cupimus: nam verba ac formulae loquendi, quibus dirae concipi ſolent hanc vnam vim habent, vt ex eorum moderatione aut vehementia eluceat vehementior aut moderatior adfectio animi, et grauitas aut leuitas, copia aut paucitas malorum, quae in aliquem effundenda ſunt. Similiter his diris de quibus in praeſenti loquor, adiunctum eſt illud, vt aliquis exſtirpetur, et deſerta domus eſt, ſi rhetorice dicas, effigies

e) Acta Apoſt. 1, 20.

f) Fuerunt, qui, cum proprie capi non poſſe ſenſiſſent, domicilium deſertum mallent eſſe munus vacuefactum. Sed hi nec vident, quam durum hoc ſit, nec cogitant ſatis, quid ſequatur. Nam ſi vacua domus eſt munus vacuefactum, et ſequitur, vtinam ne quis in ea domo habitet: ſenſus horum verborum neceſſario erit, vel, vtinam ne quis eius ſit ſucceſſor, vel, vtinam ne recuperet munus. Id quod quantum abhorreat ab hoc loco, ſponte adparet. Verum nolo hoc vrgere, ne videar calumnia vti. Ille alter locus ex epiſtola ad Romanos (11, 9.) vtique oſtendit, non eſſe imprecationem ad verbum vbique capiendam.

Digitized by Google

es interitus; ſi dialectice, pars aut ſpecies interitus; ſi ex vſu vitae communis exemplum interitus. Ita vero ſi in verbis his, ad Iudam relatis, in vniuerſum hoc ineſſe dicamus, *vtinam intereat*, neque verba vrgeamus, veriſſime hoc Iudae euenit, et hic ſenſus conſilio Petrinae orationis congruit. Nam (id quod Petrus voluit docere) ſi Iudas interiit, opus eſt eius ſucceſſore. Sed ſi locus ad verbum capiatur non valet concluſio: Quia domus Iudae deſerta eſt, opus eſt eius ſucceſſore. Itaque, vt fit, Petrus ex longo carmine dirarum vnam decerpit imprecationem non quo haec vna potiſſimum ſyllabatim ſpectanda ſit, ſed vt doceatur, ad quem illae omnes dirae pertineant Quid enim? Paulus, Dauidis verba repetens[g]), num has potiſſimum formulas loquendi, quas repetit, vrgeri tenerique vult? Imo vero illud dirarum carmen omnino ad Iudaeos pertinere oſtendit. Num verba illa tropica ad vnum aliquod et certum genus miſeriae interpretando referri vult, veluti ad paupertatem, morbos? Nullo pacto: ſed omnino in iis diris illud eſſe docet. *vtinam miſeri ſint inimici.* Ceterum in vertendis huiusmodi locis non ſenſum in vniuerſum, ſed ipſa verba ſcriptoris vt ſunt poſita, ita reddenda et exprimenda eſſe, res facile docet.

Veniam ad ea, quae allegorica ſunt, aut rem ſimilitudine illuſtrant. Vtimur ergo in interpretatione allegoriis aut ſimilitudinibus hoc modo, vt inde ducamus vniuerſam ſententiam aut propoſitionem, qua idem illud, quod ſcriptor ſimilitudine aut allegoria illuſtrare voluit, ſummatim et proprie dictum continetur. Nam aequum eſt, in allegoria explicanda id ſpectare, quod in ea conſignanda a ſcriptore ſpectatum eſt. Atqui omnes homines in admiſcendis ſermoni allegoriis non tam ſimilitudinem ab auditoribus cogitari, quam rem, ſimilitudine illuſtratam, et vniuerſam ſententiam teneri volunt, aut, quod idem eſt non ſignificationem verborum, ſed vim atque ſenſum totius loci ſpectari cupiunt. Cum ergo, vt hoc vtar, Chriſtus interrogatus[h]), cur diſcipulos ſuos aut rara aut nulla pateretur ieiunia agere,

 more

g) Ep. ad Rom. 11, 9.
h) Matth. 9, 14–18.

more ſuo per allegorias reſponderet, his tribus vtebatur ſimilitudinibus: praeſente ſponſo conuiuas non ſolere triſtes eſſe, pannum recentem non adſui veſtimento veteri, muſtum non condi vtre attrito. His Lucas [i]) quartam adiungit, eum, qui vetus vinum guſtauerit, non illico malle recens. In his ſimilitudinibus, quia ſimilitudines ſunt, debet eſſe, vt modo dixi, ſententia vniuerſa, qua intellecta, vis reſponſionis Chriſti demum intelligitur. Ea vero ſententia, vt mihi quidem videtur, eſt haec: *neminem facile in vita communi id facere ſolere, quod a re, loco, tempore, natura, abhorreat.* Etenim ſi quis inter conuiuium moeſtus eſſe incipiat, aut muſtum vtre attrito condat, aut recentem pannum veſtimento veteri adſuat, is nonne inepte agat, et ab omnibus ineptus iudicetur? Nempe, abhorrent talia in vita communi ab re, loco, tempore. Itaque ſiue quis omnes has ſimilitudines, ſiue vnam poſuerit, eadem vbique ſententia intelligi poteſt, et vero etiam debet. Proinde Chriſtus interrogatus, cur ſuos in hoc genere parum ſeueros eſſe pateretur, hanc per ſimilitudines cauſam edidit: quia nemo facile abſonum quid in vita communi facere ſoleret, neque adeo ipſe erga diſcipulos ſuos, quod nec res nec tempus pateretur, facere poſſet aut deberet, aut, vt ipſi facerent, eos cogere. Abhorruiſſet autem a re atque tempore, ſi, verſans adhuc cum ipſis, dux eorum et doctor, eos voluiſſet vitam triſtem et moleſtam agere, et ad iſtius modi ritus fruſtra augendos adegiſſet, praeſertim cum ſciret, ſe ex his terris in coelum euecto, multa eaque grauiſſima mala his diſcipulis parata fore. Qui ergo nouit, ſuos aliquando calamitoſiſſimam vitam acturos, neque tamen eos, etſi in praeſenti commodius viuere poterant, commodius viuere patitur, et ſine cauſa maturius iuſto moleſtiis onerat, *is profecto facit, quod ab re, loco, tempore, hominibus*, adde etiam amore erga alios, *alienum eſt*, aut idem facit, vt ſi quis in conuiuio triſtitiam prae ſe ferat, vel recentem pannum veteri veſtimento adſuat, aut muſtum attrito vtre condat, vno ver-

i) Euang. 5, 39.

verbo, communis vitae ſenſu et iudicio *abſona facit*. Si cui haec ſimilitudinis explicandae ratio non exhaurire rem omnem videatur, quippe quae tot verba, ad vnam ſententiam redacta, negligat, is per me, more veterum et recentiorum haud paucorum, omnes huius ſimilitudinis partes cum pulviſculo excutiat, et ſingula ſingulatim explicet, vt ſponſus ſit eccleſiae ſponſus, vinum autem euangelium, vetus porro et nouum indicet phariſaicam et chriſtianam doctrinam, et quae ſunt alia [k]). Ego vero in ſimilitudinibus explicandis vſum vitae communis, in quo eſt conſentiens vox naturae, ſequi ſoleo, qui vſus e conſilio et modo vſurpandi allegorias, fabulas, ſimilitudines, aeſtimari facile poteſt. Vtinam in legendis veterum libris ſermo, opinio, et conſuetudo vitae communis ſaepius facta eſſet norma interpretandi!

Hanc vitam communem ſi vbiuis ducem ſequamur, certi eſſe poſſumus, ea via, qua vita communis ducit, nihil nos aut quaeſituros, aut reperturos eſſe, cuius, vel quia falſum, vel quia inutile eſt, nos ſerius ocyus poeniteat. Si verum eſt, quidquid humanarum artium ſit, id e vita communi hauſtum et expreſſum eſſe: quo tandem pacto iudicabimus, nos non aliorum opiniones, ſed ipſas illas artes humanas et verum didiciſſe, niſi eorum, quae didicimus, conſenſus cum vita communi et experientia quotidiana cognitus a nobis fuerit? Si verum eſt, librum, quemcumque legerimus, eſſe veluti ſermonem viri alicuius ad nos habitum: num perſuadere nobis poterimus, nos ſenſum libri adſecutos eſſe, ſi in legendo omnia alia fecerimus, quam quae in audiendo facere ſolemus? ſi verba ſic ceperimus, vt ea nemo in vita communi capere ſolet? ſi ſcriptori eam aequitatem, quae colloquiorum prima lex eſt, negauerimus? ſi eum ideo ſcripſiſſe putauerimus, vt nobis eſſet occaſio degrediendi, ingenio indulgendi, et, dum ille de terra loquitur, coelum peragrandi? Cogitemus, quaeſo, quot errores, opiniones, difficultates, vt in vno genere ſubſiſtam,

in

k) Vid. Hieronymus ad h. l. T. 9. Opp. p. 27. ed. Eraſm. Chryſoſtomi ad h. l. homil. p. 361. Gerhardi harmon. Tom. 1. p. 729.

Digitized by Google

in poetas veteres importatae ſint ab iis, qui, ſpreta natura, cuius pars eſt vita communis, carmina interpretari ſuſtinuerunt. Accidet quidem hoc modo, vt parum docti videamur, quia non vbique declaramus, nos et ipſos ſcire quae alii ſciunt; ſed quanto contra gaudio nobis erit, ſi, quidquid nos cingit, quidquid vita communis habet, nobis adclamaverit, ita ſe rem habere, vti dicamus et putemus. Non eo hoc dico, vt neglectam velim ſubtilitatem. Nullo modo: neque enim intelligi poteſt vera doctrina ſine ſubtilitate, nec, qui multa paſſim collegit, vir doctus eſt, niſi ea diſponat, definiat, cauſis muniat. Et quis tandem carere cupiat fructibus ſubtilitatis, qui in eo ſunt, vt res certius, facilius, breuius, dilucidius, magisque diſpoſite diſcamus. Sed poſtquam ita didicimus, omnia ſunt ad vitae communis normam examinanda, vt, quid nobis, quid aliis, quid ſcholae, quid vitae didicerimus, adpareat.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLXXV.

BEATI FLACCI ALBINI SEV ALCVINI ABBAtis, Caroli Magni, Regis ac Imperatoris, Magiſtri Opera, poſt primam editionem a Viro Clariſſimo D. ANDREA QVERCETANO curatam, de nouo collecta, multis locis emendata, et opuſculis primum repertis plurimum aucta, variisque modis illuſtrata. Cura ac ſtudio FROBENII (FORSTERI) S. R. I. Principis et Abbatis ad S. Emmeramum Ratisbonae.

Litteris Ioannis Michaelis Englerth, Aulico-Epiſcopalis et monaſterii S. Emmerami typographi. cIↄIↄcclxxvii.

TOM. I. VOL. I. Alph. 4. plag. 6; *VOL. II.* Alph. 7. plag. 16.

TOM. II. VOL. I. Alph. 2. plag. 20; *VOL. II.* Alph. 4 plag. 10. in Folio.

Virorum eruditorum plerique iamdudum peruiderunt, allatisque exemplis confirmarunt, libros ab Alcuino

conſcriptos et diuulgatos, certiſſima eſſe monimenta, e quibus, quae reipublicae, quae religionis ac ciuitatis Chriſtianae, quae eruditionis vniuerſae ratio, et quaſi facies, imperante Carolo M. fuerit, ſane quam optime ac pleniſſime perſpici poſſit; et qui hanc recte indagare, ac penitus noſſe cupiat, eum non poſſe libros, quos diximus, omnes manu diurna nocturnaque non verſare. Quod cum veriſſimum eſſe intelligeretur, fuerunt alii, qui optarent, vt tandem exiſteret qui ſingula Alcuini monimenta in lucem proferret, vel ea ſaltem, quae eruta iam ſunt, vno volumine comprehenſa ſimul vulgaret, vt, Caniſius, Antonius Riuetus, Benedictinus e congregat. S. Mauri: alii, qui eorum colligendorum vulgandorumque laborem in ſeſe ſuſciperent, vt, Andreas Quercetanus (du Chesne): alii, qui libellos in bibliothecis adhuc latentes, caſuque repertos, vel indicarent, vel monimentis aliis adiectos ederent, eoque ipſo editionem nouam eamque pleniorem, quodammodo adiuuarent vt, Martenius, Mabillonius, Baluzius, Pezius: alii denique, qui eiusmodi nouam editionem curare adgrederentur illi quidem, neque tamen ob cauſſas diverſas conficerent, vt, Ildephonſus Catelinotus, Benedictinus, cet. Tandem vero, quod multis non licuit et adgredi prudenter, et quam rectiſſime feliciſſimeque exſequi, contigit Editori Celſiſſimo atque Reuerendiſſimo; ita quidem, vt haec ipſius editio, cui ſe manus admoturum eſſe ſignificat Conſpectu omnium opuſculorum, quae et quo ordine in noua editione comparere deberent, Anno cIↃIↃCCLX promulgato (v. eiusd. a. Act. Erud. p. 233), non ſolum libellorum, recens additorum, optime digeſtorum ingenioſe emendatorum copia, prorſus reſpondeat virorum eruditorum votis atque exſpectationi, ſed etiam ſpecie externa, typorum elegantia, ornamentis aliis, Germaniae vniuerſae honorem aliquem conciliare, neque ſplendidioribu exterorum editionibus inferior eſſe videatur. Vnde etiam in primis digna eſt, de qua copioſius diſſeratur, legentibusque, quid

Ed.

Ed. Celſiſſimi eruditio, ingenium, ſtudiumque, hoc in opere praeſtiterint, ſignificetur. Quod antequam faciamus, et per partes oſtendamus, in vniuerſum, opinor, dicendum eſt, hac editione contineri non ſolum, quicquid viri, quos ſupra diximus, aliique, publici iuris iam fecere, ſed etiam libellos complures ἀνεκδότους, epiſtolas, carmina, cet. eosdemque omnes rectius digeſtos, varietate lectionis, ſi plures ad manus erant Codd. MSS. inſtructos, atque obſeruationibus hiſtoricis, geographicis, aliis, illuſtratos: ſingulos etiam libellos quaſi antegredi commentariolum hiſtorico-criticum, quo varia, quae ad quemque pertinent, exponantur. Praeterea, altero tomi prioris volumine extremo, duas adiectas eſſe diſſertationes, doctas et copioſas, de quibus vt ſuo loco diſſeramus, neceſſe eſt. Quibus dictis, age, iam ſingula perſequamur.

Ac Tomi quidem prioris volumine I. excipit epiſtolam, qua Electori Bauariae, nuper in viuis qui eſſe deſiit, opus hoc praeſtantiſſimum datum, dicatum, dedicatumque fuit, praefatio generalis, qua Ed. Celſ. editionis huius adgrediendae opportunitatem, eius conficiundae praeſidia, et rationem, quam in ea ſequutus eſt, eleganter exponit. Nimirum, cum ipſe Andreae Querecetani editionem, etſi tam plures libelli, quam ἀκρίβεια critica in ea deſideratur, admodum raram, eandemque tum libellis, quos complures viri eruditi ediderunt, tum opuſculis, quae in bibliothecae, ad s. Emmerami inſtructae, ſcriniis latentia deprehenderat, mirifice augeri poſſe cerneret, ab eo iam tempore de noua Alcuini editione cogitare coepit, manumque operi admouit. Aliquamdiu poſt, certior factus, Ildephonſum Catelinotum, eodem capto conſilio, multos iam annos idem hoc voluiſſe ſaxum, et omnia iam, duobus Tomis diſtincta, prelo habere parata, huic, quicquid ipſe iam collegerat, et quae, quoue loco plura reperienda ſint, per litteras ſignificauit, illius arbitrio et vſui apparatum ſuum

lubens obtulit, eidemque omnem operam perhumaniter ſpopondit. At vero Catelinotus, aetate admodum prouectus, cauſſisque adductus aliis, cum ſeſe telam recte pertexere poſſe deſperaret, omnem apparatum ſuum, obſeruationibus quibusdam notisque doctiſſimis auctum, Ed. to. i Celſ. ſic transmiſit, vt hic, quae in rem ſuam forent, inde ſumere poſſet. Quod eius factum, vt erat admodum laudabile, nec leue animi generoſi indicium ita vtilitatem quoque attulit inſignem Alcuino ipſi: ſiquidem Catelinoti editio, ſi vnquam in lucem exiiſſet, eo ipſo teſte ac iudice, quam longiſſime abfutura fuerat ab huius perfectione atque praeſtantia. Quem apparatum conſecutus Ed. Celſ. alacriori ſtudio rem adgreſſus eſt, et praeſidia neceſſaria vndecunque probabile erat ea venire poſſe, et petiit et re ipſa accepit, vt, e Bibliothecis Salisburgenſi et Friſingenſi; alia per Eminentiſſimum Paſſioneum, patrem purpuratum olim celeberrimum, Roma ipſi transmiſſa ſunt, vna cum epiſtola elegantiſſima, cuius particula ibidem typis deſcripta eſt. Tum vero conſpectu, quem ſupra diximus, a. 1760 promulgato, viros eruditos inuitauit ad ſymbolas, ſi quas poſſent, conferendas: nec fruſtra. Adiutus enim eſt mirifice, tum eorum conſiliis et commendatione, tum opera ipſa. In primis praedicat illuſtris Temlerii, Regis Danorum ab epiſtolis ſecretioribus, ac plurimum reuerendi Piueri, tum in Hiſpania degentis, ſtudium ſingulare. Hi duumuiri effecerunt, vt ex Anglia, et Hiſpania potiſſimum, Gregorii Maianſii, Viri longe celeberrimi, ſtudiis et opera, transmitterentur non pauca, quae nouae huic editioni non poſſunt non maximo eſſe ornamento. Ea quae ſint, ſuo loco indicabimus. Alia poſthac e Galliae bibliothecis inſignioribus, maxime per Philip. Ludov. Lieble in Abbatia S. Germani a Pratis, Bibliothecarium, item Germaniae, vt, Vindobonenſi, Monachienſi, cet. quarum praefectos per epiſtolas adierat, accepit. Ex quo vt ſingularis apparet felicitas, ita non minor Editoris Celſ. prudentia et dexteri-

Digitized by Google

tas cernitur in eo, quod tot tamque eximiis praeſidiis re-ctiſſime viſus eſt ad Alcuini libros, iam editos, emendandos, ſuaeque integritati reſtituendos, ac, quod maius eſt, augendos etiam. Id quod cuique, Quercetani editionem cum hac comparare non grauanti, ſine multo labore apparebit. Praefationem hanc ſequitur Elenchus eorum, quae, et quo ordine omnia hac in editione noua exſtant; ita, vt quae nunc primum acceſſerunt, aſteriſcis notata ſint. Tum praemiſſa eſt commentatio de vita Alcuini, quam Ed Celſ. ex illius ſcriptis potiſſimum confecit. Eius cap. 1. diſputatur de Alcuini nominibus variis, patria, parentibus, fratribus cet. cap. 2. de eius educatione et magiſtris; quo loco ipſum negat Beda Venerabili vti potuiſſe magiſtro, vtpote qui XXVII annis prius e vita exceſſerit, quam Chiffletius contra complura hiſtoriae monimenta exiſtimet ac contendat: cap. 3 de Alcuini profeſſione monaſtica ex obſeruationibus Mabillonii, editorque Celſ. ipſum non ſolum votis monaſticis obſtrictum, ſed etiam S. Benedicti regulas ſequutum fuiſſe cenſet. Sed veremur, vt lector quisque Ipſius in ſententiam abiturus ſit, isque potiſſimum, qui Alcuinum, annos non paucos Caroli M. in aula et comitatu fuiſſe, aliis viris illuſtribus familiariter vſum, feminas erudiiſſe ad easdemque complures epiſtolas ſcripſiſſe et reſcripſiſſe, quin villas et opes poſſediſſe, non ignorat. Licebatne, tunc temporis, monacho haec omnia impune facere? Si licuit, monachorum inſtituta, poſt id tempus, vehementer mutata ſint, neceſſe eſt; ſin minus, Alcuinum reuera monachum fuiſſe, admodum dubium eſſe videtur. Quam hic mouemus quaeſtionem, nemo facile rectius ac prudentius decernet, quam ipſe Ed. Celſ. quem, quae religionis Chriſtianae, Carolo M imperante, fuerit ratio, quaſi in numerato habere videmus: cap. 4. de Alcuini ſchola et diſcipulis in Britannia, quos inter exſtitit Liudgerus, primus Monaſterienſis epiſcopus; Candidus quidam, cui Withſo, vel Wizo cognomentum fuit; Fridugiſus, Calwi-

nus, presbyter, alii: cap. 5. de Alcuini vocatione et acceſſu in Franciam. Cap. 6. conſtitutiones et remedia pro reparandis litterarum ſtudiis adhibita perſequitur; quod qui legit, is miſerum religionis Chriſtianae atque litterarum optimarum ſtatum non poteſt, quin deploret: cap. 7. magiſterium Alcuini in ſchola palatii, eiusque in illa diſcipulos; quo loco demonſtratur, Giſlam ac Richtrudem, quae adſciticio nomine Lucia et Columba vſurpantur, non tam in Britannia, quam in Gallia, ab Alcuino inſtitutas fuiſſe. Cap. 8. disputatur de Alcuini reditu e Gallia in Angliam, et inde rurſus in Galliam; qua opportunitate, multa de pace inter Carolum M. et Offam, Merciorum regem, ſtabilienda, commemorantur: cap. 9. de Alcuini praefectura in monaſterio Turonenſi, et ſchola ibi conſtituta: et cap. 10. de diſcipulis eius celebrioribus, qui hac e ſchola prodierunt; quo pertinet Rabanus, Abbas Fuldenſis, et poſtea Archiepiſcopus Moguntinus, Hatto, huius in abbatia Fuldenſi ſucceſſor, Hemmo ſiue Haimo, epiſcopus Halberſtadienſis, Samuel, epiſcopus Wormatienſis, Adalbertus, Aldricus, Amalarius, cet. Cap. 11. alia facta Alcuini Turonis exponit: vti cap. 12. eiusdem infirmam valetudinem, et abdicatam praefecturam. Cap. 13. diſſeritur de ipſius morte, tumulo, epitaphio, memoriaque in faſtis; et denique cap. 14. de eiusdem eruditione et doctrina, in primisque de eius ſententia ſuper praecipuis religionis Chriſtianae capitibus, vt, ſuper Canone Scripturae Sacrae; Trinitate et incarnatione; ſuper gratia et libero arbitrio, baptiſmo et confirmatione, Euchariſtia cet. quae omnia ad explorandam placitorum ſacrorum hiſtoriam quamplurimum faciunt, etiamſi in non paucis ab Ed Celſ. diſſentias. Ceterum hic non poſſumus non monere, ipſum adhuc dubitare, exſtetne integra editio, vel verius exemplaria quaedam editionis Argentinenſis, a. 1539. in Fol. vulgatae, qua Caluinus Inſtitutiones ſuas, Alcuini ſub nomine promulgarit: ſed de quo ipſe vna cum Basna-

gio

gio dubitat, id Liebius, Clemens, alii, ſic demonſtrarunt, vt recte dubitare poſſit nemo. Ille liber, in Indice librorum prohibitorum Romae 1704. edito, notatus ita, Alcuini, ſeu potius Caluini, Commentarii in libros de Trinitate, ob cauſſam plane non ſignificatam, in ſimili Indice, a. 1758. promulgato, inductus eſt, eiusque loco ſcriptum: *Leſſius Lucas — Alcuini Abbatis Turonenſis de fide ſanctae et indiuiduae Trinitatis libri tres, commentario illuſtrati*, etiamſi hic liber, Francofurti a. 1554. in forma 8 excuſus, prorſus diſcrepet a Caluini inſtitutionibus, Argentorati a. 1539. in Fol. vulgatis. Basnagii, hunc librum vmquam exſtitiſſe perneganitis, auctoritas haud dubie effecit, vt recentioris Indicis auctores librum, quem non debebant, inducerent, eiusque loco notarent, qui veros ac genuinos Alcuini de Trinitate labores complectitur. Sed ſatis de hac Alcuini vita recens concinnata. Eam excipit eiusdem viri vita, ex vetuſto Cod. MS. S. Mariae Remenſis, primum edita Andreae Quercetani ſtudio: quam Ed. Celſ conſcriptam eſſe docet anno fere 829, quo Aldricus ad epiſcopatum Senenſem euectus ſit, et ab monacho quodam Ferrarienſi, cuius Abbas fuerit Sigulfus, e quo ſe ſingula didiciſſe teſtetur; eam denique ab Surio, Henſchenio, aliis, promulgatam eſſe. De hac nihil eſt, quod addamus, praeterquam quod varietas lectionis, et notae hiſtoricae, criticae, chronologicae, adiectae ſint. Poſthac locum obtinuit Andreae Quercetani praefatio, editioni ſuae praemiſſa: itemque de Alcuino teſtimonia veterum, et quorundam recentiorum Scriptorum.

Atque tum demum ipſa Alcuini opuſcula apparere incipiunt: ac primo quidem illius Epiſtolae, cum multis locis e Codd MSS pleniores emendatioresque, tum mirifice adauctae. Cum enim in Quercetani editione non niſi CXV. eſſent, in hac ita creuit earum numerus, vt CCXXXII. efficiant. Quarum pleraeque, quae hic primum promulgantur,

tur, deſcriptae ſunt e Cod MS. Biblioth. quondam Harleianae, hodie Muſei Britannici, de quo Editorem Celſ. in primis certiorem fecerat Temlerus. Qui cum, ipſius rogatu, per litteras ex viris quibusdam eruditis petiiſſet, vt eas deſcriptas cum Ed. Celſ. communicare ne grauarentur: ad haec poſtulata ipſi reſcripſere, velle ſeſe ea exſequi, ſed hac lege, vt editor integrum annum, amplius exſpectaret, donec deſiderata poſſent deſcribi; ſimul vero pro ſer ptura et labore vnius ſeptidui mercedem poſcere et centum, amplius, librar. Sterlingicar. Quod poſtulatum, viris eruditis indignum, vt par erat repudiauit editor. Eum fortuna propitia poſthac ita adiuuit, vt, quod deſideraret, ſine multis impenſis acciperet beneficio quidem Viri Clariſſ de Brequigny, qui, dum Regis Chriſtianiſſimi iuſſu; a. 1764. (vel 1767, quod alibi dicitur) Britanniae bibliothecas perſcrutaretur, epiſtolas illas e Cod. MS. quem diximus, deſcribendas, et perhumaniter cum Ed Celſ. communicandas curauit. Quae omnia hic, praef. gener. p. VI. et in monito praeuio ad Mantiſſam T 1. p. 222. grato, quo par eſt, animo commemorauit, ſimulque Brequignii litteras ad ſe, hac ſuper cauſſa, miſſas, in lucem edere non dubitauit. In iis ſunt LXXI. epiſtolae, quas iure vſurpare poſſis penum copioſiſſimum, e quo luculentam eius aetatis cognitionem hiſtoricam depromere licet. Quas epp. omnes antegreditur ſynopſis, qua, ad quem quaeque earum, qua ſuper cauſa, quoue conſilio miſſa ſit, pauciſſimis ſignificatur: itemque monitum, vti appellatur, praeuium quo traduntur multa, quae ad hiſtoriam litterariam pertinent. Quod reliquum eſt, epiſtolis ſubiiciuntur notae breuiores hiſtoricae, geographicae, criticae, quae, quam accurate teneat Ed. Celſ. eorum temporum hiſtoriam, plane demonſtrant. Claudit eas tandem ordo epp. ſecundum editionem Quercetani, Caniſii, et Mabillonii, collatus cum noua hac editione; et ordo alphabeticus perſonarum, quibus Alcuinus ſuas epiſtolas inſcripſerat.

To-

Digitized by Google

Tomi prioris volumine altero continentur opuſcula exegetica in ſacram ſcripturam, atque dogmatica. In vtraque claſſe reperiuntur nonnulla, quae iam primum vulgantur. Et exegetica quidem, poſt monitum praeuium, hoc ordine ſequuntur: (I) Interrogationes et reſponſiones in librum Geneſeos, ex edd. vetuſtioribus et Codd. MSS. emendatae; (II.) Dicta ſuper illud Geneſis: Faciamus hominem cet: e editis et Codd. MSS (III). De decem verbis legis, ex edit. d'Acheri; (IV) Enchiridion in pſalmos poenitentiales, ex editis et MSS. ſimulque accedit praefatio, ſeu epiſtola, qua Alcuinus libellum praeſentem Arnoni inſcripſerat: quae in vetuſtioribus deficit editionibus, ac primo vulgata eſt a V. Cl. d'Acheri, poſthac vero reperta quoque in Codd. Salisburg. altero, altero biblioth. S. Emmerami; (V.) hymnus vetus de XV. Pſalmis graduum qui primum vulgatur e Codd. duobus MSS nimirum altero biblioth. D. Emmerami, altero Reichenauienſi. Negat tamen Ed. Celſ. hymni huius auctorem eſſe Alcuinum ipſum, idque confirmat huius ipſius verbis, quae Ep. CXVII. leguntur; (VI) Compendium in Canticum Canticorum. a Patricio Iunio iam vulgatum quidem Londini MDCXXXVIII. ſed hoc loco e Cod. Vatic. emendatum. Huic libello itidem praemiſſa eſt commentatiuncula litteraria, qua editor Celſ. aduerſus Benedictinos Gallicanos, qui hiſtor. litter. Galliae lingua vernacula ſcripſere, eum reuera ab Alcuino confectum eſſe demonſtrat; (VII.) Epiſtola ad Daphnin de illo Cant. Cant. loco: ſexaginta ſunt reginae cet. ex edit. Quercetani et Cod. MS. Salisburg. (VIII.) Commentaria in Eccleſiaſten, ex ed. Quercet. et Cod. MS. Emmeram. (IX.) interpretationes nominum Ebraicorum, maiorum Seruatoris O. M. ex Matth. c. I. qui libellus ex Cod. MS Emmer. deſcriptus, et iam primum vulgatus, interpretationem tum litteralem, tum allegoricam, tum moralem, complectitur, atque cum homilia quadam Bedae Venerab. ipſo Ed. Celſ. iudice ac teſte in praemiſſa commentatiuncula, conſpirat; nec fere quicquam ex eo diſcas, quam deplorandam eruditionis bi-

bl cae rationem, quae viros vel praeſtantiſſimos, quo minus verum cernerent, ea aetate impediebat; (X.) Commentaria in S Ioannis Euangelium, ex libris editis, et Codd. MSS. Biblioth. Vatic. et Emmeram. cui praeterea adiecta eſt Epiſtola adhuc inedita ad Luciam et Columbam e Cod. MS. Harleian. deſcripta. Lectu dignus eſt commentariolus libro ipſi praemiſſus: vtpote in quo varia, ad hiſtoriam quae pertinent, explicantur, atque in aliis, quod ſupra iam diximus, oſtenditur, nomina Giſlae et Luciae, Richtrudis et Columbae, non diuerſarum, ſed earundem perſonarum eſſe; (XI.) Tractatus Albini magiſtri ſuper tres S. Pauli, Apoſtoli, epiſtolas, i. e. ad Titum, ad Philemonem, et ad Hebraeos. Hic libellus, earum, quas diximus, epiſtolarum interpretationem complectens, ac deſcriptus e Cod. MS. Bibl. Einſiedlenſis peruetuſto, heic loci primum vulgatur, quod Ed. Celſ. in praefatiuncula, vna cum aliis, quae ad hiſtoriam litterariam pertinent, docte, vt ſolet, exponit. Ceterum (XII.) commentatio breuis in quasdam S. Pauli, Apoſtoli, ſententias, deſcripta ex Cod. MS. Salisburg. et hic primum edita, exegeticis Alcuini libris quaſi coronidem imponit. Continentur ea exigua faltem fragmenta, non grauia illa quidem, ſed tamen lectu iucunda. Progrediendum iam eſt ad Alcuini libros dogmaticos et polemicos, qui ſequuntur Tomi prioris parte tertia. Praefationem hiſtoricam, literariam Ed Celſiſſ. excipiunt (I.) de Fide SS. Trinitatis libri tres, ſaepius iam quidem editi, ſed hic compluribus e Codd MSS. emendati, ſupplementis aucti, et integritati reſtituti; (II.) quaeſtiones XXVIII. de Trinitate ad Fredegiſum, ex editis, et Codd MSS. multo emendatiores; (III.) Libellus de proceſſione Spiritus S. e Cod. Laudinenſi deſcriptus, et heic primum promulgatus: qui plerosque viros eruditos latuit, donec Celeb. Montefalconius eum, Biblioth. Bibliothec Tom. II p. 1297. inter Codd. MSS. Bibl. Laudunenſis recenſeret, ex quo deſcriptum Catelinotus primum accepit, acceptum-

que

que poſthac, vna cum aliis, Ed. Celſ. tranſmiſit. Eius ne antiquiores quidem auctores, qui Alcuini ſcripta recenſent, mentionem faciunt: ſed quominus pro ſuppoſiticio haberi debeat, facit tum vetuſti Cod. fides, tum Didonis, epiſcopi, teſtimonium, quo ſe libellum eccleſiae Laudunenſi donaſſe, verbis clariſſimis affirmat. In libello ipſo loquitur Alcuinus de commonitorio, quod dicebant, Coeleſtini P. M. dato Epiſcopis atque Presbyteris ad Concilium Epheſinum proficiſci iuſſis: et in nota adiecta ſe ignorare fatetur Ed. Celſ. num iſtud adhuc ſuperſit? nec ne? Id vero primus in lucem protulit Baluzius: poſt eum Conſtant. in Epiſtol. Rom. Pont. p. 1152. id quam emendatiſſime promulgauit. Atque haec de dogmaticis Alcuini libris: ad polemicos, oportet, iam pergamus. Graſſari, Carolo M. imperante, coeperat Adoptianorum haereſis, in Hiſpania exorta quidem illa, ſed Galliam inde inuadens, multosque huius regni Chriſtianos veri ſpecie decipiens. Quam vt oppugnaret deleretque, ex patria euocatus in Galliam, Alcuinus omni animi contentione laborauit. Quod quoniam non latebat Edit. Celſ. non ſine multa cura conquiſiuit, quicquid ille librorum, hac ſuper cauſſa, ſcripſit promulgauitque. Vnde immortaliter ſane promeritus eſt de hoc Hiſtoriae Eccleſ. loco, quod ipſum variis libellis, qui ad quaeſtionem rectius intelligendam pertinent, locupletauit, variisque commentationibus magis explicare ipſe non grauatus eſt. Quo in negotio tam recte et prudenter, tam feliciter etiam verſatus eſt, vt, quicquid in noua hac editione ad eam diſputationem pertinet: (pertinent autem eo tam libri quos illico indicabimus, quam alia, quae tomus alter complectitur, qua, que ſuo loco recenſebimus): vt id, inquam, iure quodam ſuo, quaſi fundus, et ſingulare quin neceſſarium praeſidium huius concertationis penitus intelligendae, et vere diiudicandae, poſſit exiſtimari. Sed ſingulos iam recenſeamus libellos. Igitur tertiae huius partis opuſcula ſunt reliqua, (IV.) Libellus aduerſus haereſin Felicis, ad

Abbates et Monachos Gothiae miſſus, ex Cod. MS Bibl. Vaticano-palatinae CCLXXXX. deſcriptus, et hic primum vulgatus, vna cum V. Cl. Petri Franc. Fogginii ſpecimine praefationis in hoc opuſculum; vtpote qui, cum libellum hunc ſolum in lucem edere apud animum conſtituiſſet, Paſſionei Eminentiſſ. quod ſupra iam diximus, auctoritate mutauit conſilium, et ſchedas ſuas omnes Ed. Celſ. tranſmiſit. Praeterea in commentatiuncula, huic libello praemiſſa, exſtant complura lectu iucunda et vtilia; in primis particula epiſtolae a Maianſio, V. Cel. ſcriptae, qua de linguae, quae hodie Hiſpanorum vernacula eſt, originibus diſputat, (V.) Libri ſeptem contra Felicem Vrgelitanum Epiſcopum, ex ed. Quercetani, quos tamen antegreditur (VI.) Epiſtola B. Alcuini ad Felicem haereticum ſcripta, necdum edita, et iam primum e Cod MS. Saliſburg. deſcripta; item (VII.) alia ad Carolum M. vna cum praefatione in illos ſeptem libros ad eundem Carolum, quam vtramque Baluzius Miſcell. Tom. IV. p. 413—415. primus in lucem ediderat. Tum locum habent (VIII.) Libelli quattuor contra epiſtolam Elipanti, Toletani epiſcopi, ex edit. Quercetani, quibus praemiſſae ſunt duae epiſtolae ad Laidradum et Nefridum, epiſcopos, et Benedictum, Abbatem, quas a Quercetano iam promulgatas quidem, multum emendauit Ed. Celſ. ex Codd MSS. Bibl. Vatic. et Reg. Pariſ. Qui quidem libri omnes, tam ſeptem illi contra Felicem, quam quattuor contra Elipantum, etſi eos Quercetanus iam iam ediderat, vna cum epiſtolis ad eos pertinentibus, multis in locis emendati ſunt, ac meliorem in ordinem redacti, ita, vt iam per ſe ſint praeſtantiſſimi, et ad vtilitatem inde capiendam fructuoſiſſimi; (IX.) Epiſtola Elipanti ad Felicem nuper conuerſum, cum Maianſii Celeberr. notis criticis, quibus adiutus Ed. Celſ. eandem integritati reſtituit, itaque reſtitutam edidit; (X.) Confeſſio Fidei Felicis Orgelitanae ſedis epiſcopi, ex ed. Quercetani ſed multo emendatior; (XI.) Epiſtola ad filiam cariſſimam, quam

quam inſtruit in dogmate contra Adoptianos, ex eadem editione. Coronidem huic tomo imponunt (XII.) diſſertationes duae, vna hiſtorica, altera hiſtorico dogmatica de Adoptianorum placitis. Prioris auctor eſt ipſe Editor Celſ. eademque inſcripta, Diſſertatio hiſtorica de haereſi Elipanti Archiepiſcopi Toletani, et Felicis, epiſcopi Orgelitani, in qua, quae hactenus obſcura fuerunt, ex chartis recenter detectis, et ipſius B. Alcuini ſcriptis illuſtrantur: in qua conficienda hanc legem ſibimet ipſe ſcripſerat, vt, quae de Adoptianis iam dixere Basnagius, Madriſius Vtinenſis, et Walchius, Prof. Gottingenſ longe Celeberrimus, non niſi breuiter ſtrictimque tangeret, ea contra copioſius enarraret, quae monimentis non paucis, tam vetuſtioribus, quam recentioribus adiutus, communicare poterat cum viris eruditis ſuper hac cauſſa rectius conſtituenda, illuſtranda, et tandem aliquando vere diiudicanda; ita tamen, vt quae Alcuini partes in placitis et erroribus illis oppugnandis refellendisque fuerint, potiſſimum exponeret. Hinc ea res et exquiſitiſſimae, et memoratu maxime dignae, recte et ordine traduntur, quas ignorare nequit, qui hunc locum prudenter et recte dicendo perſequi velit. Atque hanc ob cauſſam lector quisque, harum rerum cupidus, eam totam legat relegatque ſaepenumero, neceſſe eſt: quam, mira reconditae eruditionis copia refertam, vt facilius, vnoque oculorum quaſi obtutu, perſpicere poſſit, ſubiuncta eſt ſynopſis vniuerſae diſſertationis. Altera inſcripta eſt Diſſertatio dogmatico hiſtorica, qua contra Chriſtianum Walchium oſtenditur, Felicem et Elipantum, adoptionis in Chriſto homine aſſertores, merito ab Alcuino Neſtorianismi fuiſſe petitos: Auctore D. Ioanne Baptiſta Enhueber, Priori ad S. Emmeramum. Ea, non ſolum ſatis copioſa, ſed etiam multiplici rerum exquiſitarum copia atque eruditione referta, itemque laudabilis modeſtiae erga ipſum aduerſarium longe doctiſſimum nomine commendabilis, prorſus digna eſt, quam viri eruditi legant, examinent, et cum aliorum ſuper hoc loco ſententiis com-

Digitized by Google

parent; hanc potiſſimum ob cauſſam, quod et multa, quae ad Neſtorii hiſtoriam et errores pertinent, ὡς ἐν παρέργῳ ſimul anquirit et exponit. Vnde auctor Summe Venerandus, etſi omne punctum non ferat eius commentatio, non immerito inter viros aetatis noſtrae eruditiſſimos locum occupabit non poſtremum. Ceterum quoniam ab omni partium ſtudio alieni eſſe debemus, certe quidem volumus; copioſius de ea loqui non poſſumus, maxime cum ſit credibile, fore, vt ipſius aduerſarius rerum eccleſiaſticarum ſcientia excellentiſſimus, hanc diſſertationem ipſe examinatum eat. Qualis priori, talis et huic additus eſt diſſertationis vniuerſae conſpectus. — Tomi alterius volumen prius, in tres partes diſtributum eſt; poſterius tres reliquas, et appendicem triplicem complectitur. Qui libelli in ſingulis extent, illico docebimus. Earum prima ſiſtit, poſt commentatiunculam Ed. Celſ. hiſtorico-litterariam, libellos Alcuini liturgicos et morales: nimirum (I.) Librum Sacramentorum, ex ed. Quercet. vna cum paucis notis criticis; (II.) Librum de Pſalmorum vſu, cum variis formulis ad res quotidianas accommodatis, ex eadem ed. et altera Colonienſi a MDLXXI. deſcriptum, ac meliorem in ordinem redactum; (III.) Officia per ferias, e Quercet. ed. cum aliqua lectionis varietate, ex Cod. MS. Reg. Pariſ. et libello precat. Caroli Calui ſumta; (IV.) Epiſtolam ad Oduinum de Baptiſmi Ceremoniis, ex ead. editione, collata cum Codd. MSS. (V.) Librum de virtutibus et vitiis ad Widonem Comitem, ex ead. ed. comparatum cum Codd. MSS. vnde non pauca in contextum recepta et vncinis incluſa ſunt; (VI.) Libellum de ratione animae ad Eulaliam virginem (quam Gundradam eſſe demonſtrat Ed. Celſ. in monito praeuio p. 5.) ſumtum ex editt. et Codd. MSS. eodem loco indicatis; (VII.) Epiſtolam de confeſſione peccatorum ad pueros S. Martini, repetitam ex editis, cum varietate lectionis e Codd. MSS. Vatic. et Emmeram. in margine adſcripta. De quibus libellis nihil eſt, quod dicamus. In parte altera, poſt

Ed.

Ed. Celſ. commentariolum hiſtoricum, occurrunt vitae Sanctorum: vt, (I.) Scriptum de vita S. Martini, ex editt. cum varietate lectionis; (II.) vita S. Vedaſti, Epiſcopi Atrebatenſis, ex ed. Quercetani et Henſchenii, cum eiusdem additionibus, varietate lectionis, et notis; (III.) vita S. Richarii, presbyteri et almi patris, ex editt Quercetani, Mabillonii et Henſchenii, cum iſtorum notis; (IV.) vita S. Willibrord, Epiſcopi Traiectenſis, oratione proſa et verſa perſcripta, ex edd. Caniſii, Quercetani, et Mabillonii, cum eorum notis. Vitam huius Willibrordi metricam vna cum Elegia annexa, Chriſtianum Daumium ſuae collectioni aliorum carminum, Cygneae a. 1662. et 1672. editae, inſeruiſſe, commemorat Ed. Celſ. ſeſe didiciſſe ex auctore Hiſtoriae litterariae Galliae Tom. IV. p 421. neque tamen eam vnquam oculis vſurpaſſe. Nec de his libellis quicquam eſt dicendum, praeterquam quod κρίσιν peracutam et ingenioſam in eis recenſendis adhibuit Ed Celſ. eoque fecit, vt ab integritate prima iam propius abſint, quam antehac fuere. In parte tertia exhibentur Alcuini carmina, exquiſitiori tamen et ordine, et lectione formaque, quam in Quercetani exemplari reperiuntur. Sunt ea tum ex hoc, tum ex aliis libris deſcripta, ſed ſimul ex Codd. MSS. vbique indicatis, vt plurimum emendata, et nonnunquam aucta et ſuppleta, atque a dubiis et ſuppoſiticiis purgata: poſſis etiam dicere locupletata, ſiquidem Carmen de Pontificibus et Sanctis eccleſiae Eboracenſis, a Mabillonio primum erutum, deinde a Thoma Gale in Hiſt. Britannicae, Saxonicae, Anglo Danicae ſcript. Oxon. 1691. editis p. 703. ſub Flacci Alcwini nomine vulgatum, in monito praeuio huic auctori vindicandum cenſuit, aliudque praeterea ex Cod. MS. Harlei. primum adiecit Ed. Celſ. Quibus de carminibus Catelinotus, cuius conſilium de Alcuino edendo ſupra praedicauimus, ea non eſſe Homeri, Virgilii, Pindari, Horatii aliorum ingenio et arte deducta, recte iudicauit: interim exponuntur iis quam plurima, quae ad hiſtoriam locupletandam,

dam, illuſtrandam, confirmandam, recte vſurpari poſſunt; eoque magis, quod in notis multa, quae ad ipſam pertinent, explicantur. Tandem volumen hoc claudit ordo carminum nouae editionis comparatus cum veteri: quem non temere, ſed recte prudenterque additum exiſtimamus. Poſterius volumen Tomi alterius, tres partes reliquas, triplici cum appendice, complecti diximus: qui libelli eis contineantur, iam exponemus. In partem quartam coniecti ſunt grammatici, rhetorici, dialectici, alii, hoc ordine: (I.) Grammatica per dialogum inter magiſtrum et diſcipulos, repetita ex ed. Quercet. ſed emendatior et locupletior ex Codd. MSS. Friſingenſi et Emmeram. (II.) libellus de orthographia primum editus ex Codd. MSS. altero Reg. Pariſ. altero Salisburg. comparatusque cum libello ſimili, Bedae Venerabili plerumque tribui ſolito. Quo quidem Alcuinus non regulas quaſique leges ſanxit orthographicas, ſed vocabula, ordine alphabetico diſpoſita perſecutus, de ſingulis dixit, quo pacto ſint recte ſcribenda. Vnde qui eum iudicauit pro medii aeui Gloſſario haberi poſſe, et varia inde ſupplementa in libros ſimiles transſcribi, is profecto a vero non aberrauit. Ac ſi quidem, quae ſuper *bibo* et *viuo*, *caverna* et *taberna*, *vaccas* et *baccas*, *valua* et *balba*, *beneficus* et *veneficus*, *berna* ſi domi genitum ſignificat, et *verna*, ſi tempus; *berbena* pro *verbena*, item ſuper *ac uſſo*, quod per duo *c*, et duo *ſ*, ac *comminus*, quod per duplex *m* ſcribere iuſſit; ſi haec, inquam, et alia, animo expendas, non male inde, quae tunc temporis latinam linguam pronuntiandi ratio fuerit, ſuſpiceris: et ſic ex hoc libello vtilitas non ſpernenda in artem diplomaticam redundare poteſt. Praete ea in non paucis diſcrepans vocabulorum vis ſic oſtenditur, vt complura inde diſcere tum potuerit quisque linguae lat. ſtudioſus; (III.) de rheto ica et virtutibus dialogus inter Carolum et Albinum, repetitus ex edd. variis, emendatusque et auctus ex Codd. MSS. Bibl. Friſingenſis, Emmerami, item Gymnaſii ciuitatis Ratisb. quorum fide carmina quoque,

que, illi adiecta, iuſtum in ordinem reſtituta ſunt: addita ſimul eſt lectionis varietas, notaeque hiſtoricae; (IV.) de Dialectica dialogus inter eosdem, repetitus ex edd. diuerſis, in praefatiuncula enumeratis, ac ſimul emendatus ex Cod. MS. Vindobon Friſingenſi, et S. Emmer. ita vt lectionis varietas in margine reperiatur, ſupplementa in contextum recepta, vnciais ſint circumſcripta; (V.) Diſputatio regalis et nobiliſſimi iuuenis Pippini cum Albino ſcholaſtico, deſumta ex ed. Quercetani, et comparata cum Cod. Salisburg. (VI.) duo libelli de Curſu et Saltu Lunae, ac de biſſexto, qui heic loci primum in lucem proferuntur. Vtrumque ex biblioth. Vaticana erutum, cum Editore Celſ. communicauit Fogginius, eoque nomine quam optime de noua hac editione promeritus eſt. Eisdemque adiecta eſt Calculatio Albini magiſtri, de reperienda Luna XIV. Paſchae per decem et nouem annos, itidem ex Cod. MS. Bibl. Palatino-Vatic. deſcripta. Tomi ſecundi parte quinta ſequuntur opuſcula Alcuino tribui ſolita quidem illa, ſed quae vel prorſus credibile eſt non eſſe ab eo conſcripta, vel quorum γνησιότητα multis argumentis non leuibus impugnarunt. Horum in numero eſt Confeſſio fidei ea, quam Petr. Franc. Chiffletius ex Cod. Lugdun. eodemque peruetuſto, in opuſculis ſcriptorum veterum de Fide Catholica, Diuione, a. 1656. primus promulgauit: quae quidem per ſe eſt monimentum antiquitatis praeſtantiſſimum, multumque momenti habet in concertatione ſuper hiſtoria dogmatis de Transſubſtantiatione. Mabillonio certe viſa eſt tanti, vt de eius antiquitate et auctore disquiſitionem ſingularem in lucem ederet, qua ad Caroli M. tempora referendam, et ab Alcuino profectam eſſe, demonſtrauit, certe quidem demonſtrare voluit, eo quod vtrumque negarat Dallaeus in differt. ſingulari, quae Rotomagi a. 1659. in lucem prodiit. Mabillonii argumenta refellere adgreſſus poſthac eſt Iac Basnagius, Hiſt Eccleſ. Tom. II. Lib. V. c. 7. p. 899. ſeqq., vnde Ed. Celſ. animaduerſionem in

 Cen-

Cenſuras ipſius ſcriptam heic ſimul edidit. Vnde quaecunque hanc ad rem pertinent, hoc ordine ſequuntur: (I.) Ioann. Mabillonii disquiſitio, quam excipit Ed. Celſ. Animaduerſio in Basnagii cenſuras; (II.) Albini Confeſſio fidei, a Chiffletio primum edita. Nos, quoniam ab omni partium ſtudio alienos eſſe oportet, noſtram ſuper hac lite litteraria ſententiam reticemus: neque tamen ſilentio praetermittere poſſumus, hac in confeſſione ſaepe vſurpata eſſe vocabula tam vaga, tamque ambigua, vt, ſi omnia ad viuum reſeces, ne Romana quidem eccleſia placita ſingula comprobare, ac tanquam veriſſima tueri queat. Sequitur (III.) Disputatio puerorum per Interrogationes et Reſponſiones, heic loci primum promulgata ex Cod. MS. Salisburg. Eſt hic libellus, vt, quod res eſt, dicamus, Catechismus pro illorum temporum ratione, non ſpernendus, et in Capp. XII. diuiſus, quorum 1) de operibus ſex dierum; 2) de natura hominum; 3) de Spiritibus; 4) de decem Dei nominibus; 5) de ſex aetatibus mundi, maioris videlicet et minoris; 6) de ratione temporum; 7) de veteri Teſtamento; 8) de nouo Teſtamento; 9) de gradibus totius Eccleſiae dignitatis; 10) de Miſſa; 11) de Fide; 12) de oratione Dominica, disputat. (IV.) Propoſitiones ad acuendos iuuenes, ex Cod. MS. Augiae diuitis, primum vulgatae, et ex ed. opp. Bedae Vener. Baſil. a. 1563. p. 135. ſeqq. Sunt pleraque ingenioſa problemata ſiue aenigmata arithmetica, ſic propoſita, vt in eis ſoluendis et explicandis habeant pueri opportunitatem ingenii acuendi; (V.) Epiſtola ad Leonem Papam ex Cod. MS. Salisburg cuius fragmentum ediderat Pezius Theſ. Anecdot. Tom. II. P. I. p. 10; (VI.) Carmina dubia, ex editis non minus, quam ex Cod. MS. deſumta, quae Alcuini eſſe non pauci, ſed ſine argumentis ſatis probabilibus, affirmant; (VII.) Albinus de ſeptem ſigillis ex Cod. MS. Vatican. quod fragmentum nihil ſane, quod ſcitu dignum ſit, docet legentes. Eiusdem tomi parte ſexta comprehenduntur Alcuini opuſcula ſuppoſiti-

ticia; eius in prooemio, ſeu monito praeuio, Ed. Celſ. quoniam animo praecipiebat, fore pleroſque, qui hanc, minimum, in claſſem, celeberrimos libros Carolinos de imaginibus relatos eſſe crederent, tribus potiſſimum cauſſis ſeſe perpulſum ſcribit, cur eos ab Alcuino profectos neget ac perneget: primum, quod auctor vitae Alcuini, in reliquis ipſius ſcriptis recenſendis, hos ſilentio praetermiſerit; tum quod Alcuinus ipſe in epiſtolis, aliisque libris genuinis, de vniuerſa hac disputatione Gallorum Germanorumque cum Graecis nihil plane commemorarit; et tandem quod ſtilus, quo illi ſunt perſcripti, et vniuerſa hunc locum perſequendi ratio, plane diſcrepet ab Alcuini ſcribendi disputandique via et ratione. Hinc eos hoc e libro penitus excludendos ſe credidiſſe; in eaque ſententia magis confirmatum ab Eminentiſſimo Paſſioneo, qui ipſos itidem hinc exſulare iuſſerit. At enim vero, vtcunque haec exiſtimes, libri tamen ipſi, quamquam ſaepe iam typis deſcripti, adeoque admodum parabiles, digni profecto fuiſſent, quos vir quispiam eruditus cum duobus Codd. MS. Bibl. Vatic. contenderit, varietasque, minimum, lectionis, ſi qua notata eſſet, heic loci promulgata fuerit. Interim non ſatis credibile putamus, Alcuinum, qui tantum auctoritate valebat apud Carolum M, quique ab hoc ſuper omni cauſa religionis grauiore conſulebatur, in conficiendis hisce libris plane non adhibitum eſſe in conſilium. Poſtera forſan aetas Cod. MS. in lucem protrahet, quorum auctoritate res adhuc dubia liquido conſtabit. Hinc in ſuppoſititiis libris refertur (I.) liber de diuinis officiis, ex ed. Quercetani, cuius auctorem non eſſe Alcuinum, vti Hiſtorpius, primus ipſius editor, et Quercetanus exiſtimarunt, ſed penitus ignorari, erudite, vt ſolet, demonſtrat Ed. Celſ. in praefatiuncula; (II.) Amalarii Archiepiſcopi Treuirenſis epiſtola ad Carolum M. de coremoniis Baptismi, vna cum duplici Caroli epiſtola ad eundem, miſſa ad Petrum Abbatem Nonantulae, huius quoque epiſtola ad Amalarium, cum huius reſponſoria cet. e Cod.

Cod. MS. Tigurino hic primum edita: commentatiuncula his epiſtolis praemiſſa, complura, quae ad hiſtoriam pertinent, breuiter ſtrictimque exponit; (III.) Adſonis, Abbatis Deruenſis, libellus de Antichriſto, repetitus ex edit. Quercetani, et e Cod. MS. varietate lectionis locupletatus: praefatio Ed. Celſ. itidem complura ad hiſtoriam litterariam pertinentia perſequitur; (IV.) Homiliae quatuor b. Alcuino ſuppoſitae: 1) de ſilentio, in quo miſſum eſt verbum incarnatum, ex editt. 2) de Hypapanti Domini, ex Miſcell Baluzii. 3) de Natiuitate perpetuae Virg. Mariae ex Cod Reg. Pariſ iam primum in lucem edita. 4) in feſto omnium Sanctorum, ex ed. Quercetani et aliorum, de quibus pariter conſulas, oportet, editoris praefationem; (V.) Carmina b. Alcuino ſuppoſita in Quercetani editione, et compluribus in locis, ex editionibus aliis, aut cod. MS. emendatiora. Quae omnia vt abeſſe ab hac editione contendas poſſe, tamen eo nomine grata et accepta eſſe debent, quod Ed Celſ. opportunitatem longe commodiſſimam *κρίσεως*, et hiſtoriae ſcientiam non vulgarem, patefaciendi ſuppeditarunt. Tandem ſequitur triplex, quam diximus, appendix. In prima reperiuntur (I.) Epiſtolae Caroli M. diuerſae, vt 1) ad Offam, regem Merciorum *), ex ed. Quercetani, 2) ad Athilhardum et Celuulfum, ex eadem, 3) ad Homerum, ex ead. et Codd MS. 4) ad Leonem Papam, ex iisd. 5) ad Nicephorum Imperatorem ex ed. 6) ad Michaelem Imperatorem, quae deſcripta ex Cod. MS. Bibl Harlei. hic primum promulgatur; (II.) Epiſtolae tres Angilberti Abbatis ad quendam Epiſcopum, quae itidem primum e Cod. MS. Salisburg. in lucem eduntur; (III.) reſponſio cuiusdam de Septuageſimo, Sexageſimo, et

*) Regis Offae numum argenteum rariſſimum, in horto Abbatiali aliquot abhinc annis effoſſum, ſtudioſeque aſſeruatum, aeri incidendum curauit Ed. Celſ. vtque eum cum viris eruditis, rei numariae ſtudioſis, communicare poſſet, exhibuit Tom. I p. 58. Litterae in parte auerſa excuſae aliquid difficultatis habere videntur.

et Quinquageſimo, ex edit. Quercetani; (IV.) Praecepta Caroli M. 1, et 2, pro monaſterio Cormariceuſi, 3) pro monachis S. Martini, quae repetita ſunt ex Bouqueti Tom. V. Scriptor. Rer. Gallic. p. 764. Ex eorum materia, quam perſequuntur, ſatis apparet, ea hodie diplomata vel priuilegia appellatum iri. In altera exſtant monimenta nonnulla, quouis auro cariora, quae ad explicandam Adoptianorum hiſtoriam et haereſin neceſſaria ſunt, nimirum (I.) Epiſtola Epiſcoporum Hiſpaniae ad Carolum M. in cauſa controuerſiae de adoptione Chriſti, deſcripta ex Henrici Florez Espanna Sagrada, Tom. V. Append. X. p. 558. quam Walchium Vir. Clariſſ. pariter inde promulgaſſe non ignorat Ed. Celſ. (II.) Epiſtola eorundem ad Epiſcopos Galliae, Aquitaniae, et Auſtriae, deſcripta e cod. Bibl. Toletanae, et transmiſſa a Maianſio Celeberr. cuius humanitatem atque beniuolentiam Ed. Celſ. conciliarunt epp. Temleri et Plueri, quos duumuiros litterarum optimarum bono natos, et hoc loco laudibus extollit; (III.) epiſtola Concilii Francofordienſis, cet. qua priorem refellere adgreſſi ſunt huius auctores, repetita ex edd. et emendata e Cod. MS. S. Emmerami iis temporibus ſcripto; (IV.) Epiſtola Caroli M. ad Elipandum et ceteros epiſcopos Hiſpaniae, ex ed. Conciliorum Manſii repetita, eodemque ex Cod. integritati reſtituta; (V.) Excerpta hiſtorica ex Libris Etherii et Beati, aduerſus Elipandum, ſumta ex Henr. Caniſii Monument. Tom. II. p. 297. edit. Basnag. quibus additae adnotationes Pellicerii et Maianſii; (VI.) huius poſterioris epiſtolae ad Ed. Celſiſſ. et vna ad Pluerum, *νῦν ἐν τοῖς μακαρίταις*, acta et ſcripta Elipandi illuſtrantes, quae huius editionis praeſtantiam mirifice augent; (VII.) Candidus de imagine Dei, qui libellus, vel quod fragmentum potius, exſtat in Cod. MS. Salisburg. et Friſingenſi. Tertia denique Appendice continentur: (I.) notitia Eccleſiarum Vrbis Romae, quae nihil eſt aliud, niſi aedium ſacrarum, Romae tum aedificatarum, breuis deſcriptio, primum hic vulgata ex Cod. MS.

Digitized by Google

Salisburg. (II.) Alexandri, Regis Magni Macedonum, et Dindimi, Bragmanorum regis, per litteras pulcherrima collatio, ex Cod. MS. Milleſtatenſi in Carinthia, et editione Palladii, ſuper qua ſententiam rogatus ſuam Clariſſ. Geo g. Henr. Martini, tum Gymnaſ. Ratisbon. R. et Prof. iam vero Lipſiae Scholae ad d. Nicolai Rector, animaduerſiones criticas et philologicas in eam conſcripſit, et per epiſtolam cum Ed. Celſiſſ. communicauit, qui hanc, vtpote pereruditam, necdeue in hiſtoria philoſophica momentum habituram, non ſolum (III.) in lucem protulit, ſed etiam auctoris eruditionem atque beniuolentiam in praefatione vehementer laudauit. Sequuntur (IV.) Addenda et Supplenda, deſcripta ex Cod. MS. Bibl. Gymnaſ. Epiſcop. ad d. Pauli, quem ab omnibus adhuc ignoratum, opere iam fere typis expreſſo, acceperat Ed. Celſ. Ea comprehendunt varii generis carmina. Praeterea addita eſt Epiſtola alia Caroli M. ad Offam, Merciorum regem, repetita ex Wilhelmi Malmeſburienſ. Lib. I. de Geſtis regum Anglorum, c. 4. quam ſupra, in appendice I. (p. 554.) iungere ſpoponderat Tom. I. p. 57. (V.) Corrigenda, cum lectionis varietate, non ſatis in tempore animaduerſa. Finit tandem (VI.) index rerum et ſententiarum ſat copioſus, opus vniuerſum. Quo feliciter perfecto, Ed. Celſiſſ. atque Reuerendiſſimus, omni laude noſtra maior, exegit monumentum aere perennius, ſibique decus ac nomen immortale peperit: cuius gloria et reliqui fructus cum in ordinem vniuerſum redundent neceſſe eſt, in quem cooptatus talem ſe praeſtitit, vt excellentiſſimos, quotquot vmquam fuere, iſtius viros eruditione, prudentia, humanitate, ſi non ſuperet, certe quidem aequet, tum maxime in monaſterium, cui ſumma cum laude praeeſt, quodque denuo ſacrarum linguarum et litteraturae elegantioris ſcholam quaſique mercatum eſſe voluit. Vt enim eſſet, qui κοινοβιακοῖς, in eo degentibus, harum rerum ſcientiam impertiret, e Gallia euocauit, et per aliquot annos admodum liberaliter excepit

Ca-

Carolum Lancelotum, Benedictinum longe clariſſimum atque doctiſſimum, cuius doctrinam, dexteritatem, ceteraſque laudes non ſine grati animi ſenſu praedicat Ed. Celſ. quique ſe graece doctiſſimum eſſe ſignificauit eo, quod in hoc ipſo monaſterio, antequam in patriam reuerteretur, nouam Dionyſii Longini περὶ ὕψους editionem a. 1775. curauit, adiecta noua verſione Gallica, cum praefatione ſane quam elegantiſſima, cuius pars prior eloquentiae principia, hoc in libello ſtabilita, perſequitur, poſterior notas in Longinum philologicas, criticas, alias, complectitur. Id quod hoc loco monemus eam ob cauſſam, quod editionem illam nec ita vt par erat innotuiſſe videmus, et editori celeberrimo, ſeni perquam venerabili, amorem ſtudiumque noſtrum publice teſtificari aequum erat.

CAII PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTORIAE, cum interpretatione et notis integris IOHANNIS HARDVINI, itemque cum Commentariis et Adnotationibus Hermolai Barbari, Pintiani, Rhenani, Gelenii, Dalechampii, Scaligeri, Salmaſii, Voſſii, I. F. Gronovii, et Variorum: VOLVMEN PRIMVM; recenſuit, varietatemque lectionis adiecit IOH. GEORG. FRID. FRANZIVS.

Lipſiae, impenſis Guil. Gottl. Sommeri A. C. MDCCLXXVIII. 8. mai. pagg. 757. praeter praefationes.

Etſi ſeptem et triginta librorum Hiſtoriae naturalis, qui Plinium maiorem auctorem referunt, edendorum illuſtrandorumque, ſuperioribus inprimis duobus Seculis, permulti doctorum curam ſuſcepere, quorum editiones, accura-

rate diligenterque Illuſtris Rezzonicus, in Diſquiſitionibus Plinianis, quarum Tomus prior Parmae a. 1763. poſterior 1767. prodiit, recenſuiſſe dicitur: conſilium tamen nouae editionis parandae cum ſit vtiliſſimum, lectuque digniſſimum opus, exemplumque, quod plane artis Criticae aſſequatur perfectionem, adhuc deſideretur, haud improbandum videtur, praeſertim ſi capiatur a viris doctis, qui Codices et libros a Rezzonico laudatos inſpicere, atque inter ſe conferre et poſſint et velint, qui a lectione veterum Graecorum, vt Ariſtotelis, Theophraſti, recentes ad Plinium illuſtrandum accedant, qui veterum Phyſicorum, Mathematicorum, Medicorum ſcripta, nec non rei ruſticae Scriptores non modo eos, per quos Plinius profecit, ſed etiam illos, qui ex Plinii fontibus ſuos irrigarunt hortos, eo conſilio diligenter perluſtrent, nec in recentioribus rerum naturalium Scriptoribus plane hoſpites ſint, qui quae Budaeus, Iul. C. Scaliger, Salmaſius, Reineſius, Scheuchzerus, Io. Math. Gesnerus, aliique plures, vel data opera, vel quaſi aliud agentes, ad Plinium vel corrigendum, vel illuſtrandum attulere, in ſuos vſus conuertant. His omnibus, aliisque ab Ill. Rezzonico l. c. et Vener. Erneſtio in Fabricii Biblioth. lat. lib. II. c. 13. commemoratis praeſidiis, vt, qui de edendo Plinio cogitant, deque eo praeclare mereri cupiunt, vtantur ſi neceſſarium videtur: facile apparet, hunc laborem non vnius anni finibus contineri, nec vnius hominis vires tantae moli ferendae pares eſſe. Interim, dum meliora ſperantur, adhibeamus quae praeſto ſunt, et ſi nulla editionis Harduini, vel Gronouii, vel alius vetuſtioris detur conſulendae copia, Cl. Franzii vtamur editione, quamuis penes alios, ne quid vel amicitiae, vel ſimultati dediſſe videamur, num eandem mereatur laudem, quam Auctor verſionis Germanicae Plinii, quae Roſtochii anno huius Seculi ſexageſimo quarto prodiit, qui iudice Ven. Erneſtio ad Fabricium, poſt diuturnum rerum naturalium ſtudium, et probe cognito ingenio Pliniano, non male, adeoque

prae-

Digitized by Google

praeparatus ad hunc laborem acceſſit, nec ſolita noſtrae aetati feſtinatione vtitur, necdum, quantum nos quidem ſcimus, alterum Volumen, in quo ſe textum Plinianum emendare, et hiſtoriam naturalem ad noſtra vsque tempora continuare velle, tum temporis promiſit, lucem videre paſſum eſt. Nihil igitur aliud nos quidem agamus, quam vt, cum quid praeſtiterit Clar. Franzius, tum quae pollicitus ſit, breviter commemoremus. Quum ei conſilium fuerit, Plinium Harduini cum editione Gronouii ita coniungere, vt qui ſua editione vti vellet, vtrasque habere putaretur: textum Plinii ad exemplar Harduini Pariſienſe a. 1723. ne vocula quidem mutata, imprimendum, capitum diſtinctione Gronouiana ſuo quoque loco numeris vncinis incluſis notata, ita curavit, vt textui ſubiiceret cum lectionem textus Gronouiani, tum Variantes, litteris *M. V.* interdum et *Alii, Quidam*, inſignitas, coniecturas denique Dalecampii, Pintiani, Turnebi, et ea quidem de cauſa, quod criticas obſeruationes, ab Harduino ad calcem vnius cuiusque libri reiectas, et nomine Notarum Emendationumque notatas, cum Animaduerſionibus Dalecampii, Pintiani, Gelenii, Harduini, ſubiunctis, coniungere tutius atque commodius exiſtimaret. Monendum ſimul lectorem de variis lectionibus, quibus appoſuit verba *Sic ex Mſſ. em. Hard.* eſſe duxit, eas depromtas eſſe ex Mſſ. Vatic. Reg. Colb. Thuan. Pariſ. Lugd. Rigaltii etc. Liber I. Plinii, qui continet indicem argumenti totius operis, deſcriptus eſt ſic, vt in dextro latere folii legatur ordo et inſcriptio capitum apud Gronouium, in ſiniſtro vero ſeries atque tituli capitum apud Harduinum conſpiciantur. His igitur, quae praeſtitiſſe videtur doct. Franzius, commemoratis, agedum quoque quanto plura pollicitus ſit enarremus. Reliquis Voluminibus, (omnes autem Plinii libros ſex voluminibus comprehendi poſſe credit;) varias lectiones, a doctiſſimo Loesnero ſibi communicatas, adiiciet, de quarum fonte et bonitate forſan quoque tum aliquid dicet, quum eas in lucem proferet. In votis quum habeat Cl. Editor, vt ſibi

vti liceat Diſquiſitionibus Plinianis auctore Com. Rezzonico vulgatis, quas elegantiſſimas eſſe ex aliis cognouit; nec dubitamus quoque fore, vt huius libri videndi, et conſulendi, in vrbe et doctis hominibus referta, et libris vndique confluentibus redundante, facilis illi detur facultas atque copia. At de ceteris promiſſis ipſum ſic ſcribentem audiamus, „Accedent quoque indices copioſiſſimi, in quibus potiſſimum in eo elaborabimus, vt nomina herbarum, rerumque naturalium a Plinio commemoratarum, cum Linnaei ſyſtemate comparata, lectionem atque intelligentiam huius auctoris maxime iuuent, lectorumque magis magisque alliciant inſtigentque in perſcrutandis Plinii Commentariis diligentiam. Nec ab hac noſtra editione aberunt Index auctorum praecipuorum, qui in Plinianis notis citantur, illuſtrantur, emendantur, et editionum vt loca laudata facilius inueniri queant, aeque ac Index auctorum, qui a Plinio in indice L. I. vel in ipſa naturali hiſtoria laudantur, quique Tomo I. Harduini praemiſſi ſunt. Vnicuique volumini aliquam commentationem praemittemus, quae libris Plinii adiectae ſunt, vt Vol. II. *Pauli Cigalini* de Plinii patria lectionem primam, et de fide et auctoritate alteram, quae in Gronouii editionis Tomi I. limine conſpiciuntur, reliquis, Harduini disquiſitionem de ſitu Paradiſi terreſtris, ad calcem libri VI. de numis antiquis Vrbium et Populorum, praeponere animus eſt."

Quum nihil de ſuo addiderit: hoc, ſi per temporis rationem, vitae valetudinisque vires, fieri poterit, in fine operis maiori cum otio facere conſtituit. Ex his igitur ſatis ſuperque poterit intelligi, quae ab induſtria Cl. Franzii ſint exſpectanda, quorumque ſpem emtoribus atque lectoribus fecerit: cui ſpei vt reſpondeat euentus, cum ſuae fidei cauſa, tum Plinii quoque gratia, maximopere optandum videtur. Multa enim hic et illic reperiuntur loca, in quibus attentus lector facile haerere, ſedulus vero interpres vim in-

ingenii exercere poſſit, ex quibus vnum modo commemorabimus, qui percurrentibus nobis hanc editionem occurrit. Plinius vero libro II. c. V. Gron. VII. p. 191. de nominibus Deorum ſic ſcribit: *Quippe et omnium aliorum nomina Deorum, et quae ſupra retuli ſiderum, ex hominum nata ſunt meritis. Iouem quidem aut Mercurium, aliter alios inter ſe vocari, et eſſe coeleſtem nomenclaturam, quis non interpretatione naturae fateatur? Irridendum vero agere curam rerum humanarum illud quidquid eſt ſummum, Anne tam triſti atque multiplici miniſterio non pollui credamus, dubitemusue?* Primo verba, *quis non interpretatione naturae fateatur?* ſunt maxime nobis quidem obſcura, nec maiori luce illuſtrantur ab Harduino explicante: *Quis non ad ſignificandas res naturales fingi haec nomina coelitum fateatur?* Quamuis dein Plinius prouidentiam diuinam negaſſe putetur: non tamen probabile videtur eum omnem pudorem adeo exuiſſe, vt ſententiam de cura ſummi numinis omnium riſui exponeret. Heumannus igitur iam, teſte Gesnero in Chreſtomathia Pliniana, ſic legendum ſuſpicatus eſt: *Quis non interpretum naturae fateatur irridendum?* Recte coniunxiſſe videtur Heumannus *fateatur irridendum,* neque tamen erat quod reliqua mutaret. Videtur enim excidiſſe vocula *in, quis non in interpretatione naturae* etc. h. e. dum interpretem naturae agit, vel hiſtoriam naturalem ſcribit. Plinius enim, ſi quid videmus, hoc dicere velle videtur: Quiuis interpres naturae fateri cogitur, ridiculam eſſe ſententiam, ſi quis putet Iouem in coelo quoque appellari a diis Iouem, aut Mercurium vocari Mercurium, aut alios deos aliis nominibus inter ſe inuicem vti, et eſſe quoque in coelo, vt Romae, nomenclatorem, qui ſingula deorum nomina teneat et indicet. Reliqua quoque optime cohaerent, ſi ſic legendum putes. Vere agere curam rerum humanarum illud quicquid eſt ſummum, atque tam triſti atque multiplici miniſterio non pollui credamus? dubitemusue? Nil definire videtur Plinius, ſed arbitrio lectorum permittit, vtrum credere vel dubi-

 bi-

Digitized by Google

bitare de prouidentia velit, et quidem quia numen pol lui, laedi, maieſtas que eius minui videatur, ſi illi miniſterium deferatur, ex hominum ſententia tribuatur primum *triſte*, dein quoque *multiplex*. Sed his miſſis, ad editionem Franzii redeamus, in qua poſt praefationem, quae docet editionum Harduini atque Gronouii verbis Ven. Erneſtii enarrat, leguntur literae Harduini ad Sereniſſimum Delphinum, atque praefatio Harduini, nec non praefatio Typographi Editioni Gronouii praefixa, quae teſtimonia ſelecta veterum de Plinio excipiunt. Priori autem hoc Tomo continentur libri III. priores, inter quos liber primus Elenchum vniuerſi Operis complectens vtrum Plinio debeatur, an a recentiori venerit manu, iure dubitari poſſe videtur. Has vero componere lites haud noſtrum, nec huius loci cum ſit, exſpectamus alterum Volumen ſuo tempore, quod ſi votis doctorum atque intelligentium iudicum reſpondebit, neminem fore putamus, quem vel diuturnioris morae poeniteat. Sat cito, ſi ſat bene. In rebus ad litteras pertinentibus non eſt feſtinandum, ſi non ſolum litterariae reipublicae, ſed etiam nobis ipſis ſatisfacere velimus.

NOVA ACTA REGIAE SOCIETATIS Scientiarum Vpſalienſis. *Vol. I.*

Vpſaliae, apud Ioh. Edman, Reg. Acad. Typogr. Anno MDCCLXXIII. 4.

Quanta ſint, quibus Arctoae Muſae, eo potiſſimum, quo viuimus, ſaeculo, vniuerſum fere ſcientiae humanae campum ornauerunt, commoda, inter omnes omnino doctos homines conſtat. Hiſtoriae autem naturalis, Phyſicae, et Aſtronomiae ſtudioſi, grato inprimis animo agnoſcunt ſum-

Digitized by Google

ſummorum quae Suecia tulit ingenioꝛum labores, tantaeque monimenta doctrinae non ſine inſigni fructu ſuos conuertunt in vſus. Quae quum ita ſint, non defuturos rerum ad has ſcientiae regiones ſpectantium aeſtimatores iuſtos et aequos, quibus haud ingratum opus facturi ſimus, Actorum Societatis Scientiarum Upſalienſis cum iis communicando notitiam, non tam ſperamus, quam confidimus.

Sciendum igitur, annos praeterlapſos eſſe perplurimos, ex quo laudatae Societatis Acta typis excudi deſierunt. Quam tamen moram melius vix excuſari poſſe, quam continue in poſterum ſeruanda Actorum ſerie, et auctores arbitrantur, et nos putamus. Gratulamur vero Societati Sereniſſimi Principis regii et Sudermanniae Ducis Caroli tutelam, cuius ſub auſpiciis non poteſt non in dies noua accipere incrementa. Sed, age, quaenam ſit lucubrationum quae in hoc volumine habentur ratio, paucis iam exponamus. Id tantum monemus, multa ex his ſcriptis Societati iam dudum tradita intra eius cancellos latuiſſe. Sunt vero in vniuerſum quae ſequuntur: I) *De Runis Helſingicis obſeruationes quaedam, ſiue ad Oreadas Helſingicas b. Prof. Magni Celſii, Supplementum O. Celſii, ſenioris, Theol. Prof. Prim. et Archi-Praep. Vpſal.* (p. 1—21.). Integrum de Runis Helſingorum tractatum moliebatur Vir dum viueret doctiſſimus, Magnus Celſius, Mathematum in Academia Vpſalienſi Profeſſor, ſed morte praeuentus inchoatum opus, cuius nouem fere priora capita typis excuſa vidit, perficere non potuit. Abruptos igitur parentis labores in hac lucubratione filius, iam pie defunctus, ſupplere conatus eſt. Cuius Inſtituti ea eſt ratio, vt Capite primo de figura et ſitu Runarum Helſingiearum; ſecundo, de earundem antiquitate exponatur; tertio denique varia proponantur atque explicentur monimenta Runica. Quod vero ad nos attinet, non quidem negamus, hoc ſcriptum haud vulgarem prodere b. Auctoris doctrinam; ſed, ſi dicen-

dum quod res eſt, tantis Runarum explicatio obnoxia eſt difficultatibus, tantis inuoluitur tenebris, vt diuinare potius quam interpretum vice defungi videantur ii, qui Runis, iterum Helſingicis, vtpote quae omnium ſunt antiquiſſimae, ſenſum affingere certum conantur. Non enim, quantum ſcimus, refutata eſt hactenus Athanaſii Kircheri opinio, qui Runas Helſingicas pro ſignis magicis habuit *), quibus antiquiſſimi plagarum ſeptemtrionalium incolae, ad auerruncanda ab agris ſuis mala, vti conſueuerint. II.) *Epiſtola Magni v. Celſe Reg. Cancell. Conſiliarii, qua exhibetur ſupplex libellus coniuratorum contra Iohannem* III. R. S. (pag. 21—31.). Magni certe momenti eſt haec epiſtola, quam ad ſummum virum Carolum de Linnè ſcripſit Celſius. Notum etenim eſt ex rerum geſtarum monimentis, non defuiſſe in Suecia homines, qui Iohanni III. Regi, pontificiis ſacris nimis fauere ſolito, eſſent infenſi. Quae ad molimina illuſtranda egregie facit ſupplex libellus, a coniuratis ad Henricum III. Galliarum Regem transmiſſus, qui ex Codice MS. regiae Bibliothecae Stokholmienſis deſcriptus, integer, et in ipſo autographi idiomate, id eſt Francico, ſiſtitur. Diſcimus autem ex illuſtri hoc monimento, tale fuiſſe coniuratorum conſilium, vt ſuppetias ferente Rege Galliarum, Iohannem imperio exuerent, inque illius locum ſurrogato Erici Regis filio,

*) Ipſa quae huc faciunt verba ex libro Italico, qui inſcribitur: Mappamondo Iſtorico Tom. V. P. II. (in Venezia 1710. in 4.) exſcribere lubet. Suethica in laudato volumine hiſtoria tractatur, et quidem auctor Anonymus de Runis Helſingicis disputans in prolegomenis pag. 14. ita pergit: „Il Padre Kircher Geſuita, tanto accreditato per la „cognizione che aveva di queſta ſorte di monumenti, o di „miſterioſi caratteri, ricercato dal' Celſio, (de Magno Celſio Olai patre loquitur,) che gliele aveva inviate della loro ſpoſizione, riſpoſo: Ingannarſi coloro che giudicavano „quelle eſſer Lettere, altro non eſſendo che ſegni ſcolpiti „dalla ſuperſtizione, ne' ſaſſi, per allontanare dal ſeminato „i nocivi animali."

Digitized by Google

filio, clientelare redderent et tributarium Regnum Sueciae Henrico III. et eius ſucceſſoribus. III.) *Methodus inueſtigandi origines Gentium ope inſtrumentorum ruralium, Auctore Andrea Berch, Equite Reg. Ord. de Waſa, et Prof. Oeconom. et Commerc. Upſal.* (p. 32—37.). Non ſpernenda eſt viri ſagaciſſimi lucubratio, ex qua perſpicere poſſumus, quam varia ſint artificia, quibus ad indagandas populorum origines peruenire poſſimus. Silentibus enim Annalium libris, niſi in fictionibus hiſtorico parum dignis omne praeſidium quaerere quis malit, ad linguam, mores, leges, inſtituta Gentium, quarum de origine quaeritur, recurrendum eſt. Quare, quum quaelibet regio domeſtica etiam habere ſoleat inſtrumenta, ad agros colendos comparata, non ſpernendus nobis videtur labor Auctoris, qui ex ſimilitudine inſtrumentorum ruralium, figuris aeri inciſis expreſſorum, quibus variarum Sueciae prouinciarum incolae vtuntur, eorum originibus aliquid lucis affundere conatur. IV.) et V.) *Anomia deſcripta a Thoma Pennant, Nobili Anglo, et a Carolo de Linné*, (p. 38—43.). Conchae maritimae ſpecies eſt, cuius vtraque teſta valde tenuis et pellucida, vertex valuae inferioris foramine circulari, quod vsque ad animal ipſum penetrat, pertuſus. VI.) *Furia Infernalis, vermis, et ab eo conciliari ſolitus morbus, deſcripti a Daniele Solander, Med. D. et Muſ. Britan. Lond. Praefect.*, (p. 44—58.). Characteres vermis, de quo auctor loquitur, eo redeunt, vt corpus illius ſit filiforme, continuum, aequale, vtrinque ciliatum, aculeis reflexis, appreſſis. Morbum, quem vermis ille in cutem penetrans infert, ſeptemtrionales populi *Skott* appellant, id eſt ictum, quum homines nil tale metuentes aggrediatur. Accedit vero morbus, ſi rationem habeamus ſymptomatum, proxime ad Paronychiam ſeu Panaritium. Inflammationem enim parit, dolores excitat acutiſſimos, oſſa ipſa ſollicitat carie, maculas in cute gignit nigreſcentes, et ſingulis temporis momentis latius diſſerpere ſolitas. Quae omnia plenius diſci poſſunt ex exemplis ab auctore hu-

Digitized by Google

huius ſcripti in medium prolatis. VII.) *Claſſes Laruarum definitae a Forberno Bergman, Chem. et Metallurg. Prof. Equit. Reg. Ord. de Waſa.* (p. 58—65.). Exhibet hoc loco laudatiſſimus Bergmanus ſyſtematis Laruarum, quod iam in dit itur, prodromum; in quo characteres, ſtructura externa, et metamorphoſes, quibus diſtingui poſſint octo Laruarum claſſes, recenſentur. Habent enim Laruae vel caput membranaceum, vel corneum. Si illud, a celeberrimo auctore *Midae* dicuntur. Si hoc, vel dentibus ſunt praeditae, vel dentibus carent. Illo in caſu vel exſerti ſunt dentes, vel minus. Si hoc, Laruae *Raucarum* nomine veniunt; ſi vero illud, aliae occurrunt Laruae quae pedes habent corneos, quas *Simulta*, aliae quae pedes corneos et membranaceos ſimul, et quidem membranaceos aut vltra decem, quas *Bractos*, aut non vltra, quas *Campos* dicit; aliae denique pedibus carent, quae *Bugones* vocantur. Si vero roſtrum dentibus armatum non fuerit, illud aut duplex habent Laruae, quae *Serphi*, aut ſimplex, quae *Ipedes*, a ſagaciſſimo Bergmano doctrinae cauſa dicuntur. VIII.) *Tipula, fuſca, antennis ſimplicibus, alis longitudinaliter plicatis, deſcripta a Carolo L. B. de Geer, S. R. M. Aulae Mareſchallo* (p. 66—77.). „Elegans eſt ad Entomologiae illuſtrationem faciens commentatio, quae iam anno 1757. cum regia Societate communicata, ſed tamen hactenus publici iuris facta non fuit. Larua huius tipulae, de qua ſermo eſt, in Tab. VI. Fig. 1. aeri inciſa exhibetur. Pertinet vero ad illud laruarum genus, cui V. C. Bergmanus Bugorum nomen impoſuit. Caput enim habet membranaceum, dentes duos, pedibus caret, corpus eſt horridum, aculeis ex omnibus fere punctis prominentibus, ita vt primo quouis intuitu *erucarum*, quae *ſpinoſae* dici ſolent, ſpeciem referre videatur. Nec reticendum, laudatam laruam caput ſuum penitus recondere in primum corporis articulum, ita vt contractis anterioribus articuli partibus, quibus cauum quo caput abditur occludi ſolet, nullum prorſus laruae caput eſſe vi-

videatur. Occulit vero caput larua ſi illam tetigeris, vel alio etiam modo turbaueris; exſerit iterum, ſin eam ſibi reliqueris. Tipula ipſa, quae ex hac larua in nympham prius mutata oritur, magnitudinis eſt mediocris, et ſeptem fere aequat lineas. Pectus ſphaerae inſtar tumidum, aquilini eſt coloris, qui in capite etiam obſeruatur; abdomen fuſcum, in tergo a pectore ad extrema vsque obſcura linea progreditur; pedes ſex, admodum longi oculi, tentacula, antennae atque pedes nigri. Illud peculiare habet haec Tipula, quod alae ſecundum longitudinem, magnam partem plicatae conſpiciuntur, eundem fere in modum, vti veſparum alis accidit, niſi quod in tipula ſurſum vertatur plica, in veſpis flectatur deorſum. Forma tipulae exhibetur in Tab. VI. Fig. 15. IX.) *De Hyaena, narratio, miſſa Algeria, ab Erico Skioldebrand, Reg Conſiliar. Commerc.* (p. 77—80). Beſtia, quae hic deſcribitur, partim Lupum ſi caput ſpectaueris, cuius tamen truculentior quam in lupino capite ſpecies, partim aprum, ſimilitudine refert. Perſuaſum ſibi habent Mauri, et aliis perſuadere conantur, cerebrum huius ferae magicis inſeruire artibus; quamobbrem publicae inſtar legis tenent, vt integrum beſtiae caput, praeſentibus teſtibus fide dignis, in tellurem merſum condatur. Originem vero traxit haec fabula ex eo, quod Mauri inſanum fieri et circumagi rabie eum, qui de cerebro Hyaenae ederit, quod obſeruatum etiam eſt in cane venatico, qui fugientis beſtiae linxerat ſanguinem, viderunt. X.) *Bellis Cretica, fontana, omnium minima, deſcripta a Ioh. Chriſtiano Dan. Schrebero*, M. D. et P. Bützou. (p. 81—85.). Planta, cuius icon exhibetur in *Tab. V. Fig. 2.* Cretam natalem locum agnoſcit, vbi in fontibus habitat, flores habet paruos, cuius *calix* eſt ſimplex, erectus, conſtans foliolis quinque ad decem, ouatis, acutis, hiſpidis, aequalis figurae et magnitudinis, margine membranaceis, *corolla* compoſita radiata, corollulis hermaphroditis, femineis tot quot foliola calicis; *Stamina*, filamenta quinque minima, anthera cylindracea, *Piſtilla* oblonga, coronata, cum ſtigmate bifido; *pericarpium* nullum; *ſemina* ſolitaria, oblonga, ſquamis et ariſtis coronata; *receptaculum* nudum, paruum. XI.) *Epiſtola I. C. D. Schreberi M. D. ad Carolum de Linné, qua*

Z con-

continentur varia noua botanica (p. 85—94.). Deſcribuntur hoc loco variae plantae Africanae, a V. C. Schrebero ad ſummum virum Linneum tranſmiſſae. XII.) *Heliophila deſcripta a Laur. Burmanno M. D. et P. Bot. Amſtelod.* (p. 94—96.). Plantae huius, quam Tab. VII. exhibet, characteres ſunt: denticulus nectariferus reflexus ad baſin Staminum minorum, glandulae quatuor ad latera denticuli, ſiliqua cylindrica compreſſa, toberculata. XIII.) *Ellisia Nyctella, deſcripta a Car. de Linnè* (p. 97—98.) Planta haec copioſe naſcitur in America ſeptemtrionali, ſed in hortis etiam noſtris non facillime ſolum prouenit, ſed et ſponte ſe ipſam diſſeminat. XIV.) *Dionaea, Muſcipula, deſcripta a Ioh. Ellis, Nobili Anglo* (p. 98—101.). Herbacea eſt planta, Anglis *Venus's Vlytrap* dici ſolita, paludum, quae borealem inter et auſtralem Carolinam iacent, indigena. Perianthium habet pentaphyllum, corolla petalis quinque conſtat obouato oblongis; ſtamina ſunt decem, antherae ſubrotundae; piſtilli germen ſuperum ſubrotundum, depreſſum, crenatum; ſtigma patens margine fimbriatum; Pericarpii capſula gibboſa, vniloculâris; ſemina plurima, minima, ſubouata, baſi capſulae adnata. Plenior nouae huius plantae deſcriptio a ſolertiſſimo auctore data eſt Londini a. 1769. in 4. XV.) *Obſeruatio de oſſibus in pericardio hominis, cordi vndique adhaerente, repertis, a Sam. Aurivillio, Med. Reg. et Prof. Upſal.* (p. 101—104.). Molles nonnumquam corporis humani partes ſuam ita mutare indolem, vt oſſeam quoque duritiem naneiſcantur, tam notum eſt quam quod notiſſimum. Attentionem itaque eorum, qui artem ſalutarem tractant, merentur ſcripta, in quibus vitiata hac ratione partium ſtructura deſcribitur accuratius, ita vt ex vniuerſo corporis ſtatu rationes, quibus metamorphoſis illa facta ſit, diuinare liceat. Quo nomine hanc etiam Viri experientiſſimi commendamus lucubrationem. XVI.) *De Remediis Galactophoris, auctore Pet. Iona Bergio M. D. et P. Stockholm.* (p. 104—108.). Quum auctor experientiſſimus nonnullarum, plantarum quae ad vmbellatarum genus referendae ſunt, vires, in ſananda rigiditate, qua glanduloſa mammarum fabrica nonnumquam corripitur, variis confirmatas viderit exemplis, hoc loco quinque caſus mor-

bo-

borum huius generis enumerat, ſubiuncta ſpecierum, quibus ad vſum reuocatis dictos e medio ſuſtulerit morbos, recenſione. XVII) *Relatio de Haemoptico per ſpiritum frumenti nitro ſaturatum curato, a Ioh. Hartman, M. D. et P. Aboenſi* (p. 109—111.). Dignus omnino caſus, qui memoretur, eſt, quem hoc loco vir experientiſſimus cum Medicis communicauit. Variis enim remediis, quibus haemopticus a morbo ſuo liberaretur, incaſſum adhibitis, tandem in mentem venit auctori doctiſſimo aegrotanti perſuadere, vt cum ſpeciebus, quibus hactenus iam vſus fuerat, ſpiritum frumenti nitro depurato ſaturaret, atque ita ſaturatum aliquoties per diem deglutiret. Quo facto, tam exoptatus ſpei reſpondit euentus, vt aegrotus, ab omni omnino haemoptyſi liberatus, per menſem deinde integrum variis contra tuſſim atque expectorationem medicamentis vti, et priſtinum denique corporis vigorem recipere potuerit. XVIII.) *Experimenta Electrica, tranſitum commotionis per aquam illuſtrantia, auctore Torberno Bergman,* (p. 111—118.). Ex variis hoc loco, quae laudatiſſimus auctor fecit, periculis, oſtenditur: 1) paruam aquae quantitatem non ſufficere ad transmittendam fluidi electrici in experimento Lugdunenſi exploſionem, ita vt maior quaedam concuſſio oriatur; 2) glaciem in circulum exploſionis introductam, concuſſioni tranſitum non denegare, ſed potius magna potiſſimum glaciei fruſta transferendae concuſſioni eſſe idonea, quin etiam cylindros niueos humectatos, et magis compreſſos, electricam concuſſionem egregie propagare. XIX.) *Aurorae Boreales annis 1759, 1760, 1761, et 1762. obſeruatae a Torberno Bergman* (p. 118—150.). Ex egregiis, quae hic recenſentur, obſeruationibus; vnicam modo, vtpote quae ad perſpiciendam facit affinitatem fluidi magnetici, earumque quas aurorae boreales in medium proferunt ſuis vibrationibus particularum, huc transſcribere lubet: „*Anno 1762. d. 18. Decembr. hor. 8. min. 34. nouus in plaga boreali ſurgens arcus, qui prope Zenith ſingularem induebat figuram. Scilicet ruptus eſt arcus in occidentali parte, loca vero ſeparationis facta ſunt puncta flexus contrarii, e quibus faſciae aliis tenuioribus parallelis conſtantes prodibant, quae a ſe inuicem magis magisque recedebant, haud fere aliter ac in limatura martis due*

flumina magnetica ſeſe repellentia. . . . Pars ſeptentrioni propior debilior et breuior erat. . . . Flammae et incendia mox vbique." XX.) *Variae cryſtallorum formae a ſpatho ortae, explicatae a Torberno Bergman* (p. 159—155.). Ex ſpatho calcareo parallelipipedi obliqui figuram referente, cuius plana omnia rhombi ſint eius indolis, vt anguli obtuſi gradibus $101^{\frac{1}{2}}$, acuti vero ſinguli $78\frac{1}{2}$ aequales deprehendantur, cryſtallorum varias generari poſſe ſpecies, ſagaciſſimus auctor contendit; quo autem modo haec generatio procedat ex accumulatione parallelipipedorum ſimilium, additis figuris rem omnem illuſtrantibus egregie docet. Neque credat aliquis, temere inanes hic recenſeri ſpeculationes, ex Geometriae de natura corporum regularium doctrina depromtas. Ipſa etenim ocularis cryſtallorum inſpectio, internam illarum ſtructuram, cum laudatis principiis optime conuenientem, ſiſtet, ſi modo ſenſim et prudenter, quod V. C. Bergmannus monet, compages cryſtallorum laxetur. XXI.) *Obſeruatio deliquii lunaris d. $\frac{8}{19}$ Iunii an. 1750. facta in obſeruatorio Upſalienſi a Martino Stromer, Aſtron. Profeſſore* (p. 155—168. Huic laudatae eclipſeos obſeruationi variae aliorum deliquiorum, tum ſolarium, tum vero etiam lunarium, recenſiones, ſubiunguntur; quibus tamen pro ſcopi noſtri ratione diutius immorari nolumus. XXII.) *Problema Aſtronomicum: Inuenire correctionem Meridiei, auctore Friderico Mallet, Mathem. Infer. Prof. Upſal.* (p. 169—173.). Aſtronomos a momento, quo centrum Solis per meridianum cuiuscumque loci circulum tranſit, initium facere numerandi temporis, notum eſt. Quod momentum vt determinetur accuratius, altitudinibus Solis, quas vocant, correſpondentibus, id eſt, ante et poſt meridiem aequalibus, vtuntur. Iam vero quum declinatio Solis ſingulis momentis mutetur, facile patet, eam v. c. quarta hora poſt meridiem non fore eandem, quae octaua ante meridiem hora fuerat. Vnde determinatum per altitudines correſpondentes meridiei momentum correctione quadam indiget, quae, quomodo optime fiat, formulis generalibus expreſſit laudatiſſimus huius meletematis auctor. Ponamus enim, Radium ſphaerae $= r$, angulum correctionis, de cuius quantitate quaeritur $= Z$; eleuationem aequatoris $= A$, com-

ple-

plementum declinationis Solis ante meridiem $= B + N$; idem complementum poſt meridiem $= B - N$; differentiam circulorum, horas quas poſuimus ante et poſt meridiem definientium $= 2\ C$; ita vt angulus inter circulum horae antemeridianae et meridianum interiectus fiat $= C - Z$; angulus vero inter meridianum et circulum horae poſtmeridianae interceptus ſit $= C + Z$. Quibus ita diſpoſitis, ad vſum reuocatur theorema Trigonometriae ſphaericae, per quod in triangulo ſphaerico, cuius latera dicantur a, b, c; angulus vero lateri a oppoſitus $= u$ habemus $Cof.\ a = Cof\ u \times Sin.\ b \times Sin.\ c + Cof.\ b \times Cof.\ c$. Ex quo tandem efficitur $Sin.\ Z = Tang.\ N \left(\frac{Cot.\ A}{Sin.\ C} - \frac{Cot.\ B}{Tang.\ C}\right)$ vel etiam quia arcus N et Z ſunt valde parui, ita vt arcus ipſi pro tangente atque ſinu ſubſtitui poſſint:

$$Z = N\left(\frac{Cot.\ A}{Sin.\ C} - \frac{Cot.\ B}{Tang.\ C}\right)$$

XXIII.) *Melet. ma Aſtronomicum auctore Friderico Mallet* (p. 174—177). Proponuntur in hac lucubratione a Viro ſagaciſſimo demonſtrationes nonnullae breuiores et faciliores iis, quae in ſyſtematibus aſtronomicis occurrunt, ad naturam et proprietates Ellipſeos, tum vero etiam ad leges quas motus Planetarum ellipticus ſequitur, referendae. Noſtri iam non eſt inſtituti, recenſere ſingula quae laudatiſſimus auctor praeſtiterit. Hoc ſolum notamus, elegantem imprimis eſſe demonſtrationem, aeque ac facilem, qua theorema ſequens corroboratur: *Sit R velocitas tangentialis in puncto quodam orbitae ellipticae, et S velocitas quam planeta cadendo verſus centrum motus elliptici acquirat; A = axi Ellipſeos, d = diſtantia puncti de quo ſermo eſt, ab altero foco: ex vi centripeta in eodem puncto erit* $S^2 : R^2 = 2\ A : d$. XXIV.) *Integratio aequationis differentialis, auctore Friderico Mallet* (p. 178—179.). Aequatio de qua ſermo eſt formulam habet quae ſequitur:

$$dy\,d^3y + a - 2\,d^2y^2 + 2ab\,dy^2\,d^2y + (b^2 + c^2)a\,dy^4 = 0$$

Ex qua demum efficitur:

$$dx = \frac{B\,dy\,N^{by}}{\left(N^{\frac{1}{2}A+acy} - N^{\frac{1}{2}A-ay}\right)^{\frac{1}{2}}}$$

XXV.) *Cogitationes de Excidio Naturae, exhibitae a Daniele Melander, Aſtron. Prof. Upſal.* (p. 178—194.). Ex iis quae hoc loco proponuntur argumentis, pro defendendo mundi corporei excidio, ea nobis placuerunt, quae ex annuo ſtellarum fixarum motu, licet, ſi ad circuli partium menſuram reduxeris, minime depromta ſint. Fieri enim poſſe ex hac obſeruatione arguit doctiſſimus auctor, vt ſtellae verſus telluris globum appropinquatio, ob immenſam illius diſtantiam ſenſibus vix percipiatur, nihilo tamen minus ſtella, in tramite ſuo pergens, tandem in terram, vel in aliud quodcumque corpus coeleſte impingat, eique afferat interitum. Infirmiori autem talo ſtare nobis videtur aliud argumentum, ex ſucceſſiua corporis ſolaris imminutione hauſtum. Suam enim facit diligentiſſimus auctor. Neutoni de emanatione lucis theoriam, cui hodie Euleri placita recte anteponuntur. Non poſſumus autem quin notemus, Eulerianam hanc hypotheſin non impedire, quo minus ſingulis momentis, tum Soli, tum planetis, aliquas eripi particulas per exhalationes ſubtiliores, quae craſſioris atmoſphaerae limites excedant, atque ita deminuta materiae maſſa, vim quoque centripetam corporum circa ſolem, ſtellas, planetasue circumuolui ſolitorum, imminui ita, vt non poſſint non a centris motus in dies longius recedere. XXVI.) *Codex Manuſcriptus Operum Horatianorum Bibliothecae Regiae Academ. Upſal. recenſitus a Carolo Auriuillio, antehac Poeſ. nunc Lingu. Orient. Prof.* (p. 195—208.). Formam huius codicis membranacei ectypon ſiſtit in *Tab. X.* conſpicuum. Minuſculis ipſe codex exaratus eſt litteris, quas *Longobardicas* vocant; maiuſculae tamen etiam occurrunt in duabus, a quibus *Lyrica*, carmen *de Arte poetica*, et *Epiſtolae*, incipiunt lineolis. Vocula *et* nonnumquam ſcribitur figura quae eſt ſexta Baringianae clauis, (*Compend. Scrib. Tab. IV. edit. Hanov. 1737.*). In vniuerſum non abludere videtur litteras pingendi ratio ab exemplis vndecimi ſaeculi et duodecimi, quae apud Mabillonium et Auctores Noui

Tra-

Tractatus diplomatici habentur. Subiungitur in fine lectionum in hoc codice aliisque MSS. Codd. obſeruatarum varietas. Agmen Scriptorum, quae in nitidiſſima hac collectione leguntur, claudit *Erici Benzelii*, iunioris, Archiepiſcopi Vpſalienſis, vita (p. 209—224.), qui immortalibus in Bibliothecam Vpſalienſem ornatus meritis, anno 1743. d. 23 Sept. denatus eſt.

IN PLVTARCHI LIBELLVM περὶ δυσωπίας: CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI, Profeſſor, et vtriusque Gymnaſii Mosquenſis Rector.

Venit in manus noſtras, auctoris beneficio, docta et elegans in Plutarchi libellum, *de vitioſa verecundia*, commentatio, quam, quod MSS. Codicibus vir doctiſſimus vſus eſt, atque iſtorum ope loca varia emendauit et ſanitati reſtituit, cum Lectoribus noſtris integram, meliorum litterarum commodo, communicamus. Ita vero ſuper hoc loco commentatur:

„Multa quidem ab intelligentibus in Plutarcho repreheنsa ſcio; nec tamen iſta reprehenſio eo vmquam valuit, vt nullae omnino virtutes orationi eius aut relictae, aut tributae viderentur. Vitio quidem vertitur orationi eius nimia in quibusdam locis cura, nimia item in aliis negligentia, ornatus aſcitus magis quam natiuus, argumenta inchoata et imperfecta, nec concluſa, alluſiones ad fabulas, ad poetarum loca, ad veterum philoſophorum argutias, ad clarorum virorum dicta et facta, ſubobſcurae, longius repetitae, temereque inculcatae, vana interdum lectionis oſtentatio, verborum translationes modum excedentes, ſimilitudinemque negligentes, ad poſtremum totius orationis diſcolor forma, multisque pigmentis multoque artificio aequiſita et fucata pulcritudo. At contra, quicquid ſublimiter, grauiter, facete et acute dictum apud alios raro et ſparſim reperias, id apud Plutarchum, vt Heſiodi verbis vtar, *καὶ ἰλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι Ῥηϊδίως.* Grauis ſententiis, doctrinae copia ſplendidus, notanda hominum indole acutus, probabilis, ſuauis, morum praeceptis cautus, ſeuerus, varietate amoenus, translationibus laetus, compoſitione nouus, ingenii celeri et improuiſo motu ſaepe etiam lectorem attentum op-

opprimens. His tot tantisque virtutibus viri motus ſum, vt hoc tempore vnum ex libellis eius, quem *περὶ δυσωπίας*, ſeu *de vitioſa verecundia* inſcripſit, breuiter recenſere inſtituerem. Mearum autem partium eſſe duxi, quam breuiſſime fieri poſſet, totam Plutarcheae orationis imaginem, tamen lineis tantum deſignatam, leuiterque adumbratam, vt in interpretatione plerumque fieri ſolet, exhibere, huiusque libelli argumentum, conſilium, et elaborationem, quaſi oculis ſubiicere; tum vero etiam ſingulorum locorum vitia nonnulla, vel ſcribarum negligentia illata, vel correctorum temeritate obtruſa, tollere.

Quaedam, ergo inquit, (Tom. II pag. 528. edit. Xyland.) eorum, quae terra effert, ipſa quidem per ſe ſilueſtria et ſterilia ſunt, et in detrimentum ſeminum et plantarum hortenſium creſcunt: nihilo minus tamen agricolae ea pro indicio ſoli haud mali, imo generoſi et pinguis, habent. Ita ſunt quoque animi quaedam affectiones, per ſe quidem non bonae, bonae tamen quaſi germina indolis, quae rationis praeceptis facili negotio excoli poſſit. Ad iſtas animi affectiones refero etiam vitioſam verecundiam, quam graeco vocabulo *δυσωπίαν* appellamus, quae quidem haud mali ingenii indicium eſt, malo tamen facile originem dare poteſt. Saepiſſime enim eodem modo peccant impudentes et nimis verecundi. In hoc tamen differunt inter ſe, quod hi ex peccatis ſuis aegritudinem et dolorem ſentiunt, iſti autem exinde gaudium capiunt. Impudens enim nullo turpitudinis ſenſu afficitur: qui autem nimis verecundus eſt, vana etiam turpitudinis opinione mouetur. — Ac Cato quidem magis ſe probare aiebat adoleſcentes eos, qui erubeſcerent, quam qui palleſcerent; recte monens et praecipiens, magis cauere, ne reprehendaris, quam ne conuincaris, magisque timere ſuſpicionem, quam periculum. Attamen reprehenſionis quoque nimia ſuſpicio nimiusque timor minuendi ſunt, (pag. 529.) quod ſaepe etiam nonnulli non minus prae timore malae famae, quam damni, animum abiecerunt, honeſtatemque prodiderunt, ignominiae ſuſpicionem fugientes. — Debemus autem aptam quandam vtriusque vitii moliri miſtionem, quae et rigidiorum iſtorum morum impudentiae, et horum nimis mollium imbecillitati, medeatur,

quam-

Digitized by Google

quamquam haec curatio nec difficultatibus careat, nec ſine periculo fieri poſſit temperamentum eius, quod vtrinque modum excedit. Vt enim agricola ſilueſtre et ignobile gramen demiſſo celeriter ligone radicitus euellit, aut igne etiam admoto exurit, vitem autem accedens, amputatione opus habentem, aut malum oleamue tractans, caute manum admouet, timens, ne oculos bene valentes coecos reddat: ita morum praeceptor, inuidiam exſcindens ex animo iuuenili, ignobile et intractabile germen, aut auaritiam, egenam ſemper, aut libidinem immoderatam extirpans, fauciat, premit, cultellum impigre demittit, altamque cicatricem facit; ſi autem applicet conſilium coercens molli et tenerae parti animi, (cuiusmodi eſt illa nimia ad quidlibet verecundandum propenſio), multam curam habet, ne per imprudentiam ſimul exſcindat verecundiam. Primum autem omnium hoc ſibi perſuaſum habere debet is, qui nimia verecundia vrgetur, ſe vitio detrimentoſo eſſe obnoxium; nihil autem, quod detrimentoſum ſit, eſſe laudabile. Propterea non debet voluptatem exinde capere, ſi qui eum laudibus permulceant, aut ſi vrbanus et comis magis appelletur, quam grauis, magnanimus, iuſtus. — Nimia verecundia, infirmos et imbelles infeſtans, nec abnuere, nec obloqui permittit, eosque in iudicio abducit a iuſto, in deliberationibus obturat eis ora; contra autem multa et dicere et facere cogit contra ipſorum voluntatem, (p. 530.) et importuniſſimus quisque dominus et victor eorum exiſtit, impudentia expugnans verecundiam. Eſt enim iſta δυσωπία humili oppido et ignauo ſimilis, quod quorumlibet incurſionibus patet, et nullius arcere impetum poteſt, turpiſſimisque negotiis et affectionibus aditum permittit. Niſi enim iſta vitioſa verecundia contra adulationem ſit munita, reliqua munimenta omnia nec ſatis firma, nec ſatis occluſa videntur, ſed inſidiantibus prodita patent omnia. Ac donis quidem obnoxia ſibi nonnulli faciunt nequiſſima ingenia; perſuadendo autem, et mouendo, verecundiam ſaepiſſime optimi quique ſunt ſubacti. Omitto commemorare damnum, quod per iſtam δυσωπίαν rei familiari infertur, cum ſaepe mutuo dant iis, quibus fidem abrogant, ſpondent, pro quibus nolunt, dum interim laudant illud, Sponde, et habebis damnum, vti autem in ipſis negotiis neque-

queunt. Quam multis autem iſtud vitium interitum attulerit, difficile ſit enumerare. Creo quidem, (vt eſt apud Euripidem,) Medeae dicens: Conſultius eſt, me nunc tibi aduerſari, coniux quam poſtea ob nimiam indulgentiam lugere, aliis conſilium dedit. Ipſa enim verecundia oppreſſus, vnam diem petenti concedens, totam familiam ſuam perdidit. — Cum ergo iſte animi morbus tantorum malorum cauſas contineat, videndum eſt, annon exercitatione eum amoliri poſſimus, initium facientes vt ii, qui alia huiusmodi meditantur, a rebus leuioribus, in quibus non admodum verecundari ſolemus. Exempli cauſa, in coena quis propinat tibi, iam ſatiato: noli verecundari, aut vim adferre tibi, ſed depone poculum. Alius rurſus inter pocula te poſcit ad aleam: abiice inanem verecundiam, nec metue dicteria, ſed, vt Xenophanes. cum eum Laſus Hermionenſis, nolentem colludere ipſi, timidum appellaret, palam prae te fer, te prorſus timidum eſſe et infirmum in rebus turpibus. Caſu rurſus incidiſti in hominem garrulum, qui te perſequitur et detinet, quid opus eſt verecundia? fac finem colloquio, propera, et ſtrenue perge in eo quod cepiſti. Huiusmodi enim declinationes atque detrectationes, (p. 531.) quae contemnenda vili reprehenſione nos praeparant ad vacuitatem falſae verecundiae, ad res grauiores nos fortes faciunt. — Quid enim facturus ſis in rebus maioris momenti, rege aut ciuitate poſtulante, et mollem animum tuum tentante, ſi nec poculum familiari propinante reiicere poſſis, nec loquacis captiones declinare, permittens, vt homo ineptus turpiter te abutatur? Quidni audes reſpondere: Alias te videbo, nunc non vacat. Imo nimis verecundi meditatio et exercitatio in rebus leuibus, veluti cum aliquis laudatur, haud inutilis eſt. Vt, ſi in conuiuio citharoedus amici male canat, aut magno emtus hiſtrio Menandri fabulam perdat, plerique autem applaudant et admirentur, quid impedit, quo minus cum ſilentio audias, nec contra animi ſententiam illiberaliter laudes? Niſi enim in his tui compos fueris, quid quaeſo, facturus ſis, amico malum carmen recitante, aut monſtrante orationem a ſe conſcriptam? Inepte ſcilicet et ridicule laudabis, et cum adulatorum vulgo exclamabis? Quomodo eundem amicum, in rebus grauibus aberrantem, in viam reduces? Quomodo vel in adminiſtranda

re-

republica, vel in coniugio, vel in reliqua vita ciuili, peccantem corriges? Equidem enim ne Periclis quidem factum probo, qui, poſtulante amico, falſum ipſi teſtimonium exhibere, quod iureiurando firmandum erat, reſpondebat, ad aram vsque ſum amicus. Nimis enim propinque acceſſit. Qui vero adhuc procul ſtans ſe ita inſtituit, vt nec dicentem contra animi ſententiam laudet, nec flebiliter cantanti applaudat, nec iocum alio mouente in cachinnum erumpat, is nunquam eo vsque graſſari impudentem patietur, vt dicat, Iusiurandum pro me interpone, Falſum teſtimonium mihi exhibe, Fer contra leges ſententiam. Ita quoque eis nos opponere debemus, qui pecuniae noſtrae inſidiantur, exercendo nosmet ipſos in rebus vilibus, quas recuſare non ſit admodum difficile. — Ac (p. 532.) de exercenda facultate abnuendi et negandi haec ſatis dicta ſunto. Ratiocinationum autem, ad hanc rem vtilium, prima ea eſt, quae docet et monet, omnibus animi affectionibus et morbis ea adiuncta eſſe, quae maximo opere per ea fugere volumus: veluti ambitioni, infamia; voluptatibus, dolores; ignauiae, labores; contentionibus, repulſa et condemnatio. Vitioſa autem verecundia, quae quaſi fumum ignominiae fugit, in ignem ipſum ſolet incidere. Dum enim denegare timent importune poſtulantibus, poſtea, cum iuſte eos alii reprehendunt, pudore afficiuntur, metuentesque leuem reprehenſionem, ſaepe ad manifeſtam turpitudinem adacti ſunt. Nam et amico pecuniam petente, verecundia impediti, quo minus recuſent, poſtea conuicti, non habere, turpitudinis crimen incurrunt. Aliis rurſus, in ius vocatis, profeſſi patrocinari, poſtea aduerſarios verentes, latibula quaerunt fugamque capeſſunt. — Quod veterum quis dixit, Omnes, qui Aſiam habitent, vni ſeruire homini, quod vnam tantum ſyllabam Non proferre non auderent, id iocoſe magis, quam ſerio dictum eſt. Nimis autem verecundantibus, etiamſi nihil dicant, licet aut ſublato ſupercilio, aut deſpicientibus, multa moleſta et abſurda miniſteria effugere. Nam quod Euripides dixit ſilentium ſapientibus pro reſponſo eſſe, id mihi magis in importunos videtur conuenire. Sapientes enim facile vel oratione flectere poſſumus. Expedit etiam meminiſſe, et in promptu habere illuſtrium et honeſtorum

Digitized by Google

virorum dicta et reſponſa aduerſus impudentes. Tanquam Phocionis ad Antipatrum, Non potes me ſimul amico et adulatore vti; et ad Athenienſes, die feſto ſtipem exigentes et plaudentes, Pudeat vero me, inquit, vobis quidem dare, huic autem non reddere, ſignificans Calliclen menſarium.— Plato rurſus, Heliconi Cyziceno Dionyſium commendans, laudauit vt hominem probum et moderatum: adiecit tamen in fine epiſtolae, Haec ego ſcripſi de homine, animali a natura commutabili.— Nos autem ſaepe, cum probe nouimus malos epiſtolas tamen et pecuniam profundimus nosmet ipſos damno afficientes, non cum voluptate, vt ii qui amicis aut adulatoribus gratificantur, ſed cum aegritudine et moleſtia, quod impudentia quorundam hominum noſtra decreta et euertit, et expugnat. Etenim, ſi quibus aliis, profecto nimis verecundis, hoc poetae dictum conuenit: Intelligo quae ſim facturus mala; falſum dicturus teſtimonium, contra ius pronuncians, noxia in concione ſuadens, nomina contrahens pro eo qui nunquam ſit diſſoluturus. Propterea ex reliquis animi affectionibus, maxime vitioſam verecundiam poenitentia non poſt ſequi ſolet, ſed ſtatim inter agendum corripit. Dantes enim aegre ferimus, teſtimonium dicentes pudore ſuffundimur, patrocinantes male audimus, non ſtantes promiſſis, conuincimur. Multa enim prae infirmitate abnuendi iis, qui nos ſemper obſident, pollicemur eorum, quae prorſus non ſunt in noſtra poteſtate, veluti commendationes in aulis, ſupplicationes apud principes. Nec enim volumus, nec poſſumus reſpondere: Non nouit nos rex, et alios frequentius videt. Ita Lyſander cum Ageſilai animum offendiſſet, putaretur autem ob nominis claritatem inprimis multum valere apud eum, non turpe ſibi putauit, eos, qui ad ſe acceſſiſſent, ad alios ablegare, monens, eorum potius tentare mentem, qui plus apud regem poſſint. Nec enim turpe cenſendum, non omnia poſſe: recipere autem omnia in ſe ſibique vim adferre, cum tamen nec facultatem, nec ingenium habeas, vt quem adiuuare poſſis, praeterquam quod turpe habetur, aegritudinem quoque adfert. Rem ita conſiderare licet. Oportet aequa et iuſta officia alacriter petentibus praeſtare non pudore coactos, (p. 534.) ſed humanitate inductos, in noxiis autem et abſurdis rebus, illud

Ze-

Zenonis in promptu eſſe debet, qui iuueni familiari, ad muros lento gradu ambulanti, obuius, cum cognouiſſet ex eo, ipſum fugere amicum quendam, qui falſum teſtimonium ab eo poſtularet, Quid ais, dixit, inepte? Ille importunus et iniquus aduerſus te, te nec timet, nec veretur, tu vero in re iuſta eius adſpectum non audes ferre? — Ac obſcuris quidem hominibus et humilibus, et nullius pretii ſi verecundiam noſtram ſollicitent, non admodum difficile eſt repugnare; idque per iocum etiam nonnulli et cum dicteriis fecerunt, vt Theocritus, qui duobus in balneo poſtulantibus ſtrigilem ab eo, altero homine peregrino, altero famoſo fure, vtrique cum riſu recuſauit, dicens, Te quidem ignoro, te autem non ignoro. — Etiam Antigonus iuueni cuidam, qui quidem ex ſtrenuo centurione erat natus, ipſe autem ignauus et mollis erat, poſtulanti, vt promoueretur: Ego vero, reſpondit, magis ſpectare ſoleo, vtrum quis ipſe vir fortis ſit, non an patrem habeat fortem. Si autem is, qui verecundiam noſtram tentat, nobilis ſit et potens, (quod genus hominum et ex iudiciis, et ex comitiis, difficulter excludi atque ſummoueri poteſt), id quod Cato, iuuenis adhuc, contra Catulum eſt auſus, nemini fortaſſe aut facile, aut neceſſarium videatur. Catulus enim, qui in ſummo honore habebatur apud Romanos, et tunc Cenſor erat, aſcenderat ad Catonem, quaeſtorem illo tempore, deprecaturus aliquem ex iis, qui a Catone multati erant, inſtabatque precibus, ac propemodum cogebat, vsque dum Cato, rem diutius ferre non potens: Turpe vero, dixit, Catule, tibi, Cenſori, hinc abire nolenti, a ſeruis meis trahi. Pudore ergo perfuſus, et iratus abiit. Videndum ergo, an non id, quod Ageſilaus et Themiſtocles fecerunt, lenius ſit et moderatius. Cum enim ille a patre peteretur in aliqua cauſa ſententiam legibus contrariam ferre: At ego, inquit, a te, pater, a principio doctus ſum, parere legibus: propterea nunc quoque tibi obtempero, nihil contra leges faciens. Themiſtocles autem Simonidi, iniquum quid iam poſtulanti, Nec tu, reſpondit, bonus ſis poeta, metrum negligens, nec ego bonus Archon, leges violans. — Quodſi (p. 535.) autem pecuniarum cauſa impudentem nobis inſtare videamus, quidni turpe ſit, ſuam ipſius famam atque honeſtatem prodere,

alterius crumenam oneres? Atqui pleriſque haec haud ignota ſunt, nec ipſos latet ſe peccare, ſed, quemadmodum ii, qui pocula magna bibere coguntur, aegre, et anhelantes, et vultum diſtorquentes, imperata faciunt. Similis autem huiusmodi animi mollities corporis temperamento, quod nec calori, nec frigori accommodatum eſt. Laudati enim ab impudentibus franguntur et laſſeſcunt, reprehenſiones autem et toruos oculos eorum, quibus denegant, metuunt et perhorreſcunt. Oportet autem ad vtrumque ſe corroborare, vt nec a timorem incutientibus, nec ab adulantibus, vincamur. – Denique, (p. 536.) quod contra omnes grauiores animi affectiones valet, id nimis verecundis etiam eſt vſurpandum." Si abripiantur ab iſto malo, et contra animi ſententiam vel peccent, vel verecundentur, firmiter tenere memoria, ſigna morſus et poenitentiae ſubinde ſecum reputare, et quam diutiſſime ſeruare. Vt enim viatores, qui in lapide offenderunt, aut nautae, qui ad promontorium nauem euerterunt, non illa tantum, ſed omnino omnia his ſimilia et timere, et vitare ſolent: ita ii, qui vitioſae verecundiae turpitudinem et damnum cum poenitentia et animi aegritudine comparant, in ſimilibus rebus magis ad ſe attenti erunt, nec tam facile ſe abripi patientur.

Hactenus Plvtarchvs. Reſtat iam, vt ad eiusdem libelli loca quaedam, quae haud dubie corrupta ſunt, meas vel emendationes, vel coniecturas proponam. Prius tamen indicandum eſt, quibus auxiliis inſtructus ad hunc libellum illuſtrandum venerim. Fuit mihi ad manus editio opuſculorum, vt vocantur, moralium, Baſileenſis 1542. et Xylandri Francofurtana 1620. Aldina *) aegre carui. Conſului quoque Reiskium, qui in ſecundo volumine animaduerſionum ad Graecos auctores, cum Salmaſii, tum ſuas ad hoc Plvtarchi opuſculum notas publicauit. Quae ergo vel a Salmasio, vel a Reiskio, vel ab editore Basileensi, ante me erant conſtituta, ea hic non attigi. Iſtis copiis acceſſerunt

*) Ea prodiit 1519. Quam ſi quis literarum humaniorum Fautor ad breue tempus e bibliotheca ſua nobis ſuppeditare voluerit, magno nos beneficio afficiet, quod in animo habemus, breui poſt hic Mosquae hunc et alios nonnullos plvtarchi libellos edere.

Digitized by Google

runt variae lectiones duorum *) Codicum Moſquenſium membranaceorum, quorum alter ineunte, alter exeunte Sec. XII. videntur ſcripti. Hi a me primum ſunt collati. Reliqua nonniſi coniectura mea nituntur. Ea ergo vel probanda, vel repudianda, arbitrio iudicioque doctorum virorum relinquimus.

Ad indicem huius libelli vide Thom. Magiſt. in δυσωποῦμαι. Pag. 528. verſ. 27. edit. Xylandri. Forte ὀ χρηστὰ μὲν, χρηστῆς δέ. v. 43. Τὸ ἄγαν θῆλυ τῆς ψυχῆς. Pag. 529. v. 1. Pro ὡς ἔχ, malim, καὶ γὰρ ἔχ, aut aliud quid ſimile. Mox v. 2. corrige ex Codd. Moſqq. et edit. Baſ. προσήκαντο. v. 5. Ad ἐν δὲ τὸ vide Plvtarch. T. II. p. 446. B. v. 9. Pro ἧς, legi quoque poſſit εἰ. v. 10. Malim κόλασις, ob vocabulum σύγκρασις, quod paulo ante legitur: conf. Longin. XXXII. §. 7. p. 180. v. 17. Malim φιλαργυρίαν ἄπορον, aut ἀκόρεστον, pro ἄωρον. Nulla enim in nulla aetate ὡραία poteſt eſſe φιλαργυρία. Ἄπορος autem φιλαργυρία dicitur, vt apud Horat. Lib. III. Od. XVI. v. 28. *magnas inter opes inops*. v. 40. Forte aut ὑπὸ omittendum, aut poſt λόγου addendum τοῦ. v. 43. Melius cohaerebit oratio, ſi legatur, οὐ δεῖ δὴ τοῖς ἐπαίνοις. v. 46. Vide Evripid. Belleroph. p. 461. verſ. 32. Pag. 530. v. 6. Forte τῷ δοκεῖν αὐτῷ κακῶς, omiſſo οὐ, aut ὥστ' οὐ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς. v. 10. Vocabulum ἀκόλαστον hic nullo modo locum habet. Forte ἀκολάκευτον, quod in fine huius libelli reperitur, aut ἀκήλητον, quo in lib. de diſcrimine amici et adulat. vtitur, ex Homer. Odyss. κ. v. 329. vide Plvtarch T. II. p. 61. B. v. 19. Vid. Evripid.

*) Vterque ſeruatur in Bibliotheca ſanctiſſimae Synodi Eccleſiae Orthodoxae Graeco Roſſicae, e qua nobis ad tempus, beneficio et gratia *EMINENTISSIMORVM* atque *ILLVSTRISSIMORVM ANTISTITVM* commodati ſunt. Eorum diligentiorem recenſionem dabo proxime. Sufficit interim notare, alterum vetuſtiorem; qui eſt num. 339. a me hic notari per 1; alterum, non multo recentiorem; qui eſt 387. per 2; Tertius, a me hic obiter notatus, aliquot Plvtarchi vitas parallelas continet. Is eſt eiusdem bibliothecae num. 338. eſtque chartaceus, ſcriptus, vt videtur, Sec. XV. Horum trium codicum ſpecimina, doctiſſimi artificis manu delineata et aeri inciſa, dedi in fronte huius libelli. Nota quae codici 338. adſcripta in fronte huius codicis reperitur, eſt a manu recentiori. Ea in pluribus etiam codicibus conſpicitur, notatque, eum olim fuiſſe in bibliotheca monaſterii Batopedii in monte Atho.

Digitized by Google

PID. MEDEA verſ. 290. ſeqq. v. 40. Ὑπέκβαλε ſuſpectum quoque fuerat REISKIO. Moſq. 2. dat ὑπεύγαλε, quod etiam corruptum eſt. Mihi quidem ob ea, quae ſequuntur, κληθήσῃ γὰρ καλέσας, et δειπνήσῃς, ἀν δειπνίσῃς, legendum videtur, μηδ' ἐπὶ δεῖπνον κάλει. v. 42. Βαφὴν non eſt huius loci. XYLANDER reddidit *aciem*. Videtur ergo conieciſſe ἀκήν. Mihi in mentem veniebat λαβὴν, quo infra vtitur, p. 531. v. 21. aut ἁφὴν, quod eodem redit. v. 32. Inter πρὸς et τὸν videtur αὐτὸν excidiſſe. v. 46. Ad δυσαντιβλέπτων notari poteſt locus Cinnami p. 264. et PHVRNVTI de natura deorum pag. 185. v. 51. Ὁμολόγει, pro ὡμολόγει, legendum videtur. Pag. 531. v. 11. Pro προπίνοντος dant Codd. Moſqq. προτείνοντος quomodo dixit HELIODORVS p. 104. v. 17. Ἐπιτρίβειν. Ita de AESCHINE dixit DEMOSTHENES pro Coron. p. 288. edit. REISK. ὅν ἐν Κολυττῷ ποτὲ Οἰνόμαον κακὸς κακῶς ὑποκρινόμενος ἐπέτριψας. v. 28. In Codice Violeti (ἰωνιᾶς) ARSENII Monembaſiae Archiepiſcopi fol. 158. ita legitur: Περικλῆς ὑπό τινος τῶν φίλων παρακαλούμενος ἐν πράγματί τινι οὐχ' ὁσίῳ δοκοῦντί βοηθήσειν. ἐκείνῳ, ἔφη· δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμοῦ. v. 29. In BASILEENSI equidem reperi παρὰ, non πρὸς, vt in calce edit. XYLAND. notatur. Pag. 532. v. 1. Pro οὐδενὸς, corrige οὐδείς. Locus DEMOSTHENIS eſt in OLYNTH. III. p 33. edit. REISK. v. 17. Moſq. 2. dat γραφεῖ. Notum autem, in codicibus, literis rotundis, vt vocant, ſcriptis, facile confundi poſſe ς et ν. Pag. 533. v. 38. διὸ τῶν παθῶν dant Baſ. Moſq. 1. 2. ego vero malim διὸ τῶν παθῶν μάλιστα τῷ δυσωπεῖσθαι. v. 45. Coniecturam REISKII in εἶδεν approbat vterque Moſq. εἶδεν videtur ortum e proximo ὁρᾷ Pag. 534 v. 19. Vide HARPOCRAT. in ἑτεροβυτάδαι p. 77. ex quo intelligitur, cur paullò poſt vocabulo πάτριον vſus ſit. v. 22. Χαρίεις h. l. notat *ſtrenuum* et *impigrum militem*. Pagina enim 183. D de eadem re habet vocabulum ἀνδρεῖος. Pag. 535. v. 24. Aut ἀσχημονεῖν αὐτοὺς, aut αἰσχύνειν ἑαυτούς. v. 27. Hunc locum ita corrigi poſſe puto, χειροτονίας, οἷς οὐ προσηκόντως ἀρχεῖα καὶ στεφάνους ἄλλοις περιποιῆσαι ἔδοξαν, ἀφαιροῦνται τὸ ἔνδοξον αὐτῶν καὶ τὸ καλόν. Rationem huius emendationis alibi ſum allaturus. v. 32. Sententia videtur poſtulare ἐξαμαρτάνοντες, ἀλλ', ὥσπερ. v. 35. Malim ἀλλ' ἔοικεν ἡ τοιαύτη τῆς ψυχῆς ἀτονία. v. 41. Eundem THVCYDIDIS locum laudauit in lib. de diſcr. amici et adulat. p. 73. A. v. 53. De ὑποκατακλινόμενον confer modo laudatum libellum p. 58. F.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Maii Anno MDCCLXXV.

Erörterung der Frage:

Welche Strafe iſt wirkſamer und abhaltender, die Todesſtrafe, oder ewige Gefängnißſtrafe, ꝛc.

i. e.

DISCVSSIO QVAESTIONIS, AN POENA CApitalis, an perpetua captiuitas, efficacior ſit criminibus auertendis; cum confutatione argumentorum illuſtriſſ. BECCARIAE Marchionis, contra poenas capitales.

Regiomonti MDCCLXIX. quaternis.

Illuſtriſſimi *Beccariae* opus immortale, *dei Delitti e Péne*, cuius recentiſſima verſio germanica nuper admodum ab illuſtri *Hommelio* noſtro, obſeruationibus doctiſſimis, atque ſententiam Itali defendentibus et firmantibus, aucta at-

que exornata eſt, nulli profecto hominum doctorum eſſe ignotum poteſt. Eius confutationem molitus eſt Autor anonymus, libello, cuius titulum ſupra poſuimus, quem integrum, e germanico latine verſum, lectoribus noſtris tradere, quam truncatum per excerpta proponere, maluimus. Ita vero commentatur Anonymus:

„Praecipuae partes, quas ſapiens legiſlator ſuſtinet, in eo verſantur, vt proſpiciat modum, quo, ne delinquant ciues, impediat: nec ſufficit in eam rem, mala quaedam opponere delictis, quae poenas vocamus, quibus caueatur peccandi libidini; ſed debent ea et grauiora eſſe, et omnino validiora, quam quae his aduerſantur illecebrae, quibus in transuerſum aguntur homines. Fruſtra enim laborat qui in eo fallitur legislator, nec recuſant praui minus malum, maiori lucro inuitati. Ita tamen magiſtratus actiones ciuium ad normam legum componat, vt e re eſſe videtur, alias oppoſito errore trahitur, non minus graui et periculoſo. Poenas enim ſancire in minora delicta graviſſimas, temere eſt profundere legum vires, et paruum onus giganteo conatu tollere; atque eiusmodi ſeueritas parum abeſt a tyrannorum crudelitate. Animaduerſum eſt hoc vitium in Draconte, qui vel leuiter improbos morte puniret; quo effecit, vt eadem res, quae a leuioribus arceret, ad grauiſſima incitaret, quod in omnes pari ſeueritate animaduerteretur: cuius rei poenas dedit, ab Aeginenſium multitudine, qui ipſi aduentum gratulabantur, ruente Theatro obtritus; quae gratulatio tam truculento homine digna fuit. Sin igitur in poenis ratio delicti prorſus habenda eſt ea mala, quibus prauos coercemus, debent ita attemperari, vt damno reſpondeant quod ciuitati afferunt, et vt vim reſpiciamus, quam illecebrae habent ad male agendum; quae potiſſimum in bono conſiſtunt, quod ex facinore ſperatur: et cauendum eſt, vt, licet conſtantem inter ſe rationem ſeruare debeant, ita tamen diuerſa ſint, vt mala ali-

aliquantum excedant boni ſpem, quae e delicto concipitur, ſi poenas ſatis roboris et neruorum habere volumus; atque iſtarum efficacia, adhuc ſua ipſarum certitudine augenda eſt, et eorum bonorum priuatione, propter quae crimen admiſſum eſt. Cum ea, quae hactenus de ratione diſputauimus, quae debet poenis cum delictis intercedere, et iuſta ſint, et aequitatem prae ſe ferant, leuiter coercenda ſunt minora, grauiora ſeuerius punienda, quibus maxime capitalia accenſentur; nam vbique obtinuit ſententia, ſupplicium eſſe ſummum malum, quod, veluti firma aliqua moles, criminum illuuiei recte opponi poſſit. At poſtquam ill. Marchio de Beccaria, libro de delictis eorumque poenis, eleganti magis quam ſolida oratione ſcripto, perpetuum carcerem reliquis antepoſuit, multi e noſtris iuris peritiſſimi, abiecta illa veteri et probata ſententia, aliam amplexi ſunt, quae nouitate tantum, falſaque humanitatis ſpecie commendatur, quaeque fere hodie vbique obtinuit. Operae pretium igitur erit, accurate disquirere, quaenam poena efficacior ſit, et delicta magis reprimat, ſuppliciumne an perpetuus ille carcer? idque eo magis, cum manifeſta ſit vtilitas quae in rempublicam redundet, ſi in ea re certi aliquid appareat, vtrum eorum maiorem vim habeat. Omnium conſenſu comprobatum eſt, vitam in humanis rebus ſummum bonum eſſe, contra eius iacturam maximum omnium malorum: omnium bonorum, quae quis in hac rerum natura conſequi poteſt, donec viuimus, impetratio eſt, eaque ſimul cum ipſa morte euaneſcunt. Quae cum ita ſint, ſua ſponte ſequitur ex humanae naturae contemplatione, vitam nos vehementiſſime cupere, mortem acerrime deteſtari: atque ea omnium gentium opinio eſt. Non enim diues ſolum et fortunatus, aut iuuenis, aut qui proſpera valetudine vtitur, ſed ipſe qui ſtipem petit, in ſumma egeſtate et ſordibus conſtitutus, et tranſtris alligatum mancipium, ſenes aetate confecti, aut ii qui perpetua aegrotatione languent, omnes vitam cupide exoſculantur, omnes naturae vo-

Digitized by Google

vocem audiunt, quae eos ad conſeruandam illam hortatur, tanquam omnium bonorum complexum. Quodſi igitur omnes in eo conſentiunt mortales, vitam omnium bonorum maximum eſſe, facile intelligimus, legislatorem non poſſe magis coercere atque ab atrocitate delictorum auocare flagitioſos, quam ſupplicio, quod ſui horrore ſatis munitum eſt contra quasuis illecebras peccandi: ſed ea res explicatius dicenda eſt. Conſtat, homines ideo facinora admittere, quod ex his lucrum aliquod ſperent; fur aliena rapit, vt ſibi inſeruiant, ignes alterius aedibus admouentur, vt in eius bona graſſari liceat. Percuſſor, quod honorificum ſit animoſum eſſe et iniurias propulſare. caede ſe contaminat; patriam aut principem vt prodant, ab hoſtibus honores et praemia accipiant, perduelles. Licet magnam vim habeat priuati commodi cupiditas ad male agendum, vi tamen e multis vnus erit, qui eiusmodi crimen committat, ſi lucri illecebras leges ſupplicio coerceant, quod malum omnium eſt ſummum; tum quod ea bona multis modis ſuperat, quae ex delicto in aliquem perueniunt, tum quod impedit facinoroſos, quo minus ex illo fructum vllum percipere poſſint; quo efficitur, vt, qui facinus admittere velit, animaduerſa mali atrocitate, quo commoda illa euertuntur, a propoſito deſiſtat; idque cogente aliqua naturae neceſſitate noſtris animis inſita, qua, vt nobis cognita ſunt mala cum re quadam coniuncta, ita ab ea abhorremus. Contra ſi delicta nihilominus perpetrantur, quod ſecus fit ac pro hac neceſſitate debuit, id eo accidit, quod feruent eorum, nec ſibi conſtant animi, qui peccant: quo ipſo tempore, turbata ratione, omnis periculi cogitatio abeſt. Sin igitur mors, in ſe ſpectata, ſummum malum eſt, eo magis id de atrocitate ſuplicii dici poteſt. Jam nihil dicam de ictu illo violento, quo vita aufertur, is enim in ſupplicio non eſt grauiſſimum, at omnis eius acerbitas in certitudine conſiſtit mortisque praeſentia, et in ſenſu ignominiae in conſpectu omnium ſubeundae, in priuatione honeſti ſepulcri,

Digitized by Google

eri, et omnium huius vitae oblectationum et voluptatum; quae tot grauiſſimorum malorum conſociatio, audaciſſimo cuique, et omni ſenſu deſtituto, terrorem incutere poſſit. At quanto leuius eſt, ad perpetuos in carcere labores damnari! libertas auffertur: aeterna ſeruitus in ponitur: at haec nihil aliud eſt quam eiusmodi conditio, qua quis cogitur omnes vires et operam ſuam in commodum alterius per totam vitam impendere, et omnia iuſſu et arbitrio domini agere. Fateor equidem, libertatis iacturam grauem eſſe, ſed quia iam ſatis conſtat mortem eſſe omnium malorum grauiſſimum, ſequitur, ſeruitutem morte eſſe leuiorem, neque tantum valere ad reprimenda ſcelera, quam ſupplicium. Vtque eo magis hoc intelligatur, audiamus aliquem ratiocinantem, vel latronem, vel homicidam, quem leges ſolo perpetui carceris terrore a facinore abſterrent. Scio equidem, eiusmodi hominibus, infima vt plurimum plebe natis, raro contingere, vt more Philoſophorum rationes ſubducant; artis enim hoc eſt, et diſciplinae: at cum animum ad agendum appellunt, ſuo ipſorum more philoſophantur, naturam ducem ſecuti Hi igitur haec fere ſecum reputant: „Quam gratum eſt, quam iucundum, aduerſariorum iniu„rias vlciſci, quam eſt dulce, alienis opibus, quae nullo no„ſtro labore quaeſitae ſunt, beate viuere! Agedum, occidam, „rapiam! At tabulae minantur: id ſi feceris, ad perpetuum „carcerem damnatus eſto: iam libertate prorſus amiſſa aeter„nam ſeruitutem ſeruio: in compede ad grauiſſimos labo„res per totam vitam ſeruabor: mene libertatem amittere, „ſit tam graue homini, quem natura ſeruum effin„xit. Nonne ego didici quidem a tenera inde aetate, „omnia domini mandata, quamuis iniqua et acerba, coeco „plane obſequio exſequi? meo mihi arbitrio viuere quan„do licuit? Nonne ego pleraque fame et verberibus com„pulſus egi? Dominis libertas inſigne fortunae tributum „eſt beneficium, quod norunt: ſeruis tanto eſt vilior, „quanto ignotior. At grauiſſimus in vinculis labor? Sed

 „noui

„noui ego hunc ferre: manus hae, multo um annorum „callo obductae, ſufficiunt ferendis vinculis: tergum hoc „rigidum et cicatricibus durum, parum curat flagella. At„qui haec per totam vitam ferenda! Per totam? At ſi mi„hi libuerit, non ſi iudici: eius eſt hanc in me ſententiam „ferre, meum eſt exitum quaerere: dies noctesque cogi„tabo quo modo cuſtodes eludam: continget mihi aliqua „fortunae felicitate vt euadam. Multi ante me e vinculis „eruperunt, mene his omnibus minus eſſe callidum putas? Ni„hil in me potes perpetue carcer, maius eſt commodum „quod delictum affert, quam poena quae illud ſequitur. „Stat ſententia, occidam, rapiam." Mox ſtricto enſe ſe ad facinus armat: vae inimico cui occurrit, vae viatori quem ſolum deprehendit. Tradidi hactenus, ſupplicium eſſe poenam grauiſſimam et conſtantiſſimam; iam quoque dicendum eſt, illud eſſe omnibus numeris abſolutum, et perpetuum carcerem multum ab illa perfectione abeſſe, quam poenae tribuimus, ſi omnia ea ſimul efficiuntur, quae ſpectamus in animaduertendo. Atque ea, quorum potiſſimum ratio habenda eſt legislatori, in poenis infligendis, haec ſunt: I. vt ſatis fiat laeſo: ſi cui damnum dedi, ad hoc reſarciendum teneor, ſeu, quod idem eſt, obligor ad tollendum illud malum quo alterum iniuria affeci. Sed cum res vel reparari poſſit, vel minus, alia noxa poterit compenſatione tolli ſi eandem ſpeciem, ſeu idem genus reſtituo; haec vero, de qua hic loquimur, et quae omnium maxima eſt, ſola ſatisfactione luitur, cum rem eiusdem pretii quaſi accipiat laeſus, quam ea fuit quam amiſit. Nemo negabit, eſſe in vitae priuatione quod omnem iniuriam, quantacunque demum ſit, exaequet, adeoque ſupplicio prorſus ſatisfieri laeſo. – II. alterum quod in animaduertendo ſpectatur, eſt, vt malum aliud alio rependatur, ſeruato inter ea aliquo aequilibrio: quod omnino fit ſuppliciis. Huius probatio eſt haec: finis, et via qua ad eum tendimus, ita apte inter ſe cohaerent, ſi nec latior illa eſt, nec anguſtior quam neceſſe ſit; et cum poenae ſit effi-

ce-

cere, vt id ipſum ceſſet, quod ex iniuria coortum eſt malum, ſequitur, ſi nec plus nec minus complectatur reparatio, quam ad illud tollendum ſufficiat, illam damno parem eſſe. Fingamus iam, eſſe aliquem parricidam: at poenas dare debet ex iuſta legislatoris ſententia; quodnam in eum conuenire aut conſtitui poterit aliud quam ſupplicium, quo nihil eſt ad eam rem accommodatius; neque vlla ratio excogitari poteſt rectior, et naturae accommodatior, quam talio, cum ſanguis pro ſanguine, vita pro vita datur, quo tantum efficitur, quantum intererat fieri. — III. poenae finis eſt, vt improbi emendentur, quod item fit ſupplicio: quamuis enim non iam aptos reddat huic hominum ſocietati ſaltem magis habiles efficit ad inſtituta vitae poſt mortem futurae: cum omnibus huius vitae bonis excidunt, compelluntur ad aliam quandam ſibi quaerendam felicitatem, religionem igitur amplectuntur, et multum iuuantur iis ſermonibus, qui ante necem ad eos habentur. IV. Quartus poenae finis, in ablata facultate nocendi cum poſitus ſit, nemo non videt, eſſe mortem id, quod omnes impediat ne noceant impoſterum reipublicae. V. Sequitur iam quintum, quod eſt terror aliorum, et nihil ſane ſupplicio terribilius: mors eſt, vt veterum quidam dixit, omnium terribilium maxime terribile, ſola eius cogitatio omnem noſtrum ſenſum mouet, et mors hominis ſpectata, quamquam naturae neceſſitate contingat, animos noſtros percellit. Sed quid haec eſt, ſi cum ſupplicio contendas, quam lugubri hoc pompa, quanto apparatu! quae omnia videntur inuenta eſſe eo conſilio, vt cruentam illam ſcenam publici ſupplicii magis efficiant atrocem. Mollis deliquium animi patitur, cum faciem moribundi, pallorem, membra trementia adſpicit. Ambitioſus obrigeſcit, dum reum videt a carnifice ad infame ſupplicium trahi, eodemque loco, quo cadauera beſtiarum proiiciuntur iacere, rapinam auium, palo impoſitum, vel patibulo affixum. Qui atrabile laborant cum ſint ſuapte natura meticuloſi, ita percelluntur eiuſmodi ſpectaculis, vt metu

tu et aegritudine animi prope enecentur. Omitto ſtuporem pituitoſorum hominum, quorum ſegnities pari modo et a delinquendo, et a ſpectandis ſuppliciis, abhorret. VI. Sextum poena finem aio reipublicae vtilitatem eſſe, cuius intereſt, vt qui contra pacem et ſecuritatem peccant, e medio tollantur, et vt membro illo putrido a corpore reipublicae reſecto, reliqua integra ſeruentur. Sed videamus iam, quantum huic rei perpetuo carcere conſulatur, et quam vitioſum ſit iſtud animaduerſionis genus. Parum eo ſatisfieri laeſo in grauioribus delictis, ſupra diximus, et in eo conſiſtere ſatisfactionem, vt res eiusdem pretii in locum ereptae ſufficiatur. Fac, leges homicidam propter admiſſum facinus ad perpetuum carcerem damnare, quam manca eſt eiusmodi ſatisfactio, cum laeſus vita, et homicida libertate priuetur? Quis credat, eſſe in amiſſione libertatis quod vitae iacturam ſarciat, et quae alterius cum altero poteſt eſſe comparatio? Iam ſupra demonſtrauimus, vitam inter ea bona, quae apparent, eſſe primum, eaque libertatem eſſe multo inferiorem: ſed placet adhuc aliquam eius rei probationem addere. Videmus ſubinde reos, a magiſtratibus capite damnatos, veniam a Principe ſperare, quamquam norint, ea impetrata, ſibi poenam ſubeundam eſſe ſupplicio non leuiorem: hi cum ſciant, ſibi grauiſſimos labores in vinculis tolerandos eſſe, tamen mirifice optant vt ſic liceat eſſe ſaluis. Nihil igitur apertius, nihil clarius eſt, libertatis ipſis videri leuiorem, quam ipſius vitae iacturam. Quis enim e duobus malis maius eligat? hoc nullo modo fieri poteſt. Nam ſi quis eius rei periculum facere velit, et maleficum eo ipſo tempore, quo in loco ſupplicii conſtitutus, fatalem illum ictum expectat, qui vitam auferre debet, in aeternas tenebras et vincula detrudere, auide hoc ille arripiet, ſummam clementiam ratus, impellente vitae deſiderio, quod adhuc ſpes ſupereſt, facta aliqua opportunitate euadendi, quae omnis ſublata eſt morte. Ea iuſtitia, quae malum malo, ſeruato quodam ordine rependit, manca quodammodo fit, ſuisque

que numeris truncatur, dum rei ita in carcerem detruduntur. Vt non ab homicidis diſcedam; conſtat ex eo ſermone, quem antea habui, tum damnum quod iniuria datum eſt cum compenſatione congruere, ſi tanta ſit quanta neceſſe eſt, ad malum quo alterum affecimus tollendum. Quodſi igitur homicidium aeternorum vinculorum ſqualore luitur, quae quidem libertatem auferunt; cum tamen expianda ſit atrocior in hominis vitam iniuria, minus ſit quam par erat, nec fin s, et quae eius cauſa facimus, apte inter ſe conſpirant, ſublata ea ratione quam poena delicti habere debet. Nec veroſimile eſt, ea ſeruitute meliores reddi prauos, eorumque mores potius emendari, quam corrumpi: ſaepe enim vnius improbi familiaritate multorum integritas et innocentia labefactata eſt, nec facile poteſt animus ſcelerum contagie afflatus, in ſocietate perditiſſimorum hominum conualeſcere: neceſſe eſt morbum augeri, cum tot peſtiferorum prauitatem perpetua vicinia comb bat, quod et vulgo accidere videmus. Nam ſi quis eiusmodi carcerem intret, deprehendet multa et grauiſſima ſcelera in vinculis perpetrari. Nec etiam omnis nocendi facultas ſublata eſt eorum, quos per totam vitam in carcerem detrudimus: nam ſi callidi ſatis ſunt et audaces, poterunt opportunitatem aliquam euadendi inuenire et amplius vexare rempublicam. Si nulla euolandi felicitas contingit, amiſſa licet libertate, ope ſociorum quos ſibi compararunt, aut amicorum et neceſſariorum, vel aliorum potentium hominum, quibuscum illis familiaritas quaedam interced t, rempublicam nihilo ſecius turbabunt. Nec ſatis certum eſt, an alii huiusmodi inſtituto ſatis terreantur, et emendentur. Fateor equidem, durum eſſe, ſi quem ſenſum humanitatis habemus, adſpicere homines, qui in vinculis, tenui victu, et ſaepe verberibus caeſi, grauiſſimos labores ſuſtinent. Sed mite quodammodo eſt ſpectaculum, cum triſti illo publici ſupplicii comparatum, nec ii, qui ob facinorum atrocitatem perpetuis tenebris mandati ſunt, et ferarum ritu in ſubterraneis caueis

 iacent,

iacent, vulgo conſpiciuntur, quorum adſpectus maxime terreret. At quam pauci deſcendunt in haec ſordida luſtra, aut quibus ea videndi vel opportunitas, vel facultas contingit? Niſi quosdam ſedula curioſitas inuiſendis peregrinis gentibus ad contemplanda eiusmodi ergaſtula vocaret, quorum intereſt haec inſtituta cognoſcere, non autem eorum grauitate moueri. Fac reos capite diminutos, vinctos, in conſpectu omnium, tanquam aeterna reipublicae mancipia, grauiſſimos labores ſuſtinere; quis ab iis facile diſtinguat, qui ad tempus ob minora commiſſa idem patiuntur? Hic nihil eſt quod valde terreat alios, vel emendet. Quod attinet ad vltimum poenae finem, qui in vtilitate reipublicae conſiſtit, concedo equidem, ea re non modo non minui ciuium numerum, ſed et eodem tempore conſuli reipublicae, ſeruata multorum opera, et repreſſis flagitioſis. Sed detur mihi, neceſſe eſt, eam nos non ſatis tutari ab improbis, cum hos in vincula coniicimus, nam ſaepe callent artem ſe e munitiſſimis locis expediendi, in ſpem futurorum delictorum. Quare eae leges rectiſſime de communi ſecuritate proſpiciunt, quae prauos, quorum nulla emendatio ſperatur, in ſalutem reipublicae obtruncant. Supplicium igitur non ſolum eſt poena grauiſſima, ſuisque numeris abſoluta, ſed eſt etiam ita neceſſaria, vt vix ciuitas ea carere poſſit: non ſolum quod populi ſint, qui duri et ab humanitate alieni, percellendi ſunt vehementer, et grauiter abſterrendi, leonum ſimiles, quos tonitru terret, et leuis ſtrepitus magis irritat; ſed et inter eas gentes, quarum mitius eſt ingenium, non raro accidit, vt principis et reipublicae ſalus et ſecuritas, nullo alio modo, niſi ſumtis de fontibus ſuppliciis, ſtare poſſit. Si quis enim latronum et furum dux, deprehenſus in vincula coniiceretur, atque eius aſſeclae vi carcerem effringerent, caedes et incendia minarentur, niſi emittatur; vt eſt eius rei exemplum in IV. Catilinar. Cic. ſtatim morte multandus eſt, vt metum incutiat caeteris, eosque a ſcelere abſterreat, quod minati erant. Si denique reus,

reus, carcere quamuis arctiſſime circumſeptus, tantum valeat opibus et auctoritate, et eius partium tanta ſit potentia, vt rempublicam euertere poſſint, aut ſi eius incolumitas mutationem imperii afferat, aut ſi qua peſtis ciuium ſacratiſſimo Principi violentas manus afferat, (veluti monſtra illa: Clemens, Ravaillac, et Damiens,) et ſi quis largitionibus corruptus arcana ciuitatis et ipſam patriam hoſtibus prodat, cauendum eſt, vt eiusmodi crimina in terrorem aliorum, morte graui et repentina, et in conſpectu omnium ſubeunda, expientur. Accedit tandem, eſſe a Deo ipſo iuſſa ſupplicia. Is ſummus legislator non ſolum Numer. XXXV. v. 30. 31. cauet, homicidam occidi, ſed et ſequenti v. 33. et 34. prohibet, terram inquinari caedis impunitate, additis verbis grauiſſimis: caedes non aliter procurator, niſi morte eius qui perpetrauit. Si quis obiiciat, hac lege teneri praeter Iudaeos neminem, aliam allegabo Geneſ. IX. v. 6. vbi illi necari iubentur, qui alios occidunt: data illa eſt ſtatim poſt diluuium, longe ante conſtitutam rem Iudaeorum. Sunt qui obiiciant, hoc non iuberi oratione; ſed refutant ii, quibus ſatis perſpectum eſt Ebreae linguae ingenium, quod eadem formula ſcriptus ſit Decalogus. Caeterum, ſi recte iudicamus, legem ad vniuerſos pertinere, ſi, vt ſcripta eſt Iudaeis, ita in noui foederis libris repetitur: hac ſine dubio nemo non tenetur, quia Chriſtus Petro, gladium in pontificis apparitorem ſtringenti, reponere ſuo loco iuſſit; eo enim intereundum eſſe huic qui illum arripiat. Quod Chriſti praeceptum poſtea a Paulo ad Rom. XIII. v. 14. et a Iohanne Apoc. XIII. v. 10. repetitum, nobis omnibus inculcatum eſt. Atque eius legis tanta vis eſt et autoritas, vt paene nulla gens fuerit, aut ſit, quae non illam, vt ſaluberrimam et ſapientiſſimam magna religione ſuam fecerit. Nec tamen homicidium ſolum eſt, in quod ſacri libri mortem ſanxere: plura adhuc ſunt, vt nefandi cum beſtiis aut maribus concubitus, adulterium, inceſtus, plagium, et alia, quae ſummus legislator morte vlciſcitur;

 quod

quod e Moſis libris ſatis conſtat, et plerisque Europae populis obſeruatur. Quodnam amplius probationis genus deſiderari poteſt, cum Deus ipſe, qui naturam hominis penitus perſpicit, haec in grauiſſima delicta ſanciat? Jam nihil ſupereſt quam vt ea refutem, quae Marchio de Beccaria in ſuam ſententiam acute et ſubtiliter disputauit: id ſi conſecutus ero, videbor tot rationes pro mea ſententia attuliſſe, vt de eius veritate dubitare non amplius liceat. Inprimis ait autor in libro de Poenis et delictis C XV. Edit. Franc. vbi de lenitate in puniendo agit p. 92. longo temporis interuallo ſupplicium prae carcere nihil atrocitatis habere. En eius verba: „Eodem modo, quo poenae ſeueriores fiunt, animi magis obdureſcunt; cum legum crudelitas quaſi in eos ipſos deriuetur, atque efficit perpetua perturbationum vis, vt exacto ſaeculo non plus horroris afferat grauiſſimum ſupplicium, quam antea vincula." Probabilis eſſet oratio, ſi leges nimium ſaepe ſaeuirent in ſontes: largior enim, id quod ſaepe iteratur parum animos noſtros afficere, et rem, quo ſaepius percipimus, eo minus inſolentiae habere. Si contra ſapiens magiſtratus raro, et non niſi ſumma vrgente neceſſitate, morte multat improbos, huius exempli grauitas nulla temporum viminuetur, et multo magis terrebit quam carcer. Pergit Autor in eadem pagina: „Homines rationem habent malorum quae norunt, non vero eorum quae ignorant: ſumamus duos populos, quorum unius in poenis, quae ceteroqui delicti modum ſeruant, grauiſſima ſit aeterna ſeruitus, alterius rota ſupplicium; equidem contendo, his poenis vtrumque populum pari horrore affici. Si qua igitur cauſa ſubeſſet, cur earum inter eos permutatio fieret, ob eandem a rotae graui ſupplicio ad magis exquiſitos cruciatus, et ad crudeliſſima tyrannorum commenta progrediendum eſſet." Falſum eſt, vincula et rotae poenam parem horrorem afferre: hoc enim, aut omnino ſupplicio, neceſſe eſt vehementius commoueri hominum animos, quam vinculis, maiore

iore ſcilicet mortis metu, quam ſeruitutis. Ne dicam quae ſaepius dixi: de ea re iam ſupra expoſui. Atqui etiam per ſe tantum valet ſupplicium ad abſterrendum vel a maximis ſceleribus, vt ſi pauca excipias, eaque grauiſſima, non opus ſit illud, additis cruciatibus, augeri. Conſtitit hoc antiquiſſimis temporibus: nam cum olim ex Dracone quaereretur, cur mortem promiſcue in omnia delicta ſanciret? reſpondit, non ſine cauſa ſe id facere, mereri enim eam leuiſſimum quodque admiſſum, nec ſibi conſtare poenam grauiorem aliam vel atrociſſimi delicti.

Capite XVI. vbi velut arcem belli conſtituit autor contra ſupplicia, nefas eſſe perhibet, a ſuprema reipublicae poteſtate capite plecti ciues, atque iis legibus aduerſari, quibus coierit primum hominum ſocietas; qua de re ita loquitur: „Vnde naſci potuit illud ius, quod homines occiden„di ſui ſimiles ſibi vendicant? non ſane inde proficiſci po„tuit, vnde ſuprema poteſtas, ipſaeque leges, ciuitatis vin„cula, originem habent. Leges nihil aliud ſunt, quam „ſummae partium minutarum e ſingulorum libertatibus „decerptarum, quibus in communem vtilitatem carere vo„luerunt, iisque efficitur communis quaedam voluntas, quae „ſingulorum voluntatibus velut in vnam conflata eſt. Sed „quis vnquam voluit, alteri ius in ſuam vitam eſſe? Aut „qui poterit vita, ſummum omnium bonorum, iis contine„ri, quibus ſe ſinguli in commune abdicarunt? Id ſi eſſet, „quo pacto cum ea naturae lege conſpiraret, quae noſtrae „vitae a nobis iniuriam fieri vetat? Neceſſe eſt hoc illi in „ſe licere, qui hoc ius vni alicui, vel vniuerſae ciuitati tri„buat. Supplicium igitur legibus aduerſatur; bellum eſt „in ſocietate contra hominem, cuius mors reipublicae vtilis et „neceſſaria iudicatur.“ Quaerit hic autor, quis vnquam alteri ius in ſuam vitam eſſe voluerit? facile concedo, homines priſcis temporibus, cum abiecta illa naturali libertate in ſocietates coirent, ſupremae poteſtati nihil iuris in

Digitized by Google

ſuam vitam eſſe voluiſſe: ſed nemo negabit, eos ius ſui defendendi, quod a natura cuique datum eſt, omne in magiſtratus ſuos contuliſſe. Ante conſtitutas reſpublicas, iniurias inimicorum a ſe amoliri quisque et poterat, et coactus erat: ſed ſequenti tempore, perpetua bella et libertatem auerſabantur homines, quod ſaepe in diſcrimen adducebantur: imbecilles enim valentiorum erant, hique ipſi a potentiſſimo quoque in ſeruitutem abripiebantur. Intellectum deinde eſt, magis de ſecuritate proſpici ſibi collectis in vnum viribus, et magna quadam ſocietate conflata, e qua deligeretur aliquis, penes quem omnis vis et poteſtas ſingulorum eſſet, et cura vniuerſam rem tuendi. Itaque ciuitates ortae ſunt, ſuae defenſionis cura abiecta, et publice in vnum translata, vt ſingulos aduerſus iniurias et impetum aliorum eodem modo tueretur, quo in illa naturali libertate fit, quae cum omnibus licentiam det, ſui tuendi cauſa, vrgente neceſſitate, peruerſos occidendi: ſocietas ea iura principi detulit; vnde ſequitur, eum poſſe vi huius antiqui foederis, ſupplicio animaduertere in omnes facineroſos, quos ſalus reipublicae e medio tolli iubet. Contendit autor, neminem poſſe alteri quidquam iuris in ſuam vitam dare, inde enim ſequi, homini licere ſibi ipſi mortem conſciſcere; quod tamen falſum ſit, et nullo modo dici poſſit: ſed non euertitur haec mea ſententia, neque alterum ex altero ſequitur. Idque vt magis perſpiciatur, bona Clariſſimi Viri venia, vniuerſam orationem in ſyllogismum cogam. Ius, quo ipſe careo, in alium transferre non poſſum. Atqui careo iure me ipſum occidendi, Ergo illud nulli dare potero. Quis non videt, laborare hanc orationem, nec probare id quod debuit: ſic enim concludendum eſſet: ergo nulli potero ius dare ſe ipſum occidendi; quod lubentiſſime concedo. P. 89. ſic ait: docere omnium temporum hiſtoriam, ſupplicio non territos eſſe ſceleſtiſſimos quosque, ne rempublicam ſubruerent. At eadem nos docet, car-

carcerem in hos multo minus valere, et ſi audacia quadam aut dexteritate ſe e vinculis expediunt, aut elapſo poenae tempore ſui iuris fiunt, tantum abeſt vt emendata ſit eorum peruerſitas, vt potius eo plus damni afferant ciuitati, et veterem culpam noua, illaque grauiore, augeant. P. 99. et ſqq. perpetui carceris praeſtantiam prae ſupplicio hoc demonſtrat, quod illius memoria non ſtatim deleatur, vt in his ſit, ſed diu conſeruetur. „Non enim, inquit, vehementia, ſed diuturnitate maxime commouentur animi, quod in eos maiorem vim habeant crebri iique remiſſiores impulſus ſenſuum, quam vehemens et paucorum momentorum excitatio. Conſuetudinis imperio omnes naturae, quibus aliquis ſenſus obtigit, continentur: nam ſimul ac homines fari, incedere, ſuisque vſibus proſpicere diſcunt, ſtatim et notio quaedam turpis ac honeſti animis eorum ſaepe oblata inhaeret. Supplicium igitur eam ob cauſam minus comprimit vitia, quam diuturnum exemplum hominis in ſeruitutem detruſi, et veluti iumentum ad perpetuos labores condemnati, qui damnum luit quo ciuitatem affecit. Crebra ſpectantium cogitatio, ſibi ipſis tam triſtem fortunam ſubeundam eſſe, ſi quid eiusmodi admittant, multo maiorem vim habet, quam mortis ipſius, quam homines ſemper quaſi per caliginem quandam proſpiciunt, contemplatio; quae licet terrore compleat animos, non tamen ſatis aduerſus obliuionem munit, quae eos grauiſſimarum rerum non raro capit, maxime in perturbationibus. Et conſtat in vniuerſum, percelli homines re graui repente oblata, motu tamen non diuturno. Efficit quidem repentina impreſſio, vt mediocres homines magnorum illorum induant perſonas, vel Romanorum, vel Lacedaemoniorum, mox abiiciendas: ſed in republica tranquilla et libera praeſtat homines ſaepe moueri, quam vehementer excitari." Si de intellectu loquitur Autor, facile largior, eo magis memoriae inhaerere ſpecies rerum, quo ſaepius ſunt oblatae; ſed idem de motibus animi falſo con-

contendi ur, mentes noſtras remiſſa et crebra aliqua excitatione, quam commotione violenta et momentanea, diutius affici. Si quae in animis noſtris fiunt intenta ipſorum acie contemplamur, omnia alia deprehendimus; et voluptas et dolor, qui ex aliqua re capitur, non modo non augetur, ſed et minuitur ſui diuturnitate: quod et vſus comprobat. Nam ſi quis ex marito quaerat, qui vxoris formam, dum eius nuptias ambiret, deperibat, vtrum illi eadem mater familias, quam quotidie videat, tam venuſta videatur: vereor ne illum pudeat formoſam dicere; et ſi quis percontetur, vtrum illam, perpetua eius conſuetudine vſus quotidie, magis magisque in deliciis habeat, nae dicet ſe illius tantum amicum eſſe, non iam cupidum amatorem. Inſtituti mei ratio poſtulat, vt eius rei veritatem iam probem de iis perturbationibus, quae metu vel terrore aliquo exiſtunt. Nam tironum, quamuis frugi, quum primum audiunt tormentorum fragorem, et hoſtem fulminis inſtar in ſe irruentem, et campum funeribus obſitum vident, animi paulo hebetantur: quae omnia non ita mouent veteranos, qui in armis conſenuerunt, adſuefactos huiusmodi terroribus. Ecquis eſt tam audax, vt non contremiſcat cum fragili rati caput ſuum committit, et immenſum mare adſpicit? Quae omnia nautae non perhorreſcunt, quos crebra nauigatio confirmauit. Quid multis opus eſt? Sic comparata eſt hominum natura, vt quo ſaepius voluptatem vel moleſtiam capimus ex aliqua re, eo hebetior eius ſenſus exſtet, et animos ſemel atque vehementer commotos eo diutius affici. Hoc ſi verum eſt, neceſſe eſt et terrorem perpetui carceris minui, quo ſaepius occurrunt nobis eiusmodi mancipia, quae iumenta vocat autor ciuitatis. At quos terrores habet perpetuus ille carcer? Quo horrore perfundit ſpectantes? Vident ſeruos compede vinctos aliorum oculis expoſitos opus facere. Iam duplicis generis ſunt qui ſpectant, aut infimae ſortis, aut melioris fortunae; parum vtrisque conſuli contendo: non enim poterunt noſſe, qui in perpetuum

tuum, aut qui ad tempus ſeruiant. At magiſtratus diſtinxit. Sed beatiores exiſtimant ſe melioris conditionis futuros, cum natalium ſplendor, vel honorum, ſatis tueatur aduerſus infamiam ſeruilis operae, nec ſibi metuendum eſſe niſi a perpetua cuſtodia, e qua elabi poſſint fortunae aliqua felicitate. Nec tam graue eſt ſpectaculum homini infima plebe nato; ſors, quae illi cum ipſa vita obtigit, aerumnae et moleſtiarum plena eſt, nec expers grauis et duri laboris, et ex indolentia, vel interdum hilaritate horum mancipiorum, non tam grauem eſſe illam ſeruitutem iudicat. Sempiternae miſeriae metus cogitatione leuatur, vſu vel acerbiſſima leniri, nec vllum murum eſſe tam firmum, qui callido et audaci obſiſtat. Nec terror poenae grauis eſſe poteſt, quacum aliqua impunitatis ſpes coniuncta eſt. Reus maioris ordinis cum acerbiſſimo luctu carcerem intrat, ex amiſſa libertate percepto, et taedio ſolitudinis ac otii abſterritus, et vitae triſtiſſimae et miſerrimae, ſine vlla malorum intermiſſione degendae: at non ſine aliqua rei nouae admiratione, ſentit ſe quotidie minus minusque doloris ex amiſſa libertate percipere, et neceſſitate coactus ſibi leuamentum quoddam ſolitudinis quaerit, et tempus fallit labore aliquo vel ingenii, vel manuum, vt olim Trenckius Baro in vinculis verſus fecit, et in poculo ſtanneo varias imagines inſculpſit cum inſcriptionibus, ope claui. Accedit ſpes, et ſopit animos afflictorum, iisque ſomnia inducit de libertate, quam etſi fortaſſe nunquam recuperent, facit tamen vt luctum aliquamdiu comprimant, quem vincula afferunt. Rei, qui abiecta ſunt vitae conditione, ſperant eandem fugae opportunitatem, atque ea cum aliqua de ſucceſſu perſuaſione coniuncta expectatio efficit, vt catenarum pondus minus ſentiant, nec computent dies in vinculis degendos: et praeterea conſuetudo et ſociorum adſpectus, qui eadem patiuntur, ſubleuant horum moleſtiam. Quibus omnibus comprehenſis intelligitur poena non adeo grauis et acerba. Sed ſuperſedeo vlteriori probatione; argumenta afferam

Digitized by Google

ex ipſo autore ſumta, et ſatis firma vel ipſius iudicio futura. Locum, vbi ſe ipſum rationibus ſuis iugulat, habes p. 106. „Carceris poena ſummae vtilitatis eſt in republica, magis „quia terreat ciues, quam quod vinctos excruciet. Illi „enim ſingulos reorum cruciatus ſibi ante oculos ponunt, „et animo voluunt, cum in his futurorum malorum metus „praeſentium perceptione perimittur: mala enim expecta„tione augentur, et qui ferunt, eorum leuamen et medici„nam quandam ſibi parant, quae vel ignoratur ſpectantibus, „vel ipſorum fidem excedit; quod ſuo ſenſu vtuntur in iu„dicanda indole hominum, qui diuturna calamitate obduru„erunt." Longe aliter ſe habent ſupplicia, quae cum omnia mala quaſi in vnum congerant, et vniuerſam ſui vim puncto temporis exſerant, neceſſe eſt grauiter et vehementer commouere animos ſpectantium, iisque diu obuerſari. Sed quaero iam, an, vt autor noſter perhibet, omnes facile exemplum ex hac ſeruitute capere poſſint. Nouimus, haec mancipia in oppidis aut caſtellis cuſtodiri, nec vulgo in conſpectum venire eorum, qui in agris degunt: quae tam iactata exempla hic vbi ſint neſcio. At horum non minus, et fortaſſe multo magis intererat, quam oppidanorum, qui vel ipſi raro vident miſeros iſtos, niſi palam opus facere iubeat magiſtratus, hos vero nunquam vident, quorum conditio peſſima eſt, et qui maxime idonei ſunt ad terrendum, quod ſecuritatis cauſa magna cura cuſtodiuntur, nec vnquam prodeunt. At quam pauci ſunt ſatis curioſi, qui viſant in latebris ſuis ſordidis? Sed ſit in ea re diuturnum exemplum, nonne etiam eſt in ſuppliciis? Nonne multis in locis fures catenis patibulo alligantur, et in atrociſſimis delictis ſontium trunci palis infiguntur. Atqui haec omnia conſeruant poenae memoriam. Maiores noſtri, priſci illi Germani, multum proſpexere ſuppliciorum memoria: itaque pendi curarunt reos ita, vt inhumati manerent, cum aliae gentes ſepelirent; quae res ſupplicia terribiliora reddidit. Pergit Autor p. 101. „Supplicium, quo praui affici-

„un-

Digitized by Google

„tuntur, plerisque fabulae loco eſt, quos eius rei vel miſeri„cordia, vel indignatio capit; alterutra multo magis mouet „ſpectantium animos, quam terror ille quem leges iniicere „voluerunt. Sed metus, quia diuturna atque moderata poena „excitatur, maximus ſit neceſſe eſt, quia ſolus. Nam idem „fere accidit ſupplicii, quod fabulae ſpectatoribus: horum „enim, finitis ludis, quot ſunt auari ad nummos, quot ſunt „inſolentes et proterui ad iniurias, redeunt.“ Improbat autor hac diſputatione ſupplicium, quod non terrorem, ſed miſericordiam aut indignationem moueat, cum perpetuus carcer nil niſi metum iniiciat. Sed iam probauimus, illud, ſi quid aliud, maxime terrere ſpectantium animos; hoc, cur minus moueatur eorum miſericordia, praeſertim ſi ſunt mitioris ingenii, non videmus, nec quam ob rem improbi magis auocentur ab odio iudicis, cum vident obtruncari ſontes, quam cum ſentiunt aeternis tenebris et vinculis mandari. Pergit A. p. 102.

„Si quam poenam iuſtam volumus eſſe, neceſſe eſt „ita ſeuera ſit, vt ciues poſſit a delictis auocare. At cum „nemo gentium ſit, qui, niſi omni ratione deſtituatur, aeter„nam libertatis iacturam peccandi libidini anteponat, „quamuis ex ea re ſibi commodum aliquod ſperet: ſequitur, „aeternae ſeruituti cum ſupplicio communem eſſe atrocita„tem, tantam, quanta maxima concipi poteſt, ad terrendum „perditiſſimum quemque“ Quae autoris oratio ita vera ſit optandum eſt, vt nemo in poſterum morte multetur. At vſus omnia alia comprobat: non ſolum quod ſint facinoroſi, qui in vincula coniiciendi ſunt, ſed etiam quod ii, quibus fugiendi copia fuit, amplius peccent. Ii, quibus conſtat quam grauis ſit ea ſeruitus, delictis abſtineant neceſſe eſt, ſi aeterna ſeruitus ita dura eſt, vt poſſit perditiſſimum quemque abſterrere. At cum ſupplicium, vel fatente autore, multo grauius ſit, nec ſemper ſatis terreat prauos: multo minus illa metuatur oportet. Jam oppugnat autor

 con-

conſeruandae vitae in hominibus ſtudium. „Multi, inquit, „mortem animo firmo et intrepido exſpectant: alii, quod „ſunt fanatici, alii quod vaniſſimi, quod vitium ipſis haeret „vel praeſente et vrgente morte, pars quod de ſe prorſus „deſperauerunt, quae res eos malorum et vitae exitum quae„rere iubet.“ Non equidem nego, fuiſſe, et adhuc viuere homines tam parum vitae cupidos, vt mortem ſibi conſciſcant; plenae ſunt horum hiſtoriae Romanae et Graecae; de multis paucos nominabo, Catonem, Brutum, Caſſium, Comam et Petronium, et totius antiquitatis animoſiſſimam foeminam, Arriam, quae viro ſuo Peto pugionem tradidit ſuo ſanguine madentem, his verbis: non dolet Pete. Conſtat etiam, non ſolum ſingulos homines, ſed vniuerſas ciuitates mortem contemſiſſe. Polybius narrat, Philippum Abydenis, capta eorum vrbe, cum ſe ipſos raptim interficere videret, triduum dediſſe omnium clamore remotum, vt eo commodius ſe interficerent. Idem de Numantinis dicit Appianus, qui, cum ſe ſuaque dederent Carthaginenſibus, diem integrum ſibi pacti ſunt, vt qui vellent poſſent ſe interimere, nec in ea re turbarentur. Quis non nouit Europae aliquam gentem, quae tam parum vitae cupida eſt, vt multi ſe animi cauſa ſuſpendant. Quicquid earum rerum ſit, concedatur mihi, oportet, in honorem generis humani, numerum eorum qui vitam contemnunt paruum eſſe, ſi ad eos referas, quibus illa inſigne bonum eſt, et quos mors a delictis auocat. Quantum vitae contemtus vel ex falſa honoris et fortitudinis notione, vel ex animi aegritudine, quae maiora mala ferre recuſat, vel partim ex morbo quodam naſcitur, penes medicos ſit et morum magiſtros magis, quam legislatores, haec emendare. Iam ad alia accedamus Autoris, p. 103. „Si poena capitis apud quosdam populos „obtinet, quoduis exemplum quod editur ſuum crimen po„ſcit; at ex hac capitis diminutione, quam quis ob ſolum „adeo delictum patitur, conſtanti et perpetua ratione docu„mentum capere licet. Sin igitur maxime e re eſt, vim et

„pote-

„poteſtatem legum ſemper ante oculos ciuium verſari: ſe„quitur omnino, ſupplicia crebra eſſe debere, adeoque cri„mina quae puniantur. Si igitur aliqua ſupplicii vtilitas „exiſtat, non tantum commoueat quantum volumus.“ Nihil reſpondeo, quam quod antea iam multis dixi: ſcilicet, non tantum eſſe exempli in aeterna ſeruitute quantum contenditur, et poſſe a magiſtratibus conſeruari mortis ignominioſae memoriam, nec opus eſſe exempli cauſa crebro perimi reos. pag. 108. Autor crudelitatem ſuppliciorum reprehendit, ea enim nocere perhibet ciuitati, „quod exempla ſint „ſaeuitiae, ſi in commotionibus animi, aut bellis, homines „ſui ſimiles occidunt, legum tamen non eſt, cum humanos et „manſuetos effingere debeant ciues, augere immanitatis e„xempla, quae eo ſunt terribiliora, quo maior eſt apparatus „ſupplicii.“ Hoc cum dicit Vir doctiſſimus, oſtendit ſe non recte ſentire de eo quod crudelitatem dicimus: immodice enim et ſine cauſa profundere ſanguinem humanum, et cruciatus edere in alios, non ob neceſſitatem aliquam, vel vtilitatem publicam, ſed ſola libidine, hoc crudelitatem dicimus; nec inhumanae vocandae ſunt leges, quae non iuſto acrius in ciues animaduertunt, id eſt, non ſaepius quam pax et ſecuritas publica poſtulat, nec maiori ſeueritate, quam quae ſufficit ad terrendos improbos. Mox p. 109. dicit Autor, videri abſurdum, „leges, cum nihil aliud ſint „quam ſignificata voluntas omnium ciuium, qui caedem „auerſantur et puniant, eam ipſam perpetrare, et leges, vt ab „illa prohibeant alios, publice caedem facere.“ Hic denuo oſtendit autor, ſe non recte ſentire de homicidio, quod nihil aliud eſt, quam eripere vitam alteri iniuria: quo efficitur, ſupplicium non eſſe parricidium ciuis; legibus enim hac animaduerſione vti licet, cum, vt antea probauimus, a ciuibus ius ſui defendendi ſupremae reipublicae poteſtati traditum ſit. pag. 109. ita pergit A. „Quaenam ſunt verae „leges atque vtiles? eae ſunt, quas quisque ſuadeat et am„plectatur, quibus nullum priuatum commodum quaeritur,

„niſi cum publico coniunctum, licet illius dulcedine omnes „capiantur. At quid ſentiant homines, cum viderint fontes „ad necem rapi? Id facile colligitur ex deſpectu et contemtu „carnificis, cum ille tamen nihil niſi publica iuſſa exſequatur, „innocens et reipublicae apprime vtilis homo, et eodem „modo ad internam ſecuritatem, quam miles ad externam, „neceſſarius. Sed vnde illius deteſtatio, et cur nullo ratio„nis iudicio in hominibus obliteratur? Dicam: ſcilicet eſt „naturae, quae in intimis animis noſtris magis illibata eſt, „aliqua vox, quae perpetuo clamat, nemini ius eſſe in vi„tam noſtram, niſi neceſſitati, qua haec rerum vniuerſitas „continetur. Quid cogitent homines, cum vident magi„ſtratus, ſanctos iuſtitiae miniſtros, parum commoueri, „dum iubent maleficos ad ſupplicium triſti illa pompa de„duci, aut cum vident iudicem condemnantem, eodem „tempore quo reus ſummo cruciatu et morte afficitur, ab„iecta illa iudicis ſeueritate, hilaritati ſe dare, aut tacitam „aliquam voluptatem e ſua auctoritate percipere? Quid aliud „dicant, quam cruentam illam fabulam inuentam eſſe ad „tegendam tyrannidem; nihil eſſe niſi vocem crudelium „quorundam, qui in ipſorum capita coniurarint, et ſtringi „in ſe gladios, quibus impune veluti pecora iugulentur, „tyrannidi immolandi. Videre ſe poſſe caedem patrari, „nulla animi commotione, nullo dolore ex facinoris con„ſcientia percepto: habere ſe eius rei documentum, necem „ſibi ex ſermonibus aliorum triſte et durum quid viſum eſ„ſe, ſed iam vnius illam momenti eſſe, et occurrentibus „quam expectantibus leuiorem. Illis enim minus adferre „doloris.“ Autor iam p. 101. contendit, ſupplicia plerumque indignationem mouere: hic idem ornatius quidem, non tamen rectius dicit. Si quis enim ab odia plebis in magiſtratus, eorumque apparitores, ſupplicia tollenda exiſtimet, idem etiam carcerem demoliatur, et omnes omnino poenas abroget, neceſſe eſt. Plebis indignationem mouet rei cuiusuis adſpectus qui poenas dat, licet iuſtiſſimas

mas, et iudices, ſi illius auram captare velint, ab omni abſtineant animaduerſione oportet Id ipſum, nullius in vitam noſtram legitimum imperium eſſe, niſi neceſſitatis, quae hoc vniuerſum regat, id facile concedo autori: nec aduerſatur ſententiae meae, nam iuſtae leges et ſapientes neminem, non niſi coactae, et graui de cauſa, capitis damnant. Si vero autor ſupplicia inuidioſe parricidia vocat, iniurius eſt in magiſtratus, vt iam notaui. Sed non attinet pluribus refutare hanc orationem, quod ipſe optime de illa ſtatuit, cum eius argumentum p. 112. falſis rationibus niti dicat, quibus, qui delinquunt, quamquam non ſatis explicatis, vtuntur, in quos plus valeat ſuperſtitio, quam ipſa religio. Pag. 113. allegat autor respublicas quae ſuppliciis abſtinuerunt: ſed hoc eſt rem exemplis illuſtrare, non autem probare. Jam audiamus finem capitis, quo de ſuppliciis agit. Hic philoſophi partes oratori impoſuit autor, et omni arte excitauit in Principibus miſericordiam, et gloriae cupiditatem, vt a ſuppliciis auerteret. „Noui, inquit, vocem Philoſophorum eſſe nimis debilem in tanto ſtrepitu tantisque clamoribus hominum, qui coeca conſuetudine abripiuntur: „at audiunt et ſuffragantur pauci illi ſapientes, per vniuerſum terrarum orbem late diſperſi. Et ſi veritas, Principes, „ſuperatis quae a vobis eam arcent obſtaculis, ad veſtra ſolia „penetrare poteſt, ſcitote, tacita omnium hominum vota et „deſideria illam proſequi. Rex, qui illam amplectitur venientem, ſciat gloriam ſuam omnem bellicam laudem ſuperare, et ab aequa poſteritate nomen ſuum longe ſuper „bis Titi, Antonini, et Traiani titulis antepoſitum iri. „Quam felices eſſent homines, ſi noſtro tempore primum „leges ferrentur, cum in Europa Principes imperent munificì, qui pacem et virtutes colant, artes foueant, eruditionem ament, ſuae quisque patriae parens; nulla re niſi „principatu a ciuibus diſtincti, et Reges, qui, dum ſuas opes „augent, populi commodis inſeruiunt, ſine vlla imperandi libidine, quae animos ciuium ab ipſis alienet, et tanto „gra-

„grauior eſt, quanto magis omnes deteſtantur; et ſublata „tyrannide, quae media quodammodo intercipit vocem po„puli et preces, nunquam reiiciendas, ſi ad illorum aures „perueniant. Multarum gentium legibus de delictis, „quamuis vitioſis, vetuſtas, innumerorum interpretum au„toritas, ſolemnitates quaedam et aſſenſus ſemidoctorum „hominum, patrocinatur, abiectorum illorum atque aſſenta„torum. Impediti igitur principes humani ac ſapientes, „has non abrogant leges, magna illa difficultate tollendi in„veteratum errorem: quamobrem boni ciuis eſt, velle illo„rum autoritatem in dies maiorem euadere." Cupit optimus quisque neminem imperare, niſi ſuorum ciuium amantem patrem, clementem et humanum bonis, acerbum et inexorabilem improbis: at pater, qui ob inſignem prauitatem liberos flagris caedit, etſi cruentet, non inhumanus videtur; nec princeps, qui, cum ſalus et incolumitas ciuium poſtulat, reos interfici iubet. Illa enim ſeueritas prodeſt reliquis, et dum ſingulos euertit legum contemtores, omnes conſeruat. Atque ea tam conſentanea multis viſa ſunt Iureconſultis, vt contenderent, non poſſe ſummum magiſtratum homicidae delicti gratiam facere. Leiſerus ad Pandect. libro IX, p. 369. et 370. „Jam, in„quit, lectorem rogamus, vt loca iſta a nobis allata, (Ge„neſ. IX. v. 6. Exod. XXI. v. 12. et 14. et alia) omnia „cum cura conſideret. Quo facto fidem eius obteſtamur, „vt dicat, an non ex illis manifeſte perſpiciat, Deum ſe„rio voluiſſe, vt homicidae a magiſtratu interficiantur. Si „quis hoc agnouerit, is ius aggratiandi in poena homicidii „Principi non poteſt non denegare. Quum enim gratiam „facere delinquenti, nihil aliud ſit, quam legem, quae poe„nam ſtatuit, eo in caſu tollere, et mutare, poteſtas autem „mutandi legem ſuperioris inferiori non competat, Prin„cipi hoc in legem Dei non licebit. Scimus quid Saulo re„gi, qui mortem alicui a Deo condemnato remiſerat, „comminatus ſit Deus 1 Reg. XX, 42. Quia, inquit,

„di-

Digitized by Google

„dimiſiſti hominem morte dignum, erit anima tua pro anima eius, et populus tuus pro populo eius.“ Jam Leiſeri ſententiam aliquis non amplectatur, certum tamen eſt, optimas eſſe leges quae ſeueritatem lenitate temperent, mortem non niſi in grauiſſima ſanciant, nec eius poenam prorſus tollant. Videmus, rectam illam et aequam rationem ſeruari in terris magni Regis Boruſſorum, qui domi et militiae gloria floret immortali; is maximam cum ſumma clementia ſeueritatem coniungit. Mulierculamm imbecillitati, quarum caſtitas delibata eſt, nullum crimen haeret; at illae, quae ſuos foetus enecant, capite truncantur. Sublata eſt infamia mancipiorum publicorum, ne data libertate rempublicam maleficiis turbent, erepta facultate victum honeſte quaerendi. At ſceleſtorum, qui nullo modo corrigi poſſunt, latronum; parricidarum, nulla eſt miſeratio; graui ſupplicio afficiuntur. Quale ſpecimen diuinae cuiusdam intelligentiae, quae clementiam cum ſeueritate compoſuit! Videor mihi iam ſatis probaſſe meam ſententiam et contrariam euertiſſe: adiungam tantum illud Ciceronis, Philipp. VIII. c. 5. „In corpore ſi quid eiusmodi eſt quod reliquo corpori noceat, vri ſecarique patimur; vt membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: ſic in reipublicae corpore, vt totum ſaluum ſit, quidquid eſt peſtiferum amputetur.

SEX. AVREL. PROPERTIVS, VARIETATE LEctionis et perpetua adnotatione illuſtratus, a FRID. GOTTL. BARTHIO: accedunt Indices rerum ac verborum locupletiſſimi.

Lipſiae, ſumtibus Engelh. Benj. Schwickerti, CIϽIϽCCLXXVII. 490 paginae, in 8.

In comparandis veterum elegiacorum poetarum, Ouidii, Tibulli, Propertii ingeniis, cum doctorum quidam Tibullo

bullo primas partes deferant, alii Ouidii gratia numeriſque delectentur, alii vnius Propertii ingenium ſcribendique genus vel eo nomine commendent, quod in illo frequentiores vbique occurrant pentametri in polyſyllaba deſinentes, difficileque ſit de virtutibus vitiisque veterum poetarum ita iudicare, vt et rei ipſi, et intelligentibus harum rerum arbitris ſatisfiat: ab audacia omni alieni modeſtiae laudem mereri maxime videntur ii, qui vel omnem rem in medio relinquunt, vel eorum ſtant iudicio, quos idoneos eſſe iudices, peritosque harum rerum arbitros eſſe, ſatis ſuperque conſtat. Hanc de Propertii carminibus iudicandi rationem ſequitur Clar. *Barthius*, ſcholae Electoralis Portenſis Collega tertius, qui in moderato et eleganti M. Anton. Mureti, (Propertium forma ac charactere dicendi veteres Graecos, inprimis Callimachum, exprimere, et eruditionis poeticae ſumma copia ac varietate florere cenſentis,) iudicio acquieſcens, id modo ſibi dari cupit quod dignus quoque ſit Propertius, qui laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur. Huius voti vt ſe compotem laetari poſſit factum Vir doct. nulli labori, nullique pepercit operae, in adornanda noua Propertii editione, quae vt eſſet accuratior, varietate lectionis ſubiicienda, ſaepius quoque diiudicanda, curauit; vt vero eſſet vſui iuuenum aptior, lectuque facilior, operam dedit, cum breuiores adnotationes et ſuas, et Paſſeratii, Brouckhuſii, atque Vulpii adiiciendo, et Clauem Propertianam, ſeu Indicem geographico mythologico-hiſtoricum addendo. In textu Propertii deſcribendo vſus eſt editione Goettingenſi ſecunda a. 1762, quod iſta iuuenum manibus maxime tereretur, lectoribus ſubinde monitis, ſi quo loco lectio vulgata reſtituenda ac reuocanda videretur. Hanc vero Goettingenſem editionem cum antiquis recentioribusque editionibus ita contulit, vt ſeſe propemodum quouis interpoſito certare pignore, atque in ſe recipere poſſe teſtetur, ſuam editionem diſcrepantias reliquarum editionum omnes habere, non citra taedium conquiſitas, neglectis tamen iis varietatibus,

quae

quae vitio memoriae eruditorum debeantur. Vſus eſt etiam ipſe Varietate Codicis Dresdenſis, quem in Tibullum praefatione p. 9. accurate deſcripſit Ill. Heynius, quemque Barthius V. Cl. cum Aldina editione Propertii comparandum curauit. Variis lectionibus inſertae reperiuntur coniecturae doctorum Virorum, recentiores aetate Brouckhuſii; quo referenda ſunt inprimis ea, quae in Heinſii notis in Propertium a P. Burmanno ſecundo proferuntur, nec non a Viris Cl. Wacker, Koppiers, de Rooy, ſunt propoſita. Nec facile locum aliquem graeci poetae a ſuis abeſſe notulis Cl. Barthius paſſus eſt, qui quidem a Propertii commentatoribus hucusque indicatus atque prolatus erat, vt quoque multa loca ex *Anthologia* inedita, a Doruillio ad Charitonem allata, et plura e Callimacho, atque ex eadem Anthologia a Reiskio poſt Dorvillium edita, ad illuſtrandum poetam vt conferret, curauit. His dotibus atque virtutibus Propertii noua editio inſtructa atque ornata vt prodiret, Clar. Barthius quum curaret, non nulla quoque ſuper Elegia, maxime Romanorum, adiecit, et vitam Propertii per annos quantum licuit probabili coniectura digeſſit. Singularem librum de patria Propertii, quum Thaddaeus Donnola Hiſpellas conſcripſerit, recuſum Viteb. 1713. cura Schurzfleiſchii et in epitomen, non ſatis tamen fidelem, redactum a Ph Siluio, editore Propertii in vſum Delphini: Clar. Barthius potiora et grauiſſima argumenta ex libro Donnolae propoſuit, quibus eum Hispelli in Vmbria natum fuiſſe demonſtraret; ſed ratione natalium mortisque ſequitur I. Douſam et Ill. Heynium, ita vt Propertium A. V. C. 702. (Vulpio annum 697. eius natalem ſtatuente,) natum, iuuenem A. V. c. 739. deceſſiſſe cenſeat, quod intra ſpatium annorum 732. —739. elegiae pleraeque continentur, nec Propertius victoriam Druſi de Rhaetis reportatam, ab Horat o celebratam, ſilentio praetermiſſurus fuiſſe putetur. Quamuis vero in hac re nihil certi affirmari dicique poſſe arbitramur, tamen non videtur nobis Propertius eundem ſcribendi ac

viuendi finem feciſſe, nec diu ante exilium Ouidii diem ſuum obiiſſe. Sepulcrum Propertii anno vigeſimo ſecundo huius Seculi apud Hiſpellates repertum fuiſſe, ex Actis Trevoltienſibus (Mémoires de Trevoux) a. 1723. p. 840. Cl. Barthius ſuo loco commemorat. His in genere dictis, de nonnullis locis, pace lectorum, quaedam nobis dicenda monendaque videntur. Propertius ſe in amore minus felicem quaeritur, atque per extremas gentes et per vndas ire paratum eſſe, libro I. Eleg. I. v. 30. ſcribit, eosque vt moneant hortatur, quibus deus amoris faueat. *Vos remanete, quibus facili Deus annuit ore.* In libris omnibus legitur *aure*, quam lectionem recte recepiſſe Vulpium Barthius iudicat, repugnantibus tamen libris omnibus, ſola Brouckhuſii et Goettingenſis editionis auctoritate fretus, in textu legi iubet *ore*, atque Ablatiuos abſolutos in ſubſidium vocans, ſic explicat: *Deus annuit non aure, ſed facili. aure praebita, annuit, ore, ſcilicet.* *Auris* vero, vt nobis quidem videtur, h. l. pro *vultu* vel *toto capite* ponitur, atque Deus dicitur *facili aure annuere* quum exaudit vota preceſque amantium. Ad Eleg. II. v. 9. *Aſpice quot ſummittat humus formoſa colores*, recte monetur, libros ac ſenſum poſtulare, vt ſcribatur *quos*, cum non de multitudine, ſed de qualitate quaeratur: in textum tamen recipitur *quot*. *Summittere* Cl. Editor putat eſſe *ex inferi re loco emittere, in altum ex imo mittere*, Lucret. I. 7. ſed contrariam vim obtinere, quum exempla, ſummittere faſces oculos, animum, genua, tauros etc. doceant, *ſummittere* h. l. vt et apud Lucretium, poni videtur pro ſimplici *mittere* i. e. producere, vt: India mittit ebur. Si Propertius Eleg. III. v. 30. deſcribit Cynthiam euigilantem, Luna, quae percurrit diuerſas feneſtras, atque eſt ſedula moraturis luminibus patefaciente leuibus radiis compoſitos ocellos: recte docetur, quod *diuerſae feneſtrae* ſint oppoſitae lecto Cynthiae, *compoſitique* ocelli notent clauſos, et nihil amplius; ſed tribus quoque verbis monendum fuiſſe tironum cauſa videbatur, quod *Luna ſedula* dicatur, quia perpetuo luceat, coeloque aſſidue conſpiciatur vsque ad dilucu-

lum.

Digitized by Google

lum. Eiuſdem Elegiae v. 18. melius conſuluiſſet Cl. Barthius honori Cynthiae, ſi pro *verbera* legi iuſſiſſet *Expertae metuens iurgia ſaeuitiae*, libris praecipue poſtulantibus. Quum Eleg. V. v. 7. coniecturam Scaligeri, *non ſciet*, male recipi in textum Cl. Barthius dixiſſet, ipſe tamen in notis praeferens vulgarem legendi rationem, *Molliter iraſci non ſolet illa tibi*, verſu ſequenti veram lectionem non fuiſſe loco mouendam recte monuit, licet ſenſus ſit idem. At *auſa noſtra*, ratione ſenſus quoque, differre videntur a *votis tuis* ſc. Galli. Propertius ſpem facit aemulo, fore, vt quoque potiatur amata, ſeque facilem praebeat, hinc ſcribendum videtur: *Quod ſi forte tuis non eſt contraria votis.* Clar. Barthium vero vbique veſtigia editionis Goettingenſis ſequi ac premere vel inde apparet, quod etiam ordinem verſuum Elegiae IX. in editione iſta obuium, qui debetur Scaligeri ingenio, retinuit. Leguntur vero hoc ordine:

Nec tibi Tyrrhena ſoluatur funis arena,
Neve inimica meas eleuet aura preces:
Et me defixum vacua patiatur in ora,
Crudelem infeſta ſaepe vocare manu,
Atque ego non videam tales ſubſidere ventos,
Quum tibi prouectas auferet vnda rates.

In aliis vero editionibus diſtichon illud: *Atque ego non videam*, praecedit, atque ſequitur: *Et me defixum vacua patiatur in ora*. Niſi nos omnia fallunt, ſcribendum: *patiaris*, vt referatur ad Cynthiam. Quamuis Eleg. XIII. omnes editiones veteres v. 24. de amore Herculis in Heben legi iubeant, Hercules *Senſit in Oetaeis gaudia prima iugis*: praefert tamen Cl Barthius eo rectionem Scaligeri, *Senſit ab ete*. a Brouck. Vulp. et Goetting. receptam: poſtulatur, vt quis aliquem producat locum, in quo Hebe coelo ad Herculem in montem demiſſa, et iuncta Herculi, diceretur. At res non videtur tanti, vt de eo valde laborandum pa-

putetur. Sub finem Elegiae, *Et quotcunque volet, vna ſit iſta tibi*, vulgatam lectionem, *Et quodcunque* praeſtare recte iudicatur. Nec dubitandum, Eleg. XV. v. 20. pro *ſeros* ſcribendum eſſe *miſeros*, quia hae voces in Codicibus ſaepius inter ſe permutantur, atque poeta de Evadne loquitur: hac ipſa Elegia v. 29. in omnibus fere libris legitur quidem *multa*, ſed quum id aduerſetur ſenſui, vel *muta*, vel quod melius placet *nulla*, reſcribendum recte putatur, Poeta enim deſcribit aliquid quod nunquam fieri poterit,

Nulla prius vaſto labentur flumina ponto.

Elegia XVI. v. 13. exprimitur ſicut partim e Codd. partim e coniectura refinxerat Brouckhuſius, quem Vulpius quoque ſecutus eſt. Scaliger hoc diſtichon ſic conſtituit:

Has inter grauius cogor deflere querelas.

Cl Barthius nihil decernit; ſententia vero huius loci haec eſſe nobis quidem videtur: Inter haec dum domina turpiter et luxurioſe viuit, ah triſtis longas excubias ſupplicis, nocturnas vigilias amantis, cogor deflere grauibus querelis. Lib. II. Eleg. XXVII. v. 6. offendi videtur lector voce *viae*, inde liber Palat. *die*, et Wakkerus V. Cl. legendum ſuſpicatur *vices*. Quid ſi ſcribatur *vides*, imperſonaliter, atque legatur:

Seu pedibus Parthos ſequ ris, ſeu claſſe Britannos,
Et maris et terrae caeca pericla vides.

Quum non probabile ſit, Cynthiam libro II. Elegia XXXII. dici *anum*, quum Propertius de eadem ſcribat, *Qui videt is peccat*, et *anus* etiam rebus inanimatis tribuatur, v. 6. eum Marklando ad Stat. Sylv. *IV*, 3, 63. recte referri videtur ad viam Appiam, quae fuit antiquiſſima; quamvis non videamus, cur Propertius h. l. viam Appiam vetuſtam appellet. Verſu 25. Cl. Barthius in notis recte quidem legi *tu* docet, ſed textui tamen inſerit *te*, quod Scaliger correxerat, et Broukh. receperat, ne admonito quidem lectore, propterea quod Cl. Barthius a Goettingenſi editione vel litterula aberrare ſibi religioni ducit; quam ipſam ob cau-

Digitized by Google

cauſam etiam Eleg. XXXII. 41. *ſtudiorum* legi voluit, quamuis *ſtuprorum* ſit lectio omnium librorum, praeter Goettingenſem. Quodſi velis aurium ſequi iudicium, libro III. Eleg. VI. v. 5. potius leges: *Omnis enim debet ſine vano nuncius eſſe*, quam — *ſine vanis eſſe relator*, quum prius conſenſu librorum gaudeat, et vſus vocis *relator*, vt ſit idem quod *narrator* et *nuncius*, non adeo probus atque elegans eſſe videatur. Ac in pentametro quoque vulgaris lectio retinenda videtur, *Maioremque timens ſeruus habere fidem*. Seruus maiorem fidem, quam alius conditionis homines, meretur, quia falſa narrare metuit. Cl. Barthius Broukhuſii iudicio acquieſcens, legi iubet: *Maioremque metu ſeruus habere fidem*, explicans, *Vult poeta plus fidei ineſſe debere ſeruo, quam metus*. At, cur velit poeta h. l. metum atque fidem ſeruorum inter ſe comparare, nobis quidem non patet. Verſus 22. huius ipſius Elegiae varie tentatus eſt ab interpretibus. Cl. Barthius ſic legi iubet: *At qualem nulla dicere habere domo*, addens *ſiue ac qualem legas, ſiue aequalem, ſenſus erit, poteſtne ille* (Propertius) *dicere, (vere et ex animi ſententia,) habere (ſc. ſe, quod more graeco omittitur, domi ſuae,) aliam puellam, et quidem talem, qualem nulla domo alius, vel ipſe habere poſſit?* Nobis quidem valde obſcure ſcripſiſſe videtur Propertius ſi ſic ſcripſiſſet, nec vnum idemque eſſe, ſiue Propertius ſcripſerit *Ac qualem*, ſiue *Aequalem*. Nobis, ſi quid videmus, Cynthia haec dicere voluiſſe videtur: Propertius ne poteſt me linquere miſeram, *nullo facto*, nullius criminis ream, ac dicere, ſe habere domi puellam, nulli, nec Cynthiae parem. Omnes enim libri legere iubent Equalem, (pro aequalem,) nulla dicere habere domo, forſan *nulli* atque *domi*. Verſu dein trigeſimo inter veneficia commemoratur *Vinctaque funeſto lanea vitta toro*, vbi, quod in omnibus libris legitur, *cinctaque*, legendum putamus *vinctaque funeſto lanea vitta viro;* extremam enim vocem habere dicuntur omnes libri, atque *funeſtus vir*, recte explicante Cl. Barthio, eſt Propertius, ingentem luctum

ctum Cynthiae afferens, cuius imagunculae cereae a venefica lanea vitta appenderetur. Atque haec quidem ſufficiant, quae propterea commemorauimus, ne ſicco, vt aiunt, pede tranſiiſſe putaremur librum, qui et doctrinae copia, et carminis elegantia, multos lectores admiratoresque ſibi conciliauit, et in quo receuſendo, explicando, illuſtrandoque, eam Cl. Barthius poſuit operam, vt et peritorum iudicum laudem ferat, et ſcholarum magiſtri, nec non adoleſcentes, (iuniores enim diſcipuli, et difficultate generis ſcribendi, et lubricitate ac leuitate argumenti, a legendo Propertio arcentur,) multum illi gratiae ſeſe debere profiteantur. Adoleſcentum inprimis commodis conſultum maxime videtur Claui Propertiana, in qua omnia nomina propria in Propertio obuia breuiter atque ſuccincte explicantur; vt nihil dicamus de breuioribus notis textui ſubiectis, et tironum vſui maxime accommodatis. Non dubitamus itaque fore, vt Propertius Barthii, aeque ac Tibullus Heynii, omnibus peritis placeat, et a multis harum deliciarum cupidis diligenter, nec ſine fructu, legatur.

CHARACTERES GENERVM PLANTARVM, quas in itinere ad Inſulas Maris auſtralis collegerunt, deſcripſerunt, delinearunt, Annis MDCCLXXII—MDCCLXXV. IOANNES REINOLDVS FORSTER LL. D. Soc. reg. Scientiar. vt et antiqvitt. ap. Lond. Sodalis, et GEORGIVS FORSTER.

Londini apud B. White, T. Cadell, et P. Elmsly, MDCCLXXVI. pagg. 150. in 4. mai. c. tabb. plantar. nitidiſſime aeri inciſis LXXV.

Quidquid hoc libro, hiſtoriae naturalis, et Botanices commodo potiſſimum, contineatur, cum nemo melius atque accuratius exponere poſſit ipſis auctoribus, totam praefationem, quae eſt operis quaedam quaſi ſynopſis, de-

Digitized by Google

deſcribimus. Eſt autem huius tenoris: „Tanta optimarum litterarum, Artium et Scientiarum, in Magna Britannia eſt felicitas, vt non ſolum in ea vegetent, floreant, vigeant, verum etiam maxima incrementa quotidie capiant. Id certe amori debetur, quo vniuerſa gens Britannica in litteras et ſcientias fertur: verum praeterea Proceres et Magnates gentis litteratae, ſaepiſſime inter doctiſſimos viros familiariter verſantur, eosdem aemulantur, et non raro meri ta eruditionis ſummae laude fulgent. At quantum Muſae Clementiſſimo Regi Magnae Britanniae *Georgio* tertio, debeant, omnibus eſt notiſſimum. Inter Artes Picturam, Architectonicam, Horticulturam fouet; inter Scientias Res nautica, Geographia, Aſtronomia, et Scientia Naturalis, ita ab optimo principe in tutelam ſunt ſuſceptae, earumque cultores patrociniis, ſalariis, honoribus ſunt condecorati, vt facile pateat, quicquid in hiſce Scientiis magnum et vtile ſit repertum, inprimis regiae munificentiae, regioque fauori deberi. Quatuor itinera circa hunc noſtrum globum terraqueum ſuſcepta, ſupradictas Scientias miris incrementis auxerunt. Tria horum itinerum ab Oriente Occidentem verſus ſunt ſuſcepta: quarto recentiſſimo itinere, nos ſoli ab Occidente in Orientem nauigauimus, et primi fuimus, qui hoc inter XIX. celebres peregrinatores perfecimus. Et quod mirum dictu, vltra Circulum Antarcticum ad LXXI. Latitudinis Auſtralis quem vocant Gradum proceſſimus, et vlterius progreſſuri fuiſſemus, ni glaciei ingens moles viam obſtruxiſſet. Huius itineris Socius, Clementiſſimi Regis iuſſu, ego cum filio deſignati fuimus anni MDCCLXXII. pauculis ante nauis diſceſſum diebus, vt in eo res naturales paſſim obuias, collectas deſcriberemus, earumque formas delinearemus. Exinde ad id inprimis omne ſtudium, omnem animi intentionem impendimus, vt quantum per vires, profectus, facultatesque noſtras lice-

Ff ret,

ret, nihil in his oris inexploratum maneret, vtque res Naturales ita deſcriptae, delineataeque cum orbe erudito communicarentur, vt nemini impoſterum deſiderium ſupereſſet, easdem regiones rurſus adeundi, ac de nouo omnia examinandi. Quum vero ad Caput Bonae Spei perueniſſemus, regionem praeduitem plantis, auibus, animalibusque omnis generis prorſus nouis; fere excidi de ſpe quam antea ſuſceperam, quod viderem, me cum filio iuuene prorſus imparem eſſe ad hoc ingens et maximae molis negotium. Erant enim nobis plurimae plantae colligendae, ideoque valles longinquae, monteſque praealti, ſiluaeque impeditae perreptandae; erant et aues necandae ſclopeto, piſces capiendi, teſtacea in maris littoribus et inter rupes corradenda; ſed haec omnia erant denuo examinanda, delineanda in tabella, et ſecundum normam artis deſcribenda, antequam marceſcerent vel perirent, dein inter chartas reponenda, ſaepius vertenda, ſiccanda, multa in Spiritum vini immergenda. At quo plus operis mihi parare credebam, tanto plus animo forti contra audere inſtitui nec vlli vel maxime improbo labori parcere mecum decreui. At quod tunc vndique in Promontorio Bonae Spei ingentes theſauri rerum naturalium ante oculos meos eſſent expoſiti, exinde hariolabar, omnes regiones, quas adituri eſſemus, iisdem diuitiis affluere, ideoque facile iudicium inde facere licuit, manus noſtras nequidquam poſſe ſufficere tantae meſſi; itaque circumſpiciebam, quam potiſſimum rationem inirem, ne multa inexplorata remanerent in illis oris: et en vltro nobis ſeſe obtulit optimus et eruditiſſimus Iuuenis, *Andreas Sparmannus*, M. D. Vpſalienſis, magni illuſtriſque *Linnaei* diſcipulus, qui tunc temporis ad Promontorium Bonae Spei Florae Faunaeque ſacra faciebat, et, rogatus a nobis, paratiſſimum ſemet futurum ad hoc negotium et iter longinquum ſuſcipiendum pollicitus eſt.

Eum

Eum itaque ſocium et adiutorem laborum nobis adiunximus. Quum igitur in terram exſcenderemus, omnes ſimul pro virili aues, plantas, piſces, et teſtacea colligere coepimus; in nauem reduces facti, cuilibet prouicia ſeparata concredita eſt. *Sparmannus* plantas deſcribebat filius easdem delineabat, ego vero totum me Zoologicis deſcriptionibus dicabam. Verum dum Sparmannus plantas accuratius examinaret, filius et ego ſaepe in conſilium vocati in commune conſulebamus. Dein plantas deſcriptas filius in aliud volumen digeſſit; ego cuncta reuiſi, antequam deſcriptiones rurſus in aliud volumen, et ſecundum ordinem Syſtematis Linnaeani, transſcriberentur; et dum Sparmannus cum filio in his occupati eſſent, ego rurſus nouas plantas, et alias naturae diuitias, colligebam, et proſpiciebam, ne vacuis manibus ex vllo diſcederemus loco. Haec ſufficiant in genere dicta de ratione, quam potiſſimum iniuimus in deſcribendis, delineandis, colligendis, et dirigendis rebus naturalibus. Nunc quaedam de inſtituto huius opellae ſunt dicenda.

Quantum vtilitatis in Scientiam naturalem, et Botanicen, *ex Inſtitutionibus rei herbariae* Viri immortalis, *Tournefortii*, redundauerit, nemo ignorat, qui hanc Scientiam vel a limine ſalutauerit. *Carolus Plumier*, eadem methodo vſus, *Genera* ſua *Americana* publicauit; et omnes inſignes ex eo tempore Botanici, preſſe eorum veſtigia legentes, ſemper partes floris et fructificationis nobis diſſectas, delineatasque obtulere. Summus aeui noſtri Naturae Myſta, et acutiſſimus Botanicorum Anteſignanus, *Carolus Linnaeus*, ſua *genera Plantarum* ad eandem normam diſpoſuit, vbique lectores ad Tabulas *Tournefortii* et *Plumierii* referens. Itaque id primum ad memoriam noſtram adiutandam fecimus, vt characteres nouorum generum delineare-

mus et deſcriberemus *ſeparato* opere. Verum paullo poſt, et viris eruditis non ingratum, et tironibus haud inutile futurum ſperantes, ſi hoc idem opuſculum ſeparatim publicaremus, nouis curis totam opellam ad limam vocauimus, et nunc in publicum emittimus.

Syſtema illuſtris Equitis *Caroli a Linné* ſumus ſecuti, quod in eodem plurima ſint genera methodo quidem artificiali, at, quod ſciamus, hactenus optima, digeſta, inſigni diligentia et ſummo iudicii acumine. *Ordines* multi crepant *naturales*, nos ſcimus ſuis neruis Linnaeanum laborare Syſtema, at neminem adhuc vidimus, qui nos meliora et rectiora docuerit. Id certiſſimum, heic terminos adhiberi definitos et optime adaptatos, et omnes ingenii iudiiciique vires ad id adhibitas eſſe a ſummis noſtri aeui Botanicis, vt hoc Botanices Syſtema, quantum fieri poſſit, perfectiſſimum et limatiſſimum euaderet; nec vllus dubito; hoc idem Syſtema, temporibus futuris viam pandere poſſe ad diſponendas plantas per ordines naturales. Sequamur igitur hanc viam, *donec veniet tempus, quo iſta quae nunc latent, in lucem dies extrahet, et longioris aeui diligentia.*

Si recte coniecturam facimus, erunt plures, qui mirabuntur, in haece opella LXXV. tantum noua Plantarum Genera exhiberi in regionibus hactenus intactis, et rerum naturalium diuitiis luxuriantibus reperta, et credent profecto, nos ſordidulam ſymbolam in commune contuliſſe, imo forte nos negligentiae vel deſidiae accuſabunt. Optimum forte conſilium foret, huius generis homines nihili pendere, et rem ſilentio praeterire; at quod horum importuna loquacitas non raro et viros principes moueat, et in ſen-

ſententiam ſuam pertrahat, heic loci opportunum duximus paucis verbis rem exponere.

Primum obſeruatum id volumus, nos non raro plantas, in nonnullis rebus a notis generibus recedentes, verum tamen in aliis eisdem affines, ad genera antiqua amandaſſe. Satis enim iam eſt nouorum nominum in Scientia, quae ob hunc ingentem generum numerum mole laborat ſua; parce igitur, et ſobrie, et non ſine neceſſitate, iure noſtro noua creandi genera ſumus vſi. Idem quoque in ſpeciebus plurimis fecimus, et ſatius duximus, easdem, ſi non prorſus certiſſimae et conſtantiſſimae adeſſent differentiae, ad varietates eiusdem ſpeciei referre, quam leuiter nouas ſpecies condere.

Dein quoque id ſcitu eſt neceſſarium, etſi per triennium abſentes fuimus, non tamen omne id tempus, et ne quidem maiorem eius partem, in continente fuiſſe. Nam in vniuerſum tantum XXXII. hebdomadum et 1. diei ſpatio in terrae vicinia fuimus, anchora nauis in portum demiſſa. Sed hoc quoque multum videbitur, verum ſatis amplum exinde ſpatium eſt ſubducendum, nempe ſomni cibique capiendi; dein plantae non in primo littore erant legendae, ſed magna pars inſulae, circa quam haerebamus, erat peragranda pedibus, montes praealti ſcandendi, ſiluae inuiae perreptandae, littora maris et ſcopuli erant examinandi, aues ſclopeto necandae, piſces colligendi. vel ab incolis coemendi. mores incolarum obſeruandi, et vocabula linguae eorum colligenda. Praeterea non raro in naui erat mihi ſubſiſtendum, donec cymba in littus proximum mitteretur. In prorſus nouis inſulis, incolae nos quidem circa littora vagari ſinebant, ſed ab interioribus inſulae ſuae partibus arcebant, nec ſine periculo ſolus cum famu-

lo, vel etiam filio Sparmannoque ſtipatus, longius a naue vagari poteram, et tamen ſaepe non ſine ſummo vitae diſcrimine id auſi ſumus, dummodo inde ditiorem plantarum vel aliarum rerum naturalium meſſem ſperaremus.

Neque id parui momenti eſt, quod in Nouam Zeelandiam ſero autumno appulerimus anno MDCCLXXIII. et in hyemem vsque ibi perſtiterimus; et ſecunda vice primo vere, et tempore admodum frigido, et paucis florentibus ſtirpibus. Tertio iterum primo vere perbreuem illic moram fecimus. Intra inſulas tropicas ſemper hyemali tempore nauigauimus, quum non adeo multas florentes videremus plantas. Verum de hiſce Tropicis Inſulis aliud quoque obſeruandum: Orientem ſpectantes inſulae, vbi ob amicitiam incolarum et humanos mores licentius vagaremur, non ſunt magnae molis, nec vltra aliquot leucas extenſae, et ſtirpes paucas, non vltra CCCC. in vniuerſum producunt, quarum bona pars ſunt notae, reliquae nouae; at non omnes vno tempore florent, itaque nonniſi paucas colligere potuimus. Occidentales ſunt quidem ditiores, vti ſuſpicor, ſtirpium varietate; at quod mores incolarum eſſent minus mites, et quod nos arcerent ab inſpiciendis locis a littore remotis, et quod perpaucos tantum dies inter eas moraremur, non niſi deguſtatis Florae Tropicae diuitiis ab iis diſceſſimus.

In terris Auſtralibus, de quibus plerique forte praegrandes nimiasque ſpes conceperant, nihil prorſus a nobis repertum. *Terra* quam vulgo vocant *del Fuego*, pauciſſimas nobis obtulit plantulas; portus enim in quem appulimus ſaxis ingentis molis nudis vndique erat cinctus, apicibus niue tectis; et nonniſi pauciſſimae ſtirpes in cauis rupibus inter muſcos miſere vitam agebant. In Inſula quam

Digitized by Google

quam dein reperimus nonniſi duas in vniuerſum ſtirpes vidimus, videlicet Sanguis orbam officinalem, et Dactylin glomeratam: omnes enim montes medio Ianuarii niue erant obruti ad plurium pedum altitudinem, et valles completae glacie, quae ni fallimur a creati mundi primordiis illic fuit accumulata, et omnia gelu et frigore ſqualida.

Inter Capenſes plantas plures obſeruauimus nouas, at quod ſciremus, virum doctiſſimum, *Laurentium Burmannum*, Floram Capenſem moliri; et acutiſſimum naturae ſcrutatorem, Doctorem C. P. *Thunberg*, ingentem copiam ſtirpium ad Prom. B. Spei collegiſſe, examini ſubieciſſe, et rite deſcripſiſſe, noluimus in alienam meſſem immittere falcem, et praeripere his doctiſſimis Viris bene meritam laudem, inſtruendi adornandique *Floram Capenſem*, omnibus numeris abſolutam.

Iis, quae modo diximus, bene penſitatis, aequi iudices facile colligere poterunt, nos pro virili quae noſtri fuere officii procurauiſſe; nec credent id ſpernendum, quod LXXV. noua genera, et ad eadem ſpectantes ſpecies XCV. aliasque praeterea circiter CLXX. ſpecies, ſub generibus Linnaeanis militantes, delineatas deſcriptasque ſeruemus. Sunt praeterea a nobis plus quam CC. animalium nouae ſpecies obſeruatae, quarum deſcriptiones breui in publicum emittere eſt animus."

IOS.

Digitized by Google

IOS. ANT. RIEGERI EQV. AVGG. A Conſiliis et Iuris Eccl. Prof. Ord. in Academia Albertino, Opuſcula ad Hiſtoriam et Iurisprudentiam Eccleſ. pertinentia.

Friburgi Brisgoviae, 1773. octonis.

Quamquam multa inſunt huic libro, quorum in titulo nulla mentio facta eſt, digna tamen ſunt lectu et iucunda, adeoque facile eius rei veniam damus, licet aegre ſaepe tulerimus audaciam ſcriptorum, qui aliud ſpondent, aliud exhibent. Omnis liber XIII. commentatt. abſoluitur, pars earum iam olim in lucem prodiit: ea de quibus inſcriptus eſt, ſunt: n. 8. de receptione Corporis Iuris Canonici in Germania: n. 9. de Collectione Decretalium Honorii III. P. Rom. n. 10. de Gratiano autore Decreti: n. 11. de Paleis Decreto Gratiani inſertis. Reliqua, etſi magnae ſint vtilitatis, alius tamen eſſe loci videntur. Prima omnium poſita eſt oratio de amoenitate ſtudii Iuris Eccleſiaſtici: hanc non ſatis commendare poſſumus tironibus, commodum enim eſt ſtimulare eorum animos, atque ad optima ſtudia excitare; nec tam iniucundae ſunt iſtae litterae, vt nihil omnino delectationis afferant. De ſenſu, quem Vir doctiſſimus Traditionis voluit eſſe n. 7. vbi disquirit, an detur Traditio ſacra? diſſentiendum nobis eſt: non enim ſignificat verbum id quod Chriſtianos religione aliqua obſtringat, cum Sacris Litteris non contineatur. Vulgo quidem ita informatur eius rei notio: at conſtat, eo verbo denotari omne id quod alterum docemus. Controuerſia nobis eſt cum Romana Eccleſia, an ſint praecepta de religione, quae Apoſtoli ſcriptis non mandarint, nec niſi coram dederint; quae

quae licet in Libris Sacris non contineantur, tamen, cum diuinae ſint originis, nos eodem modo obligent quam illa quae in his deprehendimus. Fuiſſe eiusmodi in Veteri Teſtamento, et Apoſtolis tradita eſſe, nemo negat; nec hoc ylla probatione ind get. Diſtinctionem illam, inter traditionem, de qua multum disputatum eſt, diuino apoſtolicam, et mere apoſtolicam, reiicit Autor, quod rem parum illuſtret, et multo magis obſcuram efficiat. Ceterum omnis Traditio diuiditur vel in diuinam, quae a Deo, vel Chriſto, vel Spiritu Sancto profecta eſt; vel in humanam aut eccleſiaſticam, ſi, quae docet, ſunt ab iis inuenta qui eccleſiis praeſunt, habita temporis, loci, et hominum ratione. Loca Pauli, vbi παράδοσις, παραδιδόναι, obuenit, non probant ſententiam Autoris, teneri nos Traditionibus: e iſtimat enim, ſignificari iis non modo de religione praecepta, ſed et in quibusdam innui diſciplinam eccleſiaſticam, et ritus ſacros; nec Traditione tantum intelligi res arbitrarias, inſtituta, ritus, et ſimilia; ſed et ipſa, ea quae Religio praecipit, ſancta illae nec violandi, id quod non probauit nec illud ex ingenio linguae aut aliis idoneis argumentis probari poteſt; quamquam facile damus, Paulum ita vt Chriſtum coram docuiſſe Religionem. Autor allegat conſuetudinem Eccleſiae, quae multum tribuerit Traditionibus, iisque errores profligauerit; ipſa Concilia, Pontifices, et Patres, in ea re ad illas confugiſſe; illis Haereticos oppugnaſſe, et viciſſe, in Concilio Niceno Arianos, in primo Conſtantinopolitano Macedonianos. Sed quid quaeſo? num Chriſtum eſſe Deum Traditio tantum fuit non ſcripta: quis hoc vnquam dixit? In explicandis Librorum Sacrorum locis conſenſum allegabant ſuperioris Eccleſiae, aut interpretum, non autem veterem aliquam famam ita docuiſſe Apoſtolos. Quando Vincentius Lerinenſis dicit: „Veritatem eſſe defendendam et ſtabiliendam, primum diuinae legis autoritate, deinde Eccleſiae catholicae, Traditione:" intelligit ſane conſenſum doctorum Eccleſiae in explicandis Scripturae Sacrae locis, quem pro aliqua ſententia allegamus. Verba e Clementis Romani Epiſtola I. ad Corinthios nihil probant, vbi dicuntur Apoſtoli tradidiſſe regulam ſucceſſionis Epiſcoporum, dum il-

Digitized by Google

los et diaconos inſtituiſſent: occurrunt enim paſſim loca in ſcriptis Apoſtolorum, quae de iis agunt, et cum primum hos inſtituerent, eo ipſo regulam dederunt, et vnus omnium maxime Paulus hoc argumentum copioſe pertractauit. Nil quicquam aliud intelligit Iuſtinus, cum Chriſtianos hortatur, vt Apoſtolorum traditionibus tenaciter inhaereant, quam res vt amplexentur, quae ſcriptis ſuis memoriae prodiderunt. Fruſtra igitur laborat autor, nec euincit illud quod maxime oportuit. Quae de Gratiano agit diſſertatio, tanta diligentia, et tam accurate ſcripta eſt, vt nuſpiam inuenias copioſiorem eius hiſtoriam tradi, nec vberius de eius ſcriptis agi. Omnia dubia de eius patria, vbi vitam egerit, vbi et quo tempore Decretum compoſuerit, aut quae munera gesſerit, diligenter ſunt diſcuſſa, et interdum feliciter expedita: adeoque illam cupidis earum rerum non ſatis commendare poſſumus. De iis acceſſionibus Decreti, quas Paleas vocare ſolent, multum adhuc diſceptatum eſt, et huius appellationis multae cauſae adinuentae ſunt, partim perridiculae, vid. §. 17—27. Braua ſcripſit de iis additamentis; qui liber praemiſſus eſt Boehmeri Corpori Iuris Canonici. Exponit Autor de IV. Codd. Mſcptis Bibliothecae Vindobonenſis, ex quibus perſpicitur quodammodo quid ſint iſtae Paleae, et quomodo ortae ſint: ſuſpicatur ex eorum conditione, quaedam ab ipſo Gratiano orta eſſe, vel ab alio qui prope abfuit ab eius temporibus: aliud alio exemplo plures habet, quae ſubinde iisdem litteris ſcriptae ſunt, quibus textus. In fine huius tractationis, index eſt copioſus omnium Palearum, librorum impreſſorum et ſcriptorum Bibliothecae Vindobonenſis, ex quo perſpici poteſt, quae in hoc vel illo ſint, aut in nullo inueniantur, aut quo ordine expreſſae ſint. Cum Pontif. Max. Eugenius III. illud Decretum anno 1151. Bononiam miſiſſet, et doctoribus commendaſſet, vt conſtat ex Kalendario Archigymnaſii Bononienſis, eosque, qui illud explicarent, aequaſſet cum Iuris Ciuilis doctoribus, imo iis praetuliſſet: non mirum eſt in Germania hanc Collectionem magni factam eſſe ab iis, qui illic diſcendi cauſa mira frequentia confluxere, praecipue Irnerio operam daturi. Nam certum eſt, iam antea Ger-

Digitized by Google

Germanos Ius Canonicum tam auide arripuiſſe, vt falſas Decretales Iſidori introducerent, quibus Rhegino et Burcardus tamquam veris vtuntur: quorum collectiones probant, multo ante Saeculum XII. Germanos etiam aliquam Iuris Theodoſiani et Iuſtinianei habuiſſe cognitionem. At pertenuis illa fuit ſcientia, quod Germania ſuo ipſius iure teneretur; Eccleſiaſtici vero Iuris magna ſemper reuerentia fuit, itaque cum ipſa religione inuectum eſt; teſtes tot Concilia, tot Synodi, Canonum collectiones, Capitularia Regum Francorum, ſcripta Rhabani Mauri, et alia. Fridericus Aenobarbus inuitauit ad ſe eos, qui ius vtrumque didiciſſent, et filium Henricum in vtroque, Apoſtolicis inſtitutis, et legibus Imperatoriis, inſtrui curauit; et ob inſignem decretorum legumque peritiam, Bertholdum 1179 Epiſcopum Bremenſem fecit; quare errarunt Conringius, Kulpis, Hertzius, aliique, qui eius rei initium Saec. XIII. poſuerunt. quod hoc ineunte Io. Semeca iam Gloſſas in Decretum fecit. Fridericus II. illi magnam autoritatem conciliauit; id enim ſine dubio ſignificatur Iure Eccleſiaſtico, cui Epiſcopi et Archipresbyteri inhaerere debeant, non autem quae eodem anno Bononiae innotuerunt Decretales Gregorii IX. Qui enim poterant ſtatim ad Germanos peruenire? nec antea explicatae ſunt publice quam 1241. Autor variis ſcriptis Saeculi XIII. probat, magna autoritate fuiſſe Decretum Gratiani, atque etiam colligit illud ex Speculo Sueuico L. 1. C. 5. quem locum aegre fert a Boehmero deprauatum iudicari. Notatu digna illa Caroli IV. Epiſtola, quae hic inſerta eſt, ad Anteceſſorem Pragenſem, qui laudatur ab Imperatore, quod miſſis Decretalibus, in Decretum Gratiani commentatus ſit: id quod in his litteris res theologica vocatur, ſicut ab Italis ius diuinum dictum eſt: et ſimul oſtenditur, illum eius rei praemium laturum. Cum illo modo, quo diximus, inuectum eſſet in Germaniam Ius Canonicum, reliquae eius partes, quae illud ſubſequebantur, facile admiſſae ſunt; et conſtat, in Academiis, quae Saec. XIII. XIV. XV. in Germania inſtitutae ſunt, Ius vtrumque Canonicum et ciuile floruiſſe, hoc tamen illi poſthabitum. Autor igitur exiſtimat, Clementinas, quae anno 1338. prodierunt, comprehendi, Iuris Cano-

nonici nomine, in Decreto Ludouici Bauari quod edidit 1338. in Renſe: exploratum tamen eſt, cum ſaepe laudentur in inſtrumentis publicis, eas Iuris Pontificii partem eſſe factas initio Saec. XV. et eodem modo Bullae, quae Extrauagantes vocantur, cum ſaepius in orandis cauſis allegarentur, vim legum obtinuere. Collectio illa Decretalium, quam quintam vocant, et quam Honorius III. compilandam curauit, et quae vltima eſt Ante Gregorianarum, ita enim rectius vocantur, quam antiquae Decretalium collectiones, illae quae ante Gregorium IX. et poſt Gratianum factae ſunt: ea praecipue eſt de qua Autor agere voluit, reliquis in aliud tempus ſeruatis; quippe ſe ſatis inſtructam ratus iis copiis, quibus illae res illuſtrantur, nec ſibi omnia praerepta videns ab aliis, qui in eodem argumento verſati ſunt. Edidit illam Vindobonae 1761. in 4. ex Editione Cironii, quae Toloſae 1645. f. prodiit, et qua eius libri memoria renouata eſt, cum antea vulgo parum notus eſſet. Contulit eam cum codice MSto Bibliothecae Vindobonenſis, quem deſcribit §. 17. et aliis quibusdam auxit. Quo iure quinta vocetur, diſquirere alienum duxit, quod huius argumenti tractatio, tum inutilis, tum nimis prolixa futura eſſet. Tantum conſtat, quod Gregorianam proxime praeceſſerit, factam ab Honorio III. in vſum fori et ſcholae; quod liquet ex eius Epiſtola ad Tancredum, tum Archidiaconum Bononienſem, quem vulgo perhibent compoſuiſſe hunc librum, ſed falſo, vt Autor ex his ipſis litteris demonſtrat, vbi Pontifex dicit: „ſe epiſtolas decretales compilari feciſſe, easdemque illi deſtinandas duxiſſe:" quod et antiquiores ſcriptores comprobant, nihil eiusmodi de Tancredo tradentes. Ceterum optat colligere aliquem omnes Epiſtolas Honorii, in libris hinc inde diſperſas, in vnum Corpus, et ſimul indicat vnde peti poſſint, §. 22. 23. Collectionis illius autoritas non diuturna fuit, labefactante illam quae mox ſecuta eſt Gregoriana; quod effecit vt parum ſedulo deſcriberetur nec in multorum manibus verſaretur. Inde factum eſt, vt e recentioribus multi illam ignorarent.

PHI-

PHILOLOGIA THVCYDIDEO - PAVLLINA: vel notatio Figurarum dictionis Paullinae cum Thucydidea comparatae, in vſum exegeſeos ſacrae vulgata a CAROLO LVDOVICO BAVERO, A. M. Lipſienſi, Scholae Euangelicae ad Hirſchbergam Rectore.

Halae Magdeburgicae, 1773. pl. 21. octonis.

Omnes linguae, quanto propiores ſuis originibus, tanto ſibi inuicem ſimiliores: non quod nulla ſit diuerſitas vocum et ſonorum, ſed quod gentes, cum rudes ſint, quae illis vtuntur, et nullis propemodum artibus excultae, non illam curam adhibeant in oratione componenda, quam illae, quarum mores diuturnitate temporis molliores effecti ſunt. Poſita enim feritate, et vita ad humanitatem vocata, ea ipſa elegantia, quae in cultu cernitur, in ſermonem abit: adeoque ſcriptis Homeri, Herodoti, et aliorum, magna cum libris ſacris noſtris ſimilitudo intercedit, nec videtur eſſe quoddam dicendi genus, quod orientale vocant et turgidum, ſtatim in antiquiſſimis Ebraeorum ſcriptis quaerendum; id enim recentioris aeui eſt, neque ad illam vetuſtatem aſſurgit, nec coeli quadam indole et perpetuis caloribus tantum efficitur, vt oratio neſcio quid grande ſonet, et pomparum ferculis ſimilis incedat, cum in Britannis quae nuper prodierunt carmina Celtica Oſſiani, etſi in regione ſcripta ſunt quae etiam nunc partim horrida eſt et triſtis, perpetuoque frigore oppreſſa iacet, tanta diuerſitate coeli, aeris et terrae, quanta maxima eſſe poteſt, nihilo tamen minus tam tumida ſint tamque dithyrambica, vt ſic vel apud Aethiopas poſſint ſcripta videri. Cum Graeca oratio nondum perpolita eſſet ſedulitate Grammaticorum et Sophiſtarum, propior erat rudi illi dicendi generi, quod primum omnium gentium fuit, quo neque Oriens caruit: et cum Thucydides ſcriberet, linguae ratio non tantum ab antiqua illa et rudi ſimplicitate receſſit, quam ſequiori tempore, cum ab eruditis rotundior, concinnior, et elegantior reddita eſſet oratio: quare viſus eſt multis apprime facere ad explicandos Scriptores Noui Teſtamenti, cum illorum dictio mixta ſit, et partim Graeco, partim Hebraico ſermoni affinior. Bonum igitur interpretem

oportet vtramque noſſe, et ab eo genere ſibi temperent, qui non iuſtam harum litterarum notitiam habent, diuturno labore et eximia diligentia partam. Nec tamen promiſcue omnes in eam rem, ſed potiſſimum ii legendi ſunt, quorum dicendi genus proxime accedit ad illud horum ſcriptorum; ſiue ſingula verba ſpectes, quibus aliquis ſenſus exprimitur, ſiue ordinem et modum, quo his inter ſe copulatis efficitur oratio: ad illud Polybius, ad hoc Thucydides facit. Eſt igitur inſignis gratia habenda et dicenda Viro erudito, quod tironibus hoc libello prodeſſe voluit, tum quod eorum ſtudia ad optimam harum litterarum rationem dirigat, tum quod non tam ex vniuerſo opere deligat exempla, quam ex concionibus quas edidit a. 1758. 8vo. ſunt enim parabiliores, librisque ſacris ſimiliores, quod non tam res geſtas narrant, quam ſuadent, hortantur, incitant animos et reprimunt, idque ſine vllis Rhetorum commentis, tenui quadam nec copioſa oratione, locis veluti dicere volentibus indicatis et patefactis. Quo in genere deprehendas virum magnum, ſtrenuum in rebus gerendis, et grauem reipublicae adminiſtrandae autorem, tanta praeclariſſimarum ſententiarum copia refertum, vt cum ſuas opes cumulatim effundit, vix de ſermone cogitet. Figurae quas notauit Vir Eruditus, ſunt Grammaticae, a n. 1. vsque ad n. 10. addito n. 12. Metonymia n. XI. ad Rhetoricam pertinet, non tamen ab autore praetermittenda, quod in ea Thucydidi Paulus eſt ſimillimus: n. XIII. agitur de ſtructura orationis variata et inaequali, manca et imperfecta, turbata, perplexa, diſtracta: cuius capitis tractatio inprimis eſt vtilis. Vltima venit appendix ſingularium quorundam ſignificatuum verborum, qui reuocari ad propoſitas figurarum claſſes poſſe non videbantur. Primus index eſt locorum, qui explicantur hoc libello, ex Epiſtolis Paullinis, ordine digeſtorum, alter eſt locorum Thucydidis eodem modo factus, tertius ſacrorum et profanorum Scriptorum, qui in hoc opuſculo laudantur. Nemo mirari debet, multa loca ex Veteri Teſtamento hic illuſtrari, iam ſupra enim docuimus, Thucydideum dicendi genus, praeſertim in concionibus, proxime accedere ad vetus illud Orientale et Hebraicum. Si quis euol-

uat

Digitized by Google

uat omnia loca Paullina, quibus hic aliquid lucis allatum eſt, nae operae pretium ille faciet; et hortamur verae interpretationis amantes, vt omnia inſpiciant, et ſimul conſiderent, quid hic de illis dictum ſit. Semel autem eſt perlegendus libellus a capite ad calcem, vt ingenium Paulli eiusque dictionis perſpicias, quod et vtile erit ad reliquas Apoſtolorum epiſtolas intelligendas, cum ſaepe ſimili modo loquantur. Iam de quibusdam partibus orationis exempla dabimus, Quomodo actum ſit de Elipſi, vide n. VIII. p. 162. ſqq. de qua vere dicit Autor: ſi qua eſt figura, quae ſubtili iudicio obſeruanda videatur, haec ſane eſt, in qua plerumque, qui aut idonea lectione et vſu non ſubacti, aut temeritate et audacia immo libidine abrepti, quiduis ſupplere vbiuis geſtiunt, dici non poteſt quantas verae interpretationi clades intulerint. Ceterum, ea eſt vel abſoluta ſingulorum verborum, ita vt omiſſa e ſolo contextu ſupplenda ſint, vel relata p. 182. vbi verba, quae poſita ſunt, ſubminiſtrant quae ſuppleantur: his et adiecit A p. 192. enunciationes omiſſas, a quibus quasdam ſepoſuit p. 199. ceterum in duro illo genere, vbi integrae formulae omiſſae ſunt, Thucydides Hebraeis et Paullo non concedit. De verbo multa praeclara habet Autor a p. 71. vsque ad p. 114. vbi inuenias formas et coniugationes inter ſe permutari, velut Actiuum pro Paſſiuo vel Medio, aut contra, poni, Neutra pro Actiuis adhiberi, ſimul modos, perſonas, et tempora inter ſe permutari, vbi tum Paullus tum Thucydides longe recedunt a communi illa forma; illum tamen non tam Graecos, quam Hebraeos ſecutum eſſe, conſtat. Hi enim cum duos habeant Aoriſtos, quibus omne tempus exprimant, (ita tamen iis vtuntur, vt alter ſaepius praeteritam, alter futuram rem referat,) Graeci non item; adeoque temporum permutatio in his quodammodo inſolentior eſt. Verum tamen occurrunt multa eius rei in Thucydide et Paulo exempla et lectu digna eſt eius argumenti tractatio. Pag. 98. notatur, idoneum exemplum occurrere in Thucydide nullum, quod ab illo Participium cum verbo finito permutari doceat id quod Hebraeis et Paulo eſt familiariſſimum, illud autem Infinitiui partes ſubinde ſuſtinere demonſtratur p. 99. et 100. Pote-

terit tamen hic de quibuſdam dubium oriri, vt et in Hypallage Participiorum. Imperatiuum Futuri loco apud Thucydidem poni nuſpiam reperit Vir doctus, merus enim eſt Hebraismus; nec in loco Paullino, qui p. 87. laudatur, vlla videtur cauſa ſubeſſe, quae nos cogat Imperatiuum pro Futuro poſitum habere, commode enim dici poteſt Gal. VI. 2. „et ſic legi Chriſti conuenienter agite.“ Forte cum omitteret idem ſenſit Glaſſius de Metonymia p. 224. Quaedam poterunt nimis argute et ſubtiliter tradita videri, nec rem aliter niſi vſu diſcendam eſſe; veluti quod illud Hebraeae et Graecae linguae verbum, quod proprie rem cognoſcere notat, Veteris et Noui Teſtamenti Scriptoribus interdum illam probare et amare ſignificet: multis inquam ſatius videbitur vſu haec addiſcere, nec aliorum commenta ſequi. At iis non prorſus inutilis opera nauatur, qui linguam penitius perſpicere laborant; non raro enim fit, vt appareat diuerſas verborum ſignificationes, veluti in vna aliqua prima, coaleſcere. Nos vehementer probamus eam rationem; modo cautio adhibeatur, ne praeter rem argutari videamur, et pariter abhorremus a ſtultitia eorum, qui e vili quodam lexico latino Graecorum et Hebraicorum verborum notiones petunt.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLXXV.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΙΟΥ ΒΡΑΔΕΩΣ ΤΙΜΩΡΟΥΜΕΝΩΝ: *PLVTARCHI liber de ſera numinis vindicta. Accedit Fragmentum eidem vindicatum ap. Stobaeum. Recenſuit, emendauit, illuſtrauit, DANIEL WYTTENBACH.*

Lugduni Batauorum, apud S. et I. Luchtmans, Academiae Typographos, 1772. ppl. 18. in 8.

Quamquam Plutarchi laudibus nihil eſt celebratius, tamen lectio eius parum colitur. Cauſſa eius rei, vel in mole libri, quam multi reformidant, vel in parabilis et commodae editionis defectu, reperitur. Quod cum ſentiret Cl. *Wyttenbachius*, fructum, quem ipſe ex moralium Plutarchi Operum lectione hauſiſſet, etiam cum aliis communicandum arbitratus, conſilium eius edendi coepit. Faciendum autem putauit, vt Speciminis loco aliquem eius libellum, ſuis curis caſtigatum et illuſtratum, in orbem eruditum emitteret. In qua deliberatione incidit in librum *de*

ſera numinis vindicta, quem dignum interprete accurato, potiſſimum propter argumenti grauitatem, et nonnullam cum doctrinae chriſtianae placitis conuenientiam, iudicabat. Nam erant amoeniores quoque libri, et qui criticae facultatis oſtentandae largiorem praeberent materiam: quos, non ſuam, ſed Plutarchi et aliorum rem hic agi ratus, omiſit. Ac profecto, quamuis paruus hic libellus, tantam continet rerum declarandarum molem, vt, ſi quis ſententiarum et ratiociniorum fontes in vetere philoſophia exquirat, verborum flores, vnde quique decerpti fuerunt, in ſolo ſuo quemque natali, et poetarum praecipue, Platoniqsue imitatoris eorum, hortis, demonſtret, rerum geſtarum denique memorias in hiſtoriarum auctoribus indaget, iudicet, et ſuis quasque attribuat aetatibus, grandes et operoſos conficere commentarios poſſit, et plurimum ſibi negotii eſſe ſentiat. Praeſtitit hoc cl Wyttenbachius, cuius luculentae in libellum hunc obſeruationes, exactam veteris philoſophiae ſcientiam, accuratam rei criticae et hiſtoriae antiquae cognitionem, demonſtrant, et quam pleniſſimi bonae frugis, rebusque ad omnem doctrinam pertinentibus refertiſſimi ſint Plutarchi, potiſſimum qui moralibus adnumerantur, libelli, declarant, quantaque cum laude ſua, et lectorum vtilitate, cetera quoque huius generis ſcripta, ſi eamdem curam iis impendere velit, illuſtrare poſſit, fidem faciunt. A longo inde tempore Plutarchi ſcriptis diligentiſſime legendis et peruoluendis, eam cum iſtius auctoris et ſentiendi et dicendi conſuetudine familiaritatem contraxerat, vt ad remotiora quaeque penetrare, et interiora perſpicere ei liceret; quodque ab editore maxime requiritur, vt auctoris ex ſe ipſo intelligendi et interpretandi artem teneret. Interea adhibuit varias lectiones Codicis Harleiani, a V C. I. M. Haſſencampio ſibi miſſas: conſuluit Cel. quondam Reiskii noſtri animaduerſiones, quibus capita hiſtorica perſequitur, et criticam ſpectantia de more tractat; in quibus vel

Digitized by Google

vel ſollertiam in emaculandis libelli deprauatis, vel doctrinam in adferendis, quae ad rerum geſtarum fidem pertinent, vel denique conſenſum et conuenientiam cum ſua in iisdem locis explicandis et illuſtrandis emendandisque ratione, non inuitus ſe deprehendiſſe fatetur. Hunc nimirum etiam plerumque ſequitur. Poſtea cum in Bataulam, tutam et pacatam, et aptam litteris colendis terram, et in ea Leidam, ſedem et domicilium Graecarum Latinarumque Muſarum, delatus eſſet, inque virorum hoc in genere praeſtantiſſimorum, Valkenarii atque Ruhnkenii, diſciplinam et amicitiam perueniſſet, noua ſe obtulerunt ornandi Plutarchi ſubſidia. Etenim his adiuuantibus eius conatus, doctiſſ. Wyttenbachius ex Voſſianis libris inſtructiſſimae bibliothecae Leidenſis plerosque nactus eſt: in his Cod. MS. quem Voſſianum nominat, Seculi vt videtur XV. duobus voluminibus in forma quarta, pleraque tenentem Plutarchi moralia. Hunc eumdem eſſe cenſet cum eo, cuius Variae lectiones ad calcem editionis Francofurtanae et Pariſinae, admodum tamen negligenter, adiectae ſunt; quippe cuius, cum tamen nec paucas, nec contemnendas praebeat, nullae ad hunc libellum notatae reperiantur. Tum etiam habuit collectionem A. Schotti Antwerp. hoc eſt librum continentem in omnes morales libellos ex duobus codicibus excerptas varias lectiones. Habuit denique eam lectionis varietatem, quam ignotus aliquis ad editionis Aldinae margines adleuit. Quas e codice, non e coniectura ductas oportet eſſe ideo, quia inter bonas etiam vitioſiſſimae lectiones inſunt.

Opus ipſum, animaduerſionum genere et copia vberrimum eſt; quam quidem vbertatem obſtaculo et impedimento futuram reliquis Plutarchi libellis edendis, iure putabat quondam Reiskius, cuius de hac opera iudicium elegans et honorificum exſtat in praefatione ad Editionem

Lipſienſem Plutarchi p. 31. his verbis: „Nuper admodum „Wyttenbachius, V. C. Bernas, apud Amſtelodamenſes bo- „narum literarum Profeſſor, adoleſcens egregie doctus, „edendo libello de ſera numinis vindicta, publice profeſſus „eſt, conſilium ſe cepiſſe totum ſyntagma disputatiuncularum „Plutarchearum, curis ſuis expolitum, edendi. Quod conſili- „um ipſi cum congratulor illudque ſpecimen exquiſita re- „fertum aio literatura, tum rurſus vereor, ne illa ipſa vber- „tas coepto ſit obſtaculo futura. Neque enim editori ipſi „facile ſit totum Plutarchum hac veluti rerum bonarum „prodigentia obruere, neque lectorum patientia eam ferat. „Et quantam, quam enormem ad molem exceſſurus ſit Plu- „tarchus ita paſtus? qui foruli eum capient?"

In textis autem, quamuis alioqui ſatis emendatis, re manſit quaedam labes p. 20. nempe *ὑπὸ ὁμιλίας φαύλης φθειρόμενον*, pro *ὑπὸ τροφῆς καὶ ὁμιλίας φ. φθ.* vbi, *τρυφῆς*, quod in variis lectionibus eſt, an praeferat Cl. editor, non ſatis apparet. A coniecturis et lectionibus librorum in texta Plutarchi recipiendis Criticorum religione impeditus, niſi in deprauationibus perſpicuis et manifeſtis, (v. c. p. 91. *ἄλλῃ δὲ ἄλλῃ* pro *ἄ. δ. ἄλλη*, p. 95. *ἀσθενείᾳ* pro *ἀσθενεία*,) fere abſtinuit, ſatis habens, eas Graecae orationi ſubieciſſe, et in animaduerſionibus, quae praeferenda putaret, oſtendiſſe. Latinam Interpretationem retinuit, quae autem mutanda viderentur, in iisdem notis admonuit. Eorum, quae ibi dicta ſunt, pauca quaedam in gratiam Lectorum exempla dedimus, noſtra breuiter, partim in confirmandis, partim in refellendis, adiuncta ſententia. Sic enim p. 2. verba: *Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ εἰ βαλών, εἶπεν, ἀπηλλάγη, καλῶς εἶχε περιορᾶν τὸ βέλος ἐγκείμενον*, longam pepererunt obſeruationem, qua doceretur optimorum Scriptorum conſuetudine, id quod ſiue acute, ſiue acerbe in aliquem dictum eſt, tanquam *telum* dici *miſſum eſſe*. In qua non erant ſilentio premenda Burmani

ni ad Quintil. Inſt. Or. XI, 2. Doruillii Obſeruatt. Miſcell. Vol. II Tom. II. p. 186. et Cortii ad Salluſt. Iug. 11. hac de forma, eorumque quae ab iis laudantur obſeruata. Ibidem cum docetur, *αἱρεῖν τινὰ*, *αἱρεῖν τὰς ῥήτορας*, eſſe idem quod *νικᾷν*, *vincere*, metaphora a curſoribus petita, laudato Ariſtide T. II. p. 207. Platone Apol. Soc. c. 29. (add. c. 16.) ſuccurrebat, hinc eſſe intelligenda iſta Alexandrinorum Interpretum Iobi V, 13. *ὁ καταλαμβάνων σοφὰς ἐν τῇ φρονήσει αὐτῶν*, et illud d. Paulli 1 Cor. III, 19. *ὁ δρασσόμενος τὰς σοφὰς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν.* Pag. 6. pro *ἰδὲ παιδῶν παισὶν ἰδῆν ὑπῆρξε τῶν ἀποσφαγέντων ἐκείνων*, e marg. Ald. praefertur *ἐπιδεῖν*, tanquam exquiſitius, et in rebus grauioribus, *ἐπὶ συμφορᾶς*, vt Thomas Mag. p. 335. ait, vſitatum. Pag. 6. Euripidis, e deperdita quadam fabula petiti, de tarditate vindictae, verſus, poſt Valkenarii prolata Diatrib. in Fragm. Eurip. p. 186. aliis Scriptorum locis illuſtrantur, in quibus *ἀπαντᾷν*, *ὁμαρτεῖν*, *μάρπτειν*, *ἕπεσθαι*, de vltione et poena dicitur, in his Philonis 1. de vit. Moſ. p. 618. A. *ἡ κόλασις ἑπομένη κατ᾽ ἴχνος, μελλόντων μὲν ἐβράδυνε, πρὸς δὲ ἀδικήματα θέοντας ἐπιδραμοῦσα κατελάμβανε.* Addiderimus iſta Paulli 1 Tim. V, 24. *τινῶν ἀνθρώπων αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι, προάγουσαι εἰς κρίσιν· τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν.* In obviis autem locutionibus, et cuiuis ingenio promtis, qui imitationem vrgeat, fruſtra laboret. Quare veremur vt Chryſoſtomus, cum dixit: *τῷ θυμῷ ζέοντες οὐ συνεῖδον ὅσον ἰδεῖν ἐχρῆν*, imitatus ſit Euripidis in Phoeniſſ. 720. verba: — *μῶν νεάζων οὐχ ὁρᾷς ἃ χρή σ᾽ ὁρᾷν*, vt ſcribit V. C. in Animaduerſ. p. 34. — Dum p. 46 pro *φαῦλος* corrigendum cenſet *φιλάργυρος*, exquiſitius in communius vocabulum cur mutaretur, non erat. Nam quamquam de auaris ſermo eſt, tamen auari ipſi ſunt *φαῦλοι*. Pag. 69. *τὸ ὀνομαζόμενον ξένον*, vt exquiſitius quam *τὸ ὄνομα ξένον*, ferri poſſe putemus. Ad p. 84. eleganter obſeruatur diſcrimen inter *ἄμεινον* vel *βέλτιον βιοῦν*, et *βέλτιον πράττειν*; ac hoc quidem

 nun-

nunquam de animi virtute, ſemper de fortunae proſperitate dici, illud ad vtramque felicitatem referri. Qui autem p. 105. laudatur Callimachi locus in Iov. vſ. 13. cum Scholiaſte et nota Cel. Erneſti, pro vetere opinione vulgi, viui ſi vmbram non iacerent, diuinam poenam eſſe, vitioſus eſt, nec de ea illic vsquam meminimus agi. Tum p. 93. inter *καταφχνῆ γυμνὸν* inſeritur *καί*. At hoc ipſum imiſſum indicare videbatur, *καταφχνῆ* eſſe gloſſema vocis *γυμνὸν*, ac tollendum prorſus. Nec fere aliquid additum reperitur, cum *γυμνὸς* ſignificat *ſine corpore*, cf. Luciani locus Ver. Hiſt. II. p. 111. laudatus p. 100. et Marklandus ad Max. Tyr. diſſ. XIII, 5. Caeterum, quod ſimul editum et notulis inſtructum eſt de eodem argumento fragmentum e Stobaeo, Serm. CXIX, adhuc Themiſtio attributum, idoneis de cauſſis Plutarcho vindicatur, cum praeſertim non continua oratione, ſed dialogi more ſcriptum ſit.

CHRISTOPHORI SAXII ONOMASTICON LITErarium, ſiue Nomenclator hiſtorico-criticus praeſtantiſſimorum omnis aetatis, populi, artiumque formulae Scriptorum, item Monumentorum maxime illuſtrium, ab orbe condito vsque ad ſaeculi, quod viuimus, tempora digeſtus, et veriſimilibus, quantum fieri potuit, annorum notis accommodatus.

PARS SECVNDA.

Traiecti ad Rhenum, apud Gisb. Tiem. à Paddenburg, Abrah. à Paddenburg, et Ioh. van Schoonhoven, et Soc. MDCCLXXVII. 659. pagg. in 8.

Quas laudes primae egregii huius Operis parti haud ita pridem merito tribuimus, easdem ſibi et altera ſummo

mo iure vindicat, ſiue iuſtum ordinem, ſiue diligentiam et curam, ſiue rerum denique delectum ſpectes; vt adeo Cel. SAXIVS, *altera* Onomaſtici ſui parte edita, non minorem quam prima, ab hiſtoriae literariae ſtudioſis gratiam iniiſſe cenſendus ſit. Neque dubium eſt, quin et magnum eius cum in omni liberaliori diſciplina, tum in hiſtoria literaria nomen, et grata rerum varietas, tamque accurata earum tractatio, vtiliſſimum hunc librum omnibus abunde commendent. Nos quidem in praeſtantiſſimi huius libri parte ſecunda, eodem modo, quo in prima recenſenda verſabimur, ita nempe, vt primum potiora quaedam, pro more noſtro, delibantes, bona huius veluti theſauri literarii cum lectoribus noſtris communicare ſtudeamus; deinde vero animaduerſiones quasdam ſubiiciamus, quibus nos minime de laude libri, auctorisque celeberrimi, noſtrisque laudibus maioris, aliquid detrahere, ſed tantum ad augendum hunc librum aliquid conferre voluiſſe, et Auctorem ipſum, et lectores noſtros cogitare velimus. Inſtituti ratio eadem fere eſt, quam partis *primae* in Actis noſtris deſcripſimus. Scilicet, aperit haec *ſecunda* pars, (vt in peculiari quodam huic parti praefixo titulo eſt,) *fontes* omnium artium *ſecundarios*, hoc eſt, *medii* duntaxat *aeui ſcriptores*, praecipue *Graecos* et *Latinos*, ab interitu principatus Romanorum in *Occidente*, vsque ad finem ſaeculi poſt C. N. XVti, ſive annum Aerae Chriſt. MCCCCXCVIIII. Ex his vero optimi quique tantum, quorum in hiſtoria literaria aliqua notio eſt, percenſentur, vbique non ſolum appoſitis ſcholiis, in quibus fontes e quibus cupientes plura haurire poſſint, indicantur, ut ſunt *Fabricii Bibliothecae*, *Hambergeri Narrationes idoneae*, *Catalogus Bibliothecae Bünauianae*, et ſi qui ſunt alii: ſed etiam Virorum doctorum Animaduerſionibus, in Obſeruationum libris paſſim obuiis, et optimis ac recentiſſimis diſſertationibus et commentationibus, quibus argumentum hoc illuſtretur, additis. Diaria quoque lite-

ra-

Digitized by Google

raria, in quibus librorum recenſus aguntur, primaria, vt ſunt *Acta noſtra, Acta Klotzii literaria*, et alia, numquam laudare neglexit. Definiendis vitae cuiusque annis maximam ſane diligentiam atque ſtudium impendit Cel. SAXIVS, vt ea ex parte opus hoc reliquis fere omnibus palmam praeripere, aut certe valde dubiam facere ſit cenſendum. Eodem modo, quo parte *prima*, addita ſunt ſubinde anecdota quaedam literaria, ac diſſertatiunculae, ex interiori atque haud vulgari hoc in ſtudiorum genere ſcientia depromptae, quae lectionem libri valde iucundam faciunt. Sic, vt his vtamur, p. 24. de aetate Gloſſariorum, ſeu Graecorum, ſeu Latinorum, veriſſimam appoſuit obſeruationem, occaſione *Gloſſarii Graeco-Latini*, quod *Fl. Philoxeno* vulgo tribuunt de quo tamen Clar. SAXIVS valde dubitat; iſtam ipſam legere vtile erit. De *Corpore Iuris Iuſtinianei*, (p. 28—32.) multa cognitu digniſſima attulit. P. 33. ſqq. agit de *Aetio*, Amideno, Medico, quem circa annum Aer. Chr. 530. vixiſſe cenſet, neque confundendum eſſe ait cum eiusdem nominis haeretico, *Eunomii* magiſtro: ſubiuncta editionum eius, cum promiſſarum, tum inſtitutarum, notitia. De Auctore *Topographiae Chriſtianae*, (p. 43.) qui vulgo *Cosmas* Ἰνδικοπλεύστης vocatur; vbi etiam tetigit liticulam illam, an idem *Cosmas* Farraginis Hiſtorico-Chronologicae, quae mox vulgari olim *Chronici Alexandrini*, mox *Paſchalis*, mox veriori nomine *Conſtantinopolitani* venit, auctor fuerit, libroſque, vbi plura in eam rem legi poſſunt, laudauit. Hymnum *Venantii Fortunati*, quem quidam viri docti ἀνέκδοτον eſſe crediderunt, monet p. 55. dudum in variis eius editionibus eſſe lectum, ſed alio verſuum ordine, laudato eam in rem Cel. olim *Weſſelingio*, in Epiſtola ad *Venemam*: et pag. ſequ. eum apud *Aubertinum* quemdam, Pariſiis a *Nic. Heinſio* auctiorem, quam vulgo legatur, in membrana antiquiſſima eſſe viſum, referente *Petr. Burmanno* minore, editore *Aduerſariorum Heinſianorum*,

Digitized by Google

rum, in eius vita. De *Flacco Alcwino*, vel *Alcuino*, (p. 88.—90.) multa ad legendum haud inutilia attulit: vbi tamen, vt hoc in tranſitu moneamus, addendum eſt, editionem operum eius, cuius ſpem feciſſe *Frobenium Forſterum* monere non neglexit, hoc an. 1778. 2 Vol. in Fol. Ratisbonae prodiiſſe. De *Carolo Magno* (p. 94—98.) vberius egit, addita p. 96. digreſſione, in qua de ſenſu loci *Eginhardiani* in vita eius c. 25. *Tentabat et ſcribere etc.* disputat, variasque Virorum doctorum ſuper eo opiniones affert. *Eginhardum* vero ipſum, (p. 101. ſq.) perpetuum et ineptum ſaepe *Suetonii* imitatorem fuiſſe, ex comparatione cap. eius 22. cum *Sueton. Caeſ.* 45. et *Aug.* 79. planiſſime apparere ait. Quae de *Baſilio I. Macedone*, Imperatore Conſtantinopolitano, (p. 125. ſqq.) et de *Baſilicis*, docte et eleganter diſputauit, neminem facile legiſſe poenitebit. P. 136. de *Geographo*, ſiue, vt vulgo dicitur, *Anonymo Rauennate*, pretioque ei ſtatuendo. De *Conſtantino Cephala*, (p. 137—141.) et de Collectionibus Epigrammatum Graecorum, quas *Anthologias* vocant, diſputatiunculam, cum ea, quae recenſui Ill. *Brunckii* Analectorum Veterum Poetarum Graecorum in Biblioth. Critic. Amſtelod. P. II. Sect. II a. p. 20—25. praemiſſa eſt, et in qua ipſius Anthologiae fata ac viciſſitudines ab eius origine breuiter repetita ſunt, contendere, vtiliſſimum erit. In *Conſtantino VII. Porphyrogeneta* (p. 142—44.) liticula quaedam inter SAXIVM et REISKIVM, VV. CC. commemorata eſt. In *Ioſepho Geneſio* (p. 149. ſq.) multa futuro eius editori profutura attulit: v. c. *Steph. Berglerum* eius olim editionem inſtituiſſe; *Venetam* libri editionem vitioſiſſime eſſe deſcriptam, et quae ſunt reliqua. P. 154—56. de *Suida* diligentiſſime egit, vbi tamen non cognitam habuiſſe videtur *Toupii*, cuius emendationes ad Suidam, et earum Auctarium ſiue Appendiculam, laudauit, *Epiſtolam criticam ad celeberrimum Virum*, *Gulielmum*, *Epiſcopum Gloceſtrienſem*, *Londini*

 MDCCLXVII.

MDCCLXVII. 8. mai. in qua, ſpicilegio inſtituto, quaedam in Emendationibus ad Suidam partim retractauit, partim noua adiecit. Monendum quoque, noſtra quidem ſententia, fuiſſet, optimum *Suidae* Cod. MS. eſſe *Leidenſem*, teſte *Valckenario* in Diatrib. in Euripid. Fragm. p. 169. C. *Etymologici*, vt vulgo dicitur *Magni*, auctorem (p. 159—63.) incertum eſſe, circa annum 990. aer. Chr. vixiſſe, certe *Suida* recentiorem ſibi videri, ait: *Demarchum* vero, vt quidam opinati ſint, eſſe non poſſe. Docet quoque, quod harum rerum amatoribus haud iniucundum erit, qui factum ſit, vt Muſei quoque *Rheno-Traiectini* ſcriniis continerentur tabulae Mſcptae, quas toties ab *Abreſchio* aliisque laudatas legimus. Quare vero *Pierſonus* (Veriſimill Lib. I. Cap VI. p. 83) optimum *Etymologici* Codicem attineri Bibliotheca Lugduno Batana dicat, nos exputare non poſſumus De *Berengario*, Turonenſi, (p. 172. ſqq.) et *Adelmanno*, ſ. *Almanno*, (p. 174. ſq.) quaedam minus vulgo nota attulit. P. 183. ſq. *Eudociae*, ſ. *Eudoxiae Violarium*, a cel. *d'Anſſe de Villoiſon*, (cuius promiſſam *Longi* Paſtoralium editionem nuperrime prodiiſſe non ſine quadam animi voluptate cognouimus,) vulgatum iri refert. De *Iohanne de Mediolano, inſigni verſificatore ſcholae Salernitanae*, (p. 205. ſq) egit, variasque eruditorum opiniones, quis nominatim per *Anglorum Regem*, in principio illius carminis intelligi debeat, attulit, ſeque ſententiae *Voſſii Conringii*, et aliorum, qui in gratiam Roberti conſcriptos hos verſus putant, propter *Iohannis de Mediolano* aetatem, lubentius, quam *Pagiana*, accedere ait. *Annae Comnenae Alexiados* nouae editionis ſpem a *Io. Conr. Fueslino* ſuſcitatam eſſe monet p 218. Occaſione mentionis *Pandectarum Codicis* (p. 218—32.) factae, de triplici illa quaeſtione, quae de eo inter viros doctos orta eſt, accurate egit. Quae quidem quaeſtiones, quales ſint quum neminem fere his literis vel mediocriter imbutum fugiat, eas ipſas adiicere nolui-

noluimus. Quomodo vero Cel. SAXIVS ad eas reſpondeat, harum rerum cupidi, vtilitatis ſuae cauſa, ipſi legent. P. 251–53. agit de *Euſtathio*, Archiepiſcopo *Theſſalonicenſi*, et p. 253. de eiusdem nominis *Erotico*, vbi tamen SAXIVS, V. S. non recordatus fuiſſe videtur, ſe apud *Weſſelingium* (ad Diodor. Sicul. Tom. II. p. 642.) legiſſe, eum *Eumathium* potius appellandum, et turgidum alioqui ſcriptorem eſſe. P. 260. de *Nicolao Colinio*, eiusque aetate, et de *Chronico Rhythmico-Batavo*, cuius auctor vulgo fertur, quaedam. *Iohannis Sarisberienſis* librum *Nero*, ſ. *de malo Tyrannorum exitu*, inſcriptum, in Bibliothecis, ſeu Gallo-Francicis, ſeu Anglo-Britannicis, ſuperſtitem latere, auctore *Gisb. Cupero*, (p. 263. ſq.) tradit. *Güntheri Ligurino* antiquitatis ſuae fidem illuſtr. Senckenbergium non valde probabiliter derogaſſe, cenſet p. 272. ſq. De *Friderico II. Imperatore* (p. 290. ſqq.) vbi etiam quaedam de ſomnio ſuaui, vt feſtiue vocat, *Io. Harduini*, et de Corpore *Iuris Caeſarei Veteris*, adſperſit. *Thomae* de *Aquino* (ſc. caſtro) vel *Aquinatis*, elogia p. 308. leguntur. *Petri Creſcentii*, ſ. de *Creſcentiis*, libri *commodorum ruralium*, duo codices ſcriptos ſeruari in *Bibliotheca Traiectino-Batava*, tradit p. 328. De *Dante Aligerio*, (vulgo *Alighieri*,) p. 338. *Bullam auream Caroli IV.* deſcripſit p. 373. ſq. *Artis Chalcographicae* initia, vt vulgo facere ſolent, ad ann. aer. Chr. 1440 retulit: ipſe vero vrbium de inuenti huius gloria inter ſe certantium ſtudiis ſe immiſcere non vult: a partibus tamen Ill. olim *Meermanni* ſtat. Nos vero rem omnem clarius nunc edocturum ſperamus *Breitkopfium*, Virum in arte ſua principem, in *Hiſtoria artis typographicae*, cuius Tomum I. prelo iam ſubiectum eſſe certo cognouimus. *Iani*, vel *Iohannis Pannonii* nouam editionem ab Illuſtriſſ. *Samuele* S. R. I. Comite *Teleki*, expectandam eſſe, ex literis eius ad Cel. SAXIVM datis, et hic inſertis, patet (p 455. ſqq). De *Laurentio Bonincrotio* (p. 457. ſqq.) accurate egit, et de errore

rore quodam a *Fabricio* admiſſo, et in editionem Lipſienſem quoque tranſmiſſo, admonuit. Difficultates circa nomen *Pomponii Sabini*, vel *Laeti*, haud intactas reliquit (p. 491. ſq.) ipſe tamen nihil certi decernere audet. P. 523. de *Marco Muſuro*, Cretenſi, eiusque carmine Elegiaco ad *Leonem* X. pontificem. Egit etiam hac parte de Academiis Saeculo XVI. antiquioribus, vt ſunt *Oxonienſis*, *Pariſienſis*, *Pragenſis*, *Florentina*, noſtra, aliaeque, earumque fundatione. In *Supplementorum et Emendationum Analectis*, quae huic parti eodem modo quo primae ſubiecta ſunt, in quibus, quoniam vt Cel. SAXIVS elegantiſſime ait, ex *Publii Syri* ſententia, *diſcipulus eſt prioris poſterior dies*, partim quaedam emendantur, partim nouae obſeruationes adiiciuntur: p. 537 memoratu digniſſima legitur ſuſpicio, *Brachylogum* illum *Iuris Ciuilis*, ab illuſtriſſ. *Senckenbergio* editum, a *Ioanne Apello*, vel *Appello*, qui in Academia Louanienſi iuſſu *Caroli V.* Imperatoris iuris ciuilis Romani litteras docuit, eſſe profectum. Quam quibus argumentis fulciat, harum rerum amantes ipſi legent. Diſcimus etiam ex iis, (p. 549.) *Ioannem Georgium Graeuium*, conſilium olim cepiſſe edendorum *Gloſſariorum Iſidori Manuſcriptorum, cum faſciculo veterum aliorum ſcriptorum vtriusque linguae ἀνεκδότων*. P. 561. egit de *Philemone*, Grammatico Graeco, *Lexici Technologici* auctore a *d'Anſſe de Villoiſon* ad calcem *Apollonii* Lexici Homerici edito. Inſeruit etiam iisdem, vt ſupra p. 429 promiſerat, *Bartholomaei Facii Differentias*, religioſiſſime e *Meermanniano* exemplari deſcriptas, a p. 576–589. Denique de auctore *Vocabulorum Gemmae* ſ. *Gemmulae*, quae nihil aliud niſi Lexicon Latino Batauum eſt, quaedam addidit p. 593–596. Ne vero quis his Analectis, magnae ſane vtilitatis, moleſtiam ſibi creari conqueri poſſit, cautum eſt *Indice Elementario* a p. 598––657. adiiciendo, cuius ope, (ipſius Auctoris verbis vti liceat,) quicquid a priſtina ſede diuulſum videri poſſit, ad domum

velut

velut ſuam commode reuocabitur. Claudunt Opus a p. 657. vsque ad finem *Elogia Theologorum et Philoſophorum Scholaſticorum*, *item Gloſſatorum Iuris:* quod v. c. *Thomas Aquinas* appellatus fuit Doctor *Angelicus*, *Nic. de Lyra* Doctor *planus*, *Bartolus Speculum* et Lucerna Iuris ciuilis; alii aliter. Sed non patitur argumenti noſtri breuitas, pluribus exponere de libro, in quo tot tantaque bona conſpicua effulgent. Haec vero deſcripſimus, vt et luculentior fieret omnis diſpoſitionis ratio, et perſpiciatur, quam accommodata ſint omnia ad hiſtoriam literariam: hoc enim praecipuum erat, quod ſibi propoſuerat Cel. Auctor. Supereſt, vt quas ſupra promiſimus, animaduerſiones breuiter ſubiiciamus. Ad *Nonnum* (p. 10.) addenda fuiſſet editio Paraphraſeos Iohanneae *Franc. Nanſii*, quae Lugd. Bat. 1598. 8. prodiit, et cum bonitate, tum raritate ſua notanda eſt; et adiiciendum de pretio ei ſtatuendo iudicium Cel. *Hemſterhuſii* ad *Lucian.* Tom. I. p. 279. b. quod inſtar omnium eſſe debet. Verba eius in hanc rem haec ſunt: *Iſtius homi-* „*nis* (Nonni) auctoritati nihil tributum volo, qui non tan„tum voces inauditas et ridiculas ipſe fingit, ac componit, „ſed veteres etiam perlicenter in aliam longe, quam olim „fuerint vſurpatae, ſignificandi ditionem migrare iubet." De *Dionyſiacis* conf. Pierſon. Veriſimill. Lib I. Cap. IV. p. 52. med. Ad *Coluthum*, *Tryphiodorum*, et *Quintum Calabrum*, (p. 20. ſq.) notetur Ill. *Heyni* iudicium, Exc 1. ad Virgil. Aeneid. II. princ. Tom II p. 224 ſq De *Ioanne Philopono* (p. 39.) non innotuiſſe videtur Cel SAXIO, quamquam a S. V. *Erneſtio* in Biblioth. Theolog laudata, Cl. noſtri *Io. Godofr. Scharfenbergii* Diſſertatio, *de Ioanne Philopono*, *Tritheismi defenſore*, Lipſiae menſe Maio MDCCLXVIII. ad diſceptandum propoſita. Eodem modo quod priori loco fuiſſet ponendum, non obſeruatum eſt, ad *Corpus Iuris Iuſtinianei* (p. 28. ſqq) cl. olim *Freder. Platnerum* nouae editionis *Inſtitutionum Iuſtinianearum* ſpem fe-


Digitized by Google

feciſſe, edito earum ſpecimine, Lipſiae m. Octobr. cIↄIↄccLVIV. defenſo. Ad *Iohannem Stobaeum* (p. 46. 47.) commemorari debuiſſent *Io. Pierſoni* Emendationes in Veriſimill. Lib. I. Cap. XI. a p. 131—140. nec non Codex Florileg eius MS. *Voſſianus* in Biblioth. Leid. *ex optimo deſcriptus, bonitate potius commendabilis, quam antiquitate*, vt vocatur a *Valckenario*, qui eius notitiam dedit, Diatrib. in Euripid. Fragm. p. 198. ſq. Ad *Flav. Creſconium Corippum*, (p. 52.) in quem *Cornelium Arkelium*, Theologum Arminianum, Commentarium MSC. reliquiſſe ſcribit; addenda nunc eſt editio, quae ſtudio *Foggini*, vnius Cuſtodum Biblioth. Vaticanae, Romae 1777. 4. prodiit; qui eum iam antea Appendici Scriptorum Hiſtoriae Byzantinae inſeruerat. Ad *Ioannem Zonaram* (p. 216. ſq.) laudari debet *Chriſtiani Daniel Beckii*, V. doctiſſ. Epiſtola ad Virum Illuſtrem, *Iohannem Gottlob Boehmium*, Hiſtor. Prof. Lipſ. in qua diſſeritur de reſtaurato a Carolo Magno imperio Romano, ad locum Zonarae Annal. L. XV. c. XIII. Lipſiae m. Apr. cIↄIↄccLXXVII. ſcriptam. Deſiderauimus etiam, quod nequaquam fuiſſet omittendum, in *Tzetze* (p. 242.) illuſtrem *Heinium* eius edendi conſilium cepiſſe, et *Mortonum*, V. Cl. in eo edendo quoque occupatum eſſe, vt patet ex Excurſu eius laud. p. 275. Ad *Euſtathium*, *Homeri* et *Dionyſii Periegetae* interpretem, (p. 251. ſq) Supplementum Commentariorum ad verſum 882. ſqq. Periegeſeos Dionyſii, deſcriptum ex Cod. Regio Pariſienſi, Analectorum criticorum in ſcriptores veteres graecos et latinos, a ſe editorum, Faſciculo primo inſeruit *Io. Gottlob Schneider*, vir eximie doctus, (vt a Cel. SAXIO in Analectis huius partis p. 561. vocatur,) a p. 18—30. Denique ad *Guntheri Ligurinum* (p. 273.) addatur *Io. Hild. Withofii* Specimen Emendationum, Duisb. 1755. 4. Has qualescunque animaduerſiones noſtras, ſiue potius obſeruationes, vt humaniſſimus SAXIVS eodem, quo nos dedimus, animo,

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. I.



et humanitate ſibi propria, accipiat, ſummo rogamus opere: qui nihil vehementius optamus, quam vt, qua vſus eſt in his duabus partibus cura, diligentia, induſtria, eadem et tertiam partem, de doctis Saeculorum XVIti, XVIImi, et XVIIIvi trigae hominibus expoſiturum, propediem nobis abſoluat; quod, quo facilius feliciusque fieri poſſit, otium et proſperam valetudinem Viro Summo ex animo precamur.

PROBLEMATA QVAEDAM AD METHODVM maximorum et minimorum ſpectantia: Auctore Archidiacono IOHANNE FRANCISCO de TVSCHIS a FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patricio Romano et Senogallienſi.

Articulus VIII. Tomi I. Eruditorum Diarii, quod Mutinae editur, occaſionem praebuit ſequentia publicandi Problemata, quae ſi communi infinitorum methodo tractarentur, vix ſine ambagibus expediri poſſent. Placuit quoque ſolutiones ex ſimplici Geometria depromptas adiungere, vt videant in ſublimiori Analyſi initiati, non eſſe illam omnino negligendam; aliquando enim euenit, vt illius ope elegantius et facilius quaedam ſoluantur problemata, quae alteri imperuia credas.

PROBLEMA I. Fig. I.

Dato Triangulo B A C punctum D intra eius ambitum inuenire, ex quo ſi ad Angulorum vertices ducantur Lineae D B, D C, D A, illarum aggregatum D B + D C + D A

+ D A ſit minimum. Solutio ope methodi infinitorum

I.

Ex tribus Lineis D B, D C, D A, ſupponamus C D eſſe conſtantem, et ex puncto C radio C D deſcribatur Arcus Circuli F D V, ſumptoque in eo puncto E infinite proximo puncto D, ad illud ducantur rectae C E, B E, A E; per minimi naturam erit D B + D C + D A = E B + E C + E A, ſed per Conſtructionem D C = E C; ideoque D B + D A = E B + E A, deſcriptisque radiis B D, A E Arculis D e, E d, erit D d = E e.

II.

His poſitis, cum in Triangulis rectangulis E e D, E d D ſit latus E D commune, et per Artic. praecedentem latus E e aequale lateri D d, erunt Triang. E e D, E d D ſimilia, et aequalia, ideoque Ang. e E D = Ang. E D d.

III.

Nunc ducatur Tangens D O. Cum ſit Ang. B D O + Ang. E D e = recto, nec non Ang. e E D + Ang. E D e = recto: dempto communi Angulo E D e, erit Ang. B D O = Ang. e E D, hoc eſt, per Articulum praecedentem, Ang. B D O = Ang. E D d, ideoque per Conſtructionem Ang. B D O + Ang. O D C = Ang. E D d + Ang. C D E, id eſt, Ang. B D C = Ang. A D C.

IV. (Fig. II)

Supponamus modo B D eſſe conſtantem, centroque B radio B D deſcribatur Arcus Circuli F D V, ſumptoque puncto E infinite proximo puncto D, ducantur rectae E B, E C, E A, eritque per minimi naturam D B + D C + D A = E B + E C + E A, et per hypotheſin D C + D A = E C

E C + E A, deſcriptisque radiis C D, A E Arculis De, Ed, E e = D d, conſequenter Triangula rectangula D e E, E d D erunt ſimilia, et aequalia, proindeque Ang. E D d = Ang. D E e.

V.

Ducatur tangens D O. Cum ſit Ang O D C + Ang. E D e = recto, ſimulque Ang. D E e + Ang. E D e = recto: dempto communi Ang. E D e, erit Ang. O D C = Ang. D E e, ideſt per Articulum praecedentem Ang. O D C = Ang. E D d, et per conſtructionem Ang. O D C + Ang. B D O = Ang. E D d + Ang. B D E, id eſt Ang. B D C = Ang. B D A, conſequenter per Articulum III. erunt Anguli B D C; A D C; B D A aequales.

Hinc patet, vt Aggregatum rectarum D B, D C, D A ſit minimum, oportere, vt punctum D ita ſit poſitum, vt quisque Angulorum B D C; B D A; A D C ſit aequalis, nempe grad. 120. ergo, vt problema ſit poſſibile, neceſſe eſt, vt in Triangulo B A C quiuis Angulorum minor ſit grad. 120. Q. E I.

Solutio problematis per ſimplicem Geometriam. Sequens praemittatur Lemma:

LEMMA Fig. III.

Si Triangulo aequilatero B C A Circulus B O C F A circumſcribatur, et ex centro D ad Angulos demittantur rectae D B, D C, D A. Dico earum Aggregatum, id eſt, D B + D C + D A eſſe minimum.

Demonſtratio.

Circulo B O C F A Triangulum aequilaterum T R S circumſcribatur, ſumptoque intra Trianguli B C A ambitum quouis alio puncto D, ducantur rectae I B, I C, I A, et ad Trianguli aequilateri T R S latera demittantur normales I N, I M, I F. Conſtat, quod Summa Normalium

lium D B + D C + D A aequatur Summae Normalium I N + I M + I F; ſed haec poſterior Summa minor eſt Aggregato rectarum I B + I C + I A, ergo hoc quoque minor erit Summa rectarum D B + D C + D A Q. E. D.

Sequitur Problematis Solutio (Fig. IV.)

Sit quisque Angulorum Trianguli B C A minor grad. 120. punctumque D intra eius ambitum ſit ita poſitum, vt ductis rectis D B, D C, D A, ſint Anguli B D C; C D A; A D B inter ſe aequales. Dico, quod Summa rectarum D B + D A + D C eſt minima.

Demonſtratio.

Recta D C, ſuppoſita caeteris maiori, tanquam radio deſcribatur Circulus C T V S, productisque ad Peripheriam in punctis T, et S rectis D B, D A, ducantur chordae C T, C S, S T, et ex puncto E rectae E T, E S, E C.

Per Conſtructionem, et Hypotheſin liquet, Triangulum C S T eſſe aequilaterum, ideoque per Lemma cum Summa rectarum D T + D C + D S minor ſit Summa rectarum E T + E C + E S, multo minor erit Aggregato Rectarum (T B + B E + E C + E A + A S), communibus ergo ablatis ſegmentis B T, A S tam ex primo, quam ex poſtremo Aggregato, remanebit Aggregatum D B + D C + D A minus Aggregato E B + E C + E A. Q. E. D.

Conſtructio Problematis.

Hic quoque Lemma credimus praemittendum.

LEMMA (Fig. V.)

Si in Triangulo B A C quisque Angulorum minor fuerit grad. 120 et ſuper latera A B, A C erigantur Triangula aequilatera A G B; A F C, et iungantur Puncta G, et C; F et B, Dico Pri-

Primo: Rectas G C, F B ſecare latera oppoſita intra Puncta A, et B, A, et C.

Secundo: easdem Rectas G C, F B eſſe aequales.

Demonſtratio Primae Partis.

Producatur latus C A in a, et latus C B in b, cum per Hypotheſin Ang. C A B minor ſit grad. 120. eius complementum ad binos rectos, nempe Ang. a A B maior erit grad. 60, ideoque per Conſtructionem maior Ang. G A B, ergo vertex G Triang. A G B cadet intra Angulum a A B. Pariter cum Ang A B C ſit per Hypotheſin minor grad. 120, eius complementum ad binos rectos, id eſt, Ang. A B b maior erit grad. 60, ideoque per conſtructionem maior Ang. G B A; conſequenter vertex G Triang. G B A cadet etiam intra Ang. b B A, ergo recta iungens puncta G, et C ſecabit Latus A B intra puncta A, et B; ſi enim ſecaret latus A B productum vltra punctum A, vel B, ſecaret in primo caſu latus A C in duobus Punctis, et in poſteriori latus B C in duobus Punctis, quod eſt abſurdum.

Simili ratiocinio demonſtrabitur, rectam F B ſecare latus A C intra Puncta A, G. C. Q. E primo D.

Demonſtratio Secundae Partis.

Per Conſtructionem Ang G A B = Ang. F A C, adiectoque vtrinque Ang. B A C erit Ang. G A C = Ang. B A F. Per conſequens, cum in Triangulis G A C, B A F ſint per Conſtructionem circa Angulos aequales G A C, et B A F latera aequalia, hoc eſt, latus G A lateri A B, et latus A C lateri A F, erunt etiam baſes aequales, id eſt G C = F B. Q. E. ſecundo D.

Problematis Conſtructio.

Super latera A B, A C Triang. A B C deſcriptis Trianguli aequilateris A G B, A F C ducantur rectae G C, F B, ſe interſecantes in puncto D. Dico punctum D eſſe quaeſitum.

Demonſtratio.

Per primam Lemmatis Partem, rectae GC, FB ſecabunt latera oppoſita intra puncta A, et B, A, et C, id eſt in M et in N; ideoque punctum Interſectionis D cadet intra Triang. B A C ambitum.

His praemiſſis per ſecundam Lemmatis Partem; cum ſit Triang. G A C ſimile, et aequale Triang. B A F, erit Ang. A G C = Ang. A B F; conſequenter Triangula G M A, B M D erunt aequiangula, et Ang. G A M = Ang. B D M; ideoque ſi circa Triangulum G A B Circulus deſcribatur hic tranſibit per punctum D, ductaque recta A D, erit Ang. A D B Complementum ad binos recti Ang. A G B; ideoque graduum 120.

Simili pacto demonſtrabitur Ang. A D C eſſe graduum 120; per conſequens etiam Ang. B D C erit graduum 120. Q. E. D.

Scholium (Fig. VI.)

Si in Trianguli C B A latere A C ſumatur ſegmentum C F, radioque C F Arcus Circuli F D V deſcribatur, et intra Angulum B C A in illo punctum D quaeratur, a quo, ſi ad Angulos B et A rectae D B D A ducantur, earum Summa, id eſt D B + D A ſit minima. Primae ſolutionis veſtigiis inhaerendo facili negotio inuenietur, quod punctum D tale eſſe debeat, vt ducto radio C D; Anguli

lt B D C, A D C ſint aequales; ſed problematis Conſtructio per Linearem Geometriam haberi nequit, et ad Hyperbolam aequilateram recurrendum. Sumpto enim in latere C B ſegmento $CM = \frac{CF^2}{CB}$, et in latere C A ſegmento $CN = \frac{CF^2}{CA}$, iungantur puncta M, et N, rectaque M N diuiſa per medium in E ducatur recta E X lateri B A parallela, ſi diametris M N, E X (quarum M N ſit transuerſa) deſcribatur Hyperbola aequilatera O M Θ, quae Circulo F D V occurrat in D. Dico punctum D eſſe quaeſitum.

Demonſtratio I.

Ducantur rectae B D, D A, D M, D N, et ex puncto D ordinata T D, quae latus B C ſecet in L.

Per naturam hyperbolae aequilaterae $TD^2 = TN \times NM$, ergo $\frac{TN}{TD} = \frac{TD}{NM}$, et per 6. VI. Triangula T D N, T M D erunt ſimilia, et Ang. D N T = Ang. T D M.

II.

Per Conſtructionem $CM = \frac{CF^2}{CB}$; $CN = \frac{CF^2}{CA}$; ideoque $\frac{CM}{CN} = \frac{CA}{CB}$, et Triang. A C B ſimile erit Triang. N C M; conſequenter Ang. C N M = Ang. C B A = Ang. C X E = Ang. C L D per conſtructionem, et per Artic. I. Ang. C N M + Ang. D N T = Ang. C L D + Ang. T D M = Ang. M L D + Ang. L D M. Hoc eſt Ang. D N C = Ang. D M C.

Digitized by Google

III.

Rurſus, cum ſit $CN = \frac{CF^2}{CA} = \frac{CD^2}{CA}$, erit $\frac{CN}{CD} = \frac{CD}{CA}$, conſequenter Triang. A D C erit ſimile Triang. N D C, et Ang. D N C = Ang. A D C. Similiter cum ſit $CM = \frac{CD^2}{CB}$, erunt Triangula B D C; M D C ſimilia, et Ang. B D C = Ang. D M C = Ang. D N C per Articulum praecedentem, ideoque Ang. B D C = Ang. A D C.

Ductaque per punctum D tangente I D i, ſubductisque vtrinque aequalibus Angulis I D C, i D C, remanebit Ang A D I = Ang. B D i; ideoque, vti notum eſt, Summa rectarum D B + D A erit minima. Q. E. D.

PROBLEMA II. (Fig. VII)

Dato Triangulo B A D intra eius ambitum punctum C inuenire, ex quo, ſi ad Angulos ducantur rectae C A, C B, C D, earundem Quadratorum Summa, id eſt $CA^2 + CB^2 + CD^2$ ſit minima.

Solutio per Analyſin Infinitorum.

Producantur rectae A C, B C, D C, donec ſecent latera oppoſita in punctis a, b, et d; ſitque $CA = x$; $CB = y$; $CD = z$. Per Naturam Minimi erit Diff. $(x^2 + y^2 + z^2) = 0$. Poſita ergo z Conſtante

(1) $x\,dx + y\,dy = 0$.

Poſita deinde y Conſtante

(2)

Digitized by Google

(2) $x\,dx + z\,dz = o.$

Et demum poſita x Conſtante

(3) $y\,dy + z\,dZ = o.$

Ergo per aequationem (1)

(4) $x\,dx = -y\,dy$

Ex (2), et (3) aequatione elicitur

(5) $x\,dx = y\,dy.$

Ergo per aequationem (4) $y\,dy = -y\,dy$, et $2\,y\,dy = o.$

Ideoque Quadratum y^2, id eſt quadratum ſegmenti B C erit quantitas Conſtans.

Pariter per aequationem (4), et (5) erit $2\,x\,dx = o$, et Quadratum x^2, hoc eſt, Quadratum ſegmenti A C erit quantitas Conſtans.

Si iungantur aequationes (2), et (3), profluet $x\,dx + y\,dy + 2\,z\,dz = o$, ſed per aequationem (4) $x\,dx = -y\,dy$, erit ergo $2Z\,dZ = o$, et quadratum z^2, id eſt, quadratum ſegmenti D C erit quantitas conſtans. Punctum ergo C erit Centrum grauitatis Trianguli B A D, nam tunc rectae A a; B b; D d biſar am ſecantes latera oppoſita ſunt datae, et $AC = \frac{2\,Aa}{3}$; $BC = \frac{2\,Bb}{3}$, et $DC = \frac{2\,Dd}{3}$, et per conſequens Summa Quadratorum ($AC^2 + BC^2 + DC^2$) quantitas conſtans. Q. E. D.

So-

Solutio Problematis per ſimplicem Geometriam.

LEMMA Fig. VIII.

Sit recta A B diuiſa in puncto C ita, vt $AC = \frac{CD}{2}$

Dico quod $2AC^2 + CD^2 < 2AD^2 + DB^2$

Demonſtratio.

Quoniam $AD = AC + CD$, et $DB = BC + CD$, erit $2AD^2 + DB^2 = 2AC^2 + BC^2 + 3CD^2 + 4AC \times CD + 2BC \times CD$, ſed cum ſit per Hypotheſin $BC = 2AC$, patet, quod $2BC \times CD = 4AC \times CD$; ergo $2AD^2 + DB^2 = 2AC^2 + BC^2 + 3CD^2$.

Solutio (Fig. IX.)

Sit C Centrum grauitatis Trianguli B A D, à quo ad angulos ductae ſint rectae C A, C B, C D. Dico, earundem Quadratorum Summam, id eſt $CA^2 + CB^2 + CD^2$ exhibere minimum.

Demonſtratio I.

Sumatur intra Trianguli B A D ambitum quoduis aliud Punctum V, et ducantur rectae V B, V A, V D, rectaque A C producatur, donec lateri B D occurrat in a, eritque per proprietatem Centri grauitatis $Ba = aD$. Deinde ex vertice A, et ex punctis C, et V ad baſim demittantur normales A F, C T, V G, vlteriusque ex ipſis punctis C, et V ad perpendicularem A F demittantur normales C M, V S. His peractis erit $CA^2 = AM^2 + CM^2 = AM^2 + TF^2$. Per Conſtructionem $CB^2 + CD^2 = 2Ba^2 + 2Ca^2 = 2Ba^2 + 2aT^2 + 2MF^2$. Iunctis ergo, diſpoſitisque aequationibus $CA^2 + CB^2 + CD^2 = 2Ba^2 + 2aT^2 + TF^2 + 2MF^2 + AM^2$.

II.

II.

Similiter cum ſit $VA^2 = AS^2 + SV^2 = AS^2 + FG^2$, et per Conſtructionem $VB^2 + VD^2 = BG^2 + GD^2 + 2GV^2$, erit $VA^2 + VB^2 + VD^2 = AS^2 + FG^2 + BG^2 + GD^2 + 2GV^2$ ſed per §. II. $BG^2 + GD^2 = 2Ba^2 + 2Ga^2$, et per Conſtructionem $2GV^2 = 2SF^2$. Factis igitur in praecedenti aequatione debitis ſurrogationibus, diſpoſitaque aequatione, erit $VA^2 + VB^2 + VD^2 = 2Ba^2 + 2Ga^2 + FG^2 + 2SF^2 + AS^2$.

III.

Ex praecedentis ergo aequationis comparatione cum altera Articuli I. ſequens orietur proportionalitas

$$\frac{CA^2 + CB^2 + CD^2}{VA^2 + VB^2 + VD^2} = \frac{2Ba^2 + 2aT^2 + TF^2 + 2MF^2 + AM^2}{2Ba^2 + 2Ga^2 + FG^2 + 2SF^2 + AS^2}$$

IV.

Sed per naturam centri grauitatis, cum ſit $aC = \frac{CA}{2}$, erit per Conſtructionem $aT = \frac{TF}{2}$, et $MF = \frac{MA}{2}$; ideoque per Lemma erit $2aT^2 + TF^2 < 2Ga^2 + FG^2$, et $2MF^2 + AM^2 < 2SF^2 + AS^2$.

In praecedenti ergo Analogia, cum ſit ſecundum antecedens minus ſuo conſequenti, erit quoque primum antecedens minus ſuo conſequenti, id eſt, erit Summa Quadratorum ($AC^2 + CB^2 + CD^2$) minor aggregato quadratorum ($VA^2 + VB^2 + VD^2$). Q. E. D.

Corollarium (Fig. VII.)

Cum ſit $A C^2 + C B^2 = 2\, d A^2 + 2\, d C^2$
$C B^2 + C D^2 = 2\, B a^2 + 2\, C a^2$
$C A^2 + C D^2 = 2\, D b^2 + 2\, C b^2$

Erit $A C^2 + C B^2 + C D^2 = (d A^2 + B a^2 + D b^2) + d C^2 + C a^2 + C b^2$; ſed $(d A^2 + B a^2 + D b^2)$ eſt quantitas conſtans, et per Theorema $A C^2 + C B^2 + C D^2$ eſt minimum, ergo Summa Quadratorum $d C^2 + C a^2 + C b^2$ dabit quoque minimum.

Scholium I. (Fig. X.)

I.

Notandum, quod ſi per punctum C grauitatis Centrum Trianguli B A ducantnr rectae M N, R S, P Q parallelae ad latera reſpectiue oppoſita, erunt Triangula M A N, R B S, P D Q minima, quae in Triang. B A D inſcribi poterunt, et quorum baſes tranſeant per punctum intra Trianguli ambitum datum.

II.

Ideoque trapezia M N D B; R A D S; A P Q B erunt maxima, quae abſcindi poſſunt a Triang. B A D.

III.

Si ergo fuerit Triang. B A D aequilaterum, non ſolum aggregatum Quadratorum $C A^2 + C B^2 + C D^2$ dabit minimum, ſed quoque erit minima Summa rectarum $C A + C B + C D$.

Scholium II. (Fig. XII.)

Si ſumpto in latere A B quouis puncto F, radio A F de-

deſcribatur arcus Circuli F C R, et in illo intra angulum B A D punctum C quaeratur, a quo ductis rectis C B, C D, Summa Quadratorum, quae ex illis fiet, ſit minima. Problema facillime ſoluetur.

Ex vertice A demittatur ad baſin recta A a, quae illam biſecet in a, occurratque Circulo in puncto D. Dico factum.

Sumpto enim in Peripheria quouis alio puncto V, ducantur rectae

V B, V a, V D, et ducta ſit tangens O C O, erit

$$C B^2 + C D^2 = 2 B a^2 + 2 C a^2$$

$$V B^2 + V D^2 = 2 B a^2 + 2 V a^2$$

ſed ob angulum rectum a C O, $2 B a^2 + 2 C a^2$ minor eſt $2 B a^2 + 2 V a^2$; ergo etiam $C B^2 + C D^2$ minor erit $V B^2 + V D^2$.

PROBLEMA III. (Fig. XIII.)

Intra ambitum quadrilateri F A D E punctum C inuenire, a quo ductis ad Angulos rectis C F, C A, C D, C E, earum aggregatum, nempe (C F + C E + C D + C A) ſit minimum.

Solutio per Infinitorum Methodum.

I.

Fingamus punctum C eſſe quaeſitum. Diuidatur angulus F C E per rectam C I aequaliter, deinde per punctum C ducatur ad rectam C I normalis O C c, eritque per conſtructionem

Ang. O C F = Ang. c C E.

II.

Hoc facto, ſumptoque in normali O C O puncto c in-

Digitized by Google

infinite proximo puncto C, ducantur rectae A c, D c, eritque per minimi naturam Diff. (C F + C A + C D + C E) = o; ideoque ſuppoſito, quod (C F + C E) ſit quantitas conſtans, erit Diff. (C A + C D) = o, et deſcriptis radiis A C, et D c arcubus C b, c B, erit C B = c b; conſequenter Triangula rectangula C b c, C B c, cum ſit vlterius latus C c commune, erunt ſimilia, et aequalia; ideoque Ang. B C c = Ang. b c C.

III.

Ang A C O + Ang. b C c = recto

Ang b C c + Ang. b c C = recto

Ergo dempto communi Ang. b C c; Ang. A C O = Ang. b c C, et per Articulum praecedentem Ang. A C O = Ang. B C c; conſequenter per Artic. I. Ang. O C F + Ang. A C O = Ang. c C E + Ang. b c C, id eſt

Ang. A C F = Ang. D C E.

IV.

Non ſecus, ſuppoſitis conſtantibus (A C + C F), vel (D C + C E), demonſtrabitur, quod

Ang. A C D = Ang. F C E.

IV.

Proinde, cum ſit

$$\left\{\begin{array}{l}\text{Ang. A C F + Ang. A C D}\\ \text{Ang. D C E + Ang. F C E}\end{array}\right. = \text{quatuor rectis,}$$

Erit etiam per Articulum praecedentem

2 (Ang. A C F + Ang. F C E) = 4 rectis

2 (Ang. D C E + Ang. F C E) = 4 rectis.

Hoc

Hoc eſt $\begin{cases} \text{Ang. } ACF + \text{Ang. } FCE = 2 \text{ rectis} \\ \text{Ang. } DCE + \text{Ang. } FCE = 2 \text{ rectis.} \end{cases}$

Ergo rectae A C, CE, nec non D C, C F erunt in directum inter ſe. Ideoque punctum quaeſitum C erit punctum interſectionis diagonalium A E, D F.

Solutio per ſimplicem Geometriam. (Fig. XIV.)

In quadrilatero A F E D ducantur diagonales A E, F D ſe in puncto C interſecantes. Punctum C erit quaeſitum.

Demonſtratio.

Sumpto intra figurae ambitum quouis alio puncto c, ducantur ad angulos rectae c A, c F, c E, c D. Notum eſt, quod $FD\ (FC + CD) < Fc + cD$; ſimiliter $AE\ (AC + CE) < cA + cE$, ergo etiam
$FD\ (FC + CD) + AE\ (AC + CE) \quad Fc + cD + cA + cE$. Q. E. D.

Scholium. (Fig. XV.)

I.

Si quadrilaterum F A D E eſſet quadratum, foret punctum C Figurae centrum, et ſolui poſſet problema, vel potius demonſtrari Theorema, etiam illa methodo, qua vſi ſumus in ſecunda problematis I. ſolutione.

Nam quadrato F A D E circumſcripto quadrato f a d e, et ſumpto intra quadrati ambitum quouis alio puncto c, ſi ad latera quadrati f a d e demittantur normales c M, c Q, c N, c F, et ductae fuerint rectae c D, c A, c E, c F: in comperto eſt, quod $CD + CA + CF + CE = cM + cQ + cN + cF$.

 Sed

Sed Pars ſecunda huiusce aequationis minor eſt aggregato rectarum c D + c A + c E + c F, ergo hoc Pars prima, id eſt C D + C A + C F + C E erit etiam minor.

II. (Fig. XVI.

Me non monente patet, quod praecedentis Articuli demonſtratio locum habeat in omni polygono regulari, et ſequens oritur

Theorema.

Si ex polygoni regularis Centro rectae ad angulos ducantur, illarum Summa dabit *minimum*.

Ex. gr. ſit pentagonum regulare A B F G D, et ſit punctum C Figurae Centrum, ſi ſumpto intra illius ambitum quouis alio puncto c, ex punctis C et c ducantur ad angulos rectae C A, C B, C F, C G, C D, c A, c B, c F, c G, c D. Summa rectarum (C A + C B + C F + C G + C D) erit *minima*.

PROBLEMA IV. (Fig. XVII.)

In Triangulo oxygono B A D inſcribere Triangulum C F S, cuius laterum Summa ſit minima.

Monitum.

Solutio indicabit problematis limitationem.

LEMMA (Fig. XVIII.)

Ex angulis B et D Trianguli oxygoni B A D demittantur ad latera oppoſita normales B S, D C, ſe interſecantes in L; ſi puncta A et L iungantur, et recta A L producatur, donec occurrat lateri B D in F, erit quoque recta A F normalis ad B D.

Nam ſi diametris B D, et A L, Circuli deſcribantur, hi tranſibunt per puncta C et S, ductaque recta C S erit: Ang.

Digitized by Google

Ang. S B D (L B F) = Ang. S C D (S C L) = Ang. S A L.

Ergo, cum in Triangulis L B F; L A S ſit Ang. L B F = Ang. S A L, et anguli ad verticem L aequales, erit Ang. L F B = Ang. L S A; ideoque per conſtructionem erit Ang. L F B aequalis recto.

Solutio Problematis. (Fig. XVII.)

Notum ſupponimus, vt laterum Summa (C F + F S + S C) ſit minima, oportere, vt ſit Ang. C F B = Ang. S F D; Ang. F S D = Ang. C S A; et Ang. S C A = Ang. F C B.

His praemiſſis, ex punctis B et D demittantur ad latera oppoſita normales B S, D C, ſe interſecantes in puncto L, iunctisque punctis A, et L, protrahatur recta A L, donec occurrat baſi B D in L. Hoc facto, per puncta C S F deſcribatur Triangulum C F S. Dico, Summam laterum (C F + F S + S C) eſſe *minimam*.

Demonſtratio

I.

Quoniam per hypotheſin Anguli L S A, L C A ſunt recti, Circulus Diametro A L deſcriptus tranſibit per puncta C, et S.

Similiter, cum per Lemma ſint Anguli L S D, L F D recti, Circulus Diametro D L deſcriptus continget puncta S, et F.

Pariter Circulus radio L B deſcriptus tranſibit per puncta C, et B, cum per hypotheſin, et Lemma, Anguli L C B, L F B ſint recti.

Cum ſint ergo Triangula rectangula F L D, C L A ſimilia, erit Ang. F D L, ſiue Ang. L S F = Ang. C A L = Ang. C S L, II.

II.

Pariter per Triangula rectangula B L F, A L S ſimilia, erit Ang. L A S = Ang. L B F; ſiue Ang. L C S = Ang. L C F.

III.

Pari ratione per Triangula ſimilia S L D, C L B, erit Ang. L F S = L F C.

IV.

Conſequenter, cum per Lemma ſit Ang AFD, Ang. AFD et per Articulum praecedentem Ang. L F C = Ang. L F S, erit Ang. A F B — Ang. L C B = Ang. A FD — Ang. L F S; id eſt Ang. C F B = Ang. S F B, ideoque erit C F + S F *minimum*.

Per hypotheſin Ang. D C B = Ang. D C A, et per Articulum II. Ang. L C F = Ang. L C S, conſequenter Ang. D C B — Ang. L C F = Ang. D C A — Ang. L CS, ſiue Ang. F C B = Ang. S C A; ideoque C F + C S *minimum*.

Similiter per hypotheſin Ang. D S B = Ang. A S B, et per Articulum I. Ang. L S F = Ang. L S C, ideoque Ang. D S B — Ang. L S F = Ang. A S B — Ang. L S C, nempe Ang. F S D = Ang. C S A, et per conſequens S C + S F *minimum*.

Ergo haec minima colligendo, illorum Summa, id eſt 2 (F C + C S + S F) dabit *minimum*, et diuidendo per 2, etiam Summa laterum Trianguli C F S, hoc eſt, F C + C S + S F dabit *minimum*. Q. E. D.

De-

Demonſtratio II. (Fig. XVII.

I.

Ex punctis c, et s demittantur ad baſin normales, CP, SQ, quae ſecent rectas B S, DC, in punctis R, et T hae per Lemma erunt normali A F parallelae; ideoque $\frac{BA}{BC}=\frac{AL}{CR}$; $\frac{BA}{BC}=\frac{LF}{PR}$; et per conſequens $\frac{LF}{PR}=\frac{AL}{CR}$ atque alternando $\frac{LF}{AL}=\frac{PR}{CR}$.

Simili ratiocinio demonſtrabitur $\frac{LF}{AL}=\frac{QT}{TS}$; ideoque $\frac{PR}{CR}=\frac{QT}{TS}$, et componendo $\frac{PR+CR}{CZ}=\frac{QT+TS}{TS}$.

Id eſt $\frac{CP}{CR}=\frac{QS}{ST}$, et rurſus alternando $\frac{CP}{QS}=\frac{CR}{ST}$ ſed per Triangula C L R, S L T ſimilia per Conſtructionem $\frac{CR}{ST}=\frac{CL}{LT}$, ergo $\frac{CP}{QS}=\frac{CL}{LT}$.

II.

Per Conſtructionem $\frac{CD}{DL}=\frac{DP}{DF}$, ergo diuidendo $\frac{CD-DL}{DL}=\frac{DP-DF}{DF}$, id eſt, $\frac{CL}{DL}=\frac{PF}{DF}$.

Pariter $\frac{DL}{DT}=\frac{DF}{DQ}$, et per conuerſam rationem $\frac{DL}{DL-DT}=\frac{DF}{DF-DQ}$ nempe $\frac{DL}{LT}=\frac{DF}{FQ}$; ideo-

que per aequalitatem ordinatam $\frac{CL}{LT} = \frac{PF}{FQ}$ et per Articulum praecedentem $\frac{CP}{QS} = \frac{PF}{FQ}$, et alternando $\frac{CP}{PF} = \frac{QS}{QF}$ conſequenter per 6. VI. Triang. rectangula C P F, S Q F erunt ſimilia; ideoque Ang. C F P = Ang. C F Q, et (C F + F S) erit *minimum*.

Simili modo demonſtrabitur (C F + C S, nec non (C S + S F) exhibere *minimum;* ideoque eorum Summa, nempe 2 (C F + F S + S C) dabit quoque *minimum*. Q. E. D.

Corollarium.

Si ergo Triangulum B A D fuerit aequilaterum, Triangulum inſcriptum C F S maximam habebit aream, et minimum Perimetrum.

Scholium.

I.

Ex prima problematis ſolutione ſequens oritur

Theorema.

Si ex quouis angulo Trianguli acutanguli B A D in oppoſita latera normales demittantur, quibus occurrant in punctis F S C, atque haec iungantur, vt habeatur Triangulum F C S, dico, normales ipſas Trianguli F C S angulos bifariam ſecare.

II.

Ex ſecunda vero Demonſtratione alterum oritur

Theorema.

Si ex vertice A Trianguli B A D, cuius anguli ad baſim minores ſunt recto, ad ipſam baſim B D demittatur normalis, quae illi occurrat in F, Dico:

Sum-

Digitized by Google

Sumpto in normali A F, quouis puncto L, a quo ad angulos ad baſin demittantur rectae L B, L D, quae productae occurrant lateribus oppoſitis in punctis S, et C, ſi iungantur puncta C F S, normalis A F angulum C F S bifariam ſecabit.

Sequens addere lubet

PROBLEMA. (Fig. XIX.)

In ſemiellipſi B O D, cuius axis primarius B D, ſemiaxis ſecundarius C O, ductis ex focis F, et f, ad curuam rectis F X, f X, et ex centro C recta C X, maximam inuenire differentiam angulorum C X f, C X F.

Solutio.

Sit X punctum quaeſitum, et ducta ad curuam normali X P, ex centro C ad eandem demittatur perpendicularis C N.

Per curuae naturam Ang. F X P = Ang. f X P; hoc eſt, Ang. F X C + Ang. C X P = Ang. f X P, adiectoque vtrinque Ang. C X P Ang. F X C + 2 Ang. C X P = Ang. f X C.

Eritque 2 Ang. C X P exceſſus, quo Ang. f X C ſuperat Ang. P X C, qui exceſſus cum debeat eſſe maximus, etiam eius dimidium, nempe Ang. C X P erit maximus, ſimulque maximus eius ſinus. His poſitis, et ſumpta pro radio vnitate, erit per conſtructionem Sin. Ang. C X P = $\frac{CN.}{CX}$

Sit modo C D = a; C O = b; abſciſſa C M = x. Per ea quae demonſtrantur in Conicis, erit C N = $\frac{(a^2 - b^2)}{a^2} \times \frac{x\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}}}$, et C X =

$\sqrt{b^2 + \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}}$, erit ergo in Terminis analyticis

$$\text{(A) Sin. Ang. CXP} = \frac{(a^2 - b^2) \times x\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^6b^2 + a^2(a^2 - b^2)^2x^2 - (a^2 - b^2)^2x^4}}$$

et quadrando ob calculi commoditatem ſin. Ang. $CXP^2 =$

$$\frac{(a^2 - b^2)^2 \times (a^2x^2 - x^4)}{(a^6b^2 + a^2(a^2 - b^2)^2x^2 - (a^2 - b^2)^2x^4)}$$

Erit ergo differentiando, relicta quantitate conſtanti, communique poſt differentiationem Denominatore

$$2a^8b^2xdx \left\{ \begin{array}{l} -4a^6b^2x^3dx \\ +2a^4(a^2 - b^2)^2x^3dx \\ -2a^4(a^2 - b^2)^2x^3dx \end{array} \right.$$

$$\left\{ \begin{array}{l} -6a^2(a^2 - b^2)^2x^5dx \\ +6a^2(a^2 - b^2)^2x^5dx \\ +4(a^2 - b^2)^2x^7dx \\ -4(a^2 - b^2)^2x^7dx \end{array} \right. = 0$$

Ideoque $2a^8b^2xdx = 4a^6b^2x^3dx$, hoc eſt, $a^2 = 2x^2$, et $\pm \frac{a}{\sqrt{2}} = \pm x$. Factis ergo ſurrogationibus in aequatione (A), riteque calculando, erit ſinus maximi Ang. C X P $= \frac{(a^2 - b^2)}{(a^2 + b^2)}$, et ſubſtituendo expreſſionibus analyticis valores lineares ſinus maximi Ang. C X P $= \frac{FC^2}{BC^2}$. Q. E. I.

Con-

Conſtructio Problematis (Fig. XX.)

Iungantur puncta D, et O, diuiſaque bifariam D O in R, ex centro C per punctum R ducatur ad curuam recta C X, punctum X erit quaeſitum.

Nam ducta ordinata P M, et R I ad eandem parallela, erit per conſtructionem $C\,I = \frac{CD}{2} = \frac{a}{2}$; $R\,I, = \frac{CO}{2} = \frac{b}{2}$; pariter per conſtructionem C I. R I : : C M. X M; ideoque $X\,M = \frac{R\,I \times C\,M}{C\,I}$, et in terminis analyticis $X\,M = \frac{bx}{a}$, ſed per ellipſis naturam $X\,M = \frac{b}{a}\sqrt{a^2 - x^2}$, erit ergo $\sqrt{a^2 - x^2} = x$, conſequenter $\pm \frac{a}{\sqrt{2}} = \pm x$. Q. E. D.

Scholium.

Notum eſt, quod ſemidiameter C X eſt vna ex ſemidiametris coniugatis aequalibus.

Digitized by Google

Q. HORATII FLACCI OPERA: RECENSVIT, varietate lectionis et perpetua adnotatione illuſtrauit, M. CHRISTIANVS DAVID IANI. TOMVS PRIMVS.

Lipſiae, ſumtibus S. L. Cruſii, MDCCLXXVIII. octonis.

Quam nuper Virgilio illuſtrando impendit operam Illuſtr. *Heynius*, ea exemplo fuit *Ianio* V. Cl. Scholae Halenſis Euang. Lutheranae Conrectori, in Horatio perpetuis Commentariis explicando. Ipſe fatetur, ad illam normam ſe omnem laborem direxiſſe, certe contendiſſe, vt quam ſimillimus ei efficeretur. Agnoſcimus vtrumque: aemulationis ſtudium prorſus laudabile, et praeclaris rebus perficiendis accommodatiſſimum; operam, non ſine graui labore et pertinaci nauatam, cuius moleſtiae, ferendo maiores quam ſuſcipiendo ſentiuntur.

Quamquam autem tantum habemus numerum interpretum Horatii, vt ſuperuacanea videri noui editoris diligentia poſſet; tamen nouam auſus ingredi in interpretando viam, fauore ac laude bonorum carere Vir doctiſſimus non debet. „Videbam, ait, deeſſe adhuc editionem, qua Ho„ratius non ſolum perpetuo commentario optimisque inter„pretationibus collectis illuſtratus, ſed etiam cum ſpiritu et „ſenſu poetico, plenaque ſermonis latini poetici, inprimis „lyrici, cognitione eſſet expoſitus, quae doceret adoleſcen„tem cum ſenſu pulcri legere nobiliſſimum poetam, atque „in quouis carmine non tantum intelligere ſingula, ſed et„iam totum, et ſingularum partium ad illud rationem, re„cte tutoque contueri; quae omnium, qui a primariis Ho„ra-

„ratii editoribus collati eſſent, codicum varietatem, prae„cipuasque virorum doctorum emendationes, coniecturas, „plenius atque accuratius exhiberet ac perceuſeret; deni„que, qua textus Horatianus, quam et exactiſſimo et mode„ſtiſſimo inprimis iudicio fieri poſſet, conſtitutus ederetur.“ Ad talem editionem praeſtandam cum adſpiraret, vt tribus abhinc annis edito ſpecimine declarauit, omnem curam ad congerendas Critices exercendae opes contulit. Nam aliquot manuſcriptorum Codicum, quos aut nondum adhibitos, aut parum diligenter inſpectos putaret, vt nanciſceretur lectiones, omnia conando, labore, precibus, pretio perficere ſtuduit. In eoque alios duros ac difficiles expertus, alios in adiuuando promtiores habuit. Sunt autem hi: codices Deſſauienſes duo; Codex Mentelianus, cuius lectiones adſcriptas exemplo editionis Deſprei e bibliotheca Paullina Lipſienſi impetrauit; codices Lipſienſes quatuor, qui in bibliotheca Senatoria aſſeruantur; Altorfini duo, Franequeranus, Helmſtadienſis. Quem in finem etiam varietates codicum a ſuperioribus editoribus adhibitorum, et lectiones editionum veterum, nonnullorumque illuſtrium, in primis recentiorum, excerpſit, et contextui ſubiecit. Ac ſicut illorum quidem, quam quisque, habuerit copiam, quibusue bibliothecis inueniantur, diligenter expoſuit, ita harum quoque per ſeriem annorum commemorandarum genealogiam ſubiecit. Neque tamen omnium, quas vel bibliotheca latina Fabricii refert, vel b. Neuhuſii pleniſſima bibliotheca Horatiana exhibet, ſed antiquarum in primis et principum, vel ex quibus, tanquam ſtirpe, aliarum editionum familia propagata eſt, aut per aliquot certe temporis ſpatium vulgata lectio fluxit, indicem dedit. Addidit de quibusdam breue iudicium. Sane iudicia doctorum valde nonnunquam differunt. Audiamus quid ei de Alex. Cuningamo videatur. *Omnium*, ait, *doctiſſime in hoc*, ſc. Bentleio, *caſtigando verſatus eſt Alexander* *Cu-*

Cuningamus, vir ſummus et doctiſſimus, unus omnium, qui in Horatium ſcripſerunt Criticorum princeps, ipſique Bentleio, ſi quid intelligo, anteferendus. Quem indigniſſimum vocaſſe alios ſcimus, qui cum ea acerbitate, quae Virum doctum minime omnium deceret, Bentleium aggrederetur; a *Chriſtio* vero, accurati et integerrimi iudicii viro, Collega olim noſtro deſideratiſſimo, ne doctorum quidem in numero, ſed antiquariorum loco habitum fuiſſe, meminimus. Vtque nihil eorum, quae ad res poetae pertinerent, fugeret curioſos, praeter vitam Horatii, per annos digeſtam, de moribus eius, de amicis, de poeſi lyrica, de ſcriptis, ſingulis commentatiunculis tradidit. In quibus nihil praetermiſit eorum, quae grauitati, virtuti, ſanctitati hominis commendandae quam maxime idonea reperirentur. Vt aditus fieret ad ſententiam Odae cuiuscunque reperiendam, in argumentis earum ſingulis praefixis, de occaſione, de genere, de arte, de imitatione, pluribus ſaepe perſcripſit. Quae notis inſeri non poſſent longiores obſeruationes, eas excurſuum nomine libris ſubiecit. E quibus omnibus multa lectio, multa cognitio rei poeticae, fabularis, antiquitatis, hiſtoriae, geographiae, perſpicitur. Cum vero, propter mendoſas vulgatarum editionum lectiones, quam contextus Horatiani recenſionem ſequeretur non haberet, ipſe denuo eum ad codicum Mſſ. auctoritatem, et artis Criticae leges, conſtituere auſus eſt, pro fundamento quidem poſita recenſione vulgata. Sic Od. I, 3, 20. auctoritate Luctatii Placidi, Seculi quinti Grammatici, ad Statii Theb. VI, 156. qui ſic verba laudat, dedit, *alta Ceraunia*, pro vulgato *Acroceraunia*, plebeio et vulgari nomine, quo non niſi hiſtorici aut geographi vtantur. Interpolatio loci valde antiqua, debetur fortaſſe librariis, quibus procliue, notiora vocabula exquiſitioribus ſubiicere. Saepe vulgata lectio, cum optimam aptiſſimamque ſententiam redderet, fruſtra ſollicitata fuit. Ex hoc genere eſt Od. I, 35, 39. *diffingas*

gas retuſum-ferrum, quae lectio etiam auctoritate librorum maxime valet. Pro *ocior ceruis* II, 16, 18. *Ocior nimbis et agente nimbos Ocior Euro*, malebat Sanadonus; at, quid Horatianae ſit grauitati conueniens, non perſpexit. *Eſſet id*, ait, *Ouidianum acumen, non Horatianum.* Omnibus perpenſis, ſolam Horatio dignam, et ab eo profectam putat lectionem, *Saeuius ventis agitatur ingens Pinus* II, 10, 9. ſpreta vulgata omnium librorum lectione, *Saepius.*

Ex interpretibus Horatii, nemo fere probatur. Neminem poetarum antiquorum ita argutiis et vana eruditione interpretum obſcuratum, et quaſi obrutum eſſe, vt Horatium, queritur. *Incredibile eſt*, ait, *quam abſurdas et abhorrentes interpretationes illi, inopia ingenii poetici, obtruſerint ſummi viri.* Neque tamen omnes, quas ipſe, argutias exiſtimaturos arbitramur; neque nobis poteſt placere, illa Viri doctiſſimi quaſi pro auctoritate decernendi libido. Argutiarum cauſſa exagitatur obſeruatiuncula Baxteri ad I, 22, 16. vbi tamen *arida nutrix* certe per ὀξύμωρον dicitur, quia nutrices aridae parum nutriendis fetibus aptae ſunt. *Verecundum Bacchum* I, 27, 3. qui reſpectu ad iuuenilem formam Bacchi dictum putant, argutari non putamus; quae enim hanc aetatem decet et ornat verecundia, ſuauitatemque morum affert, ab ruſticitate, iracundia, contumaciaque alienorum, ei alio in loco tribuitur a poeta II, 19, 25.

Quamquam choreis aptior et iocis
Ludoque dictus, non ſat idoneus
Pugnae ferebaris; ſed idem
Pacis eras mediusque belli.

Digitized by Google

Et quoniam, inuitante materia, ad cenſuram quarumdam interpretationum deuenimus, alia proferemus. Cum ſit in verbis ex *de* et *di* compoſitis, Criticorum lege, perpetuum diſcrimen conſtitutum, v. Drakenborch. ad Silium IX, 644. X, 318. XI, 141. add. Erneſti ad Tacit. Ann. XI, 12. cur nulla Lambini, pro *dimoueas* I, 1, 13. *demoueas* legentis, haberetur ratio, profecto non erat. Quid in *ſeu* — *ſeu*, *nunc* — *nunc*, *modo* — *modo*, lyrici et poetici inſit, non agnoſcimus; quod tamen praeterquam ad I, 1, 21. alias aliquoties repetitur tanquam neceſſarium valde decretum. *Parum caſti luci* I, 12, 59. non tantum videntur eſſe, polluti inceſtu et adulterio, ſed quouis modo neglecti et parum culti, vt *caſtae tedae*, Virgil. Aen. VII, 71. vnis ſacris, vni rei diuinae inſeruientes, et apud Graecos, cum barbaros, tum chriſtianos, ἅγια dicuntur. Dum ibidem *fulmina inimica* explicantur irata, nihil agitur: nam aeque hoc poeticum, quam illud, praeſertim cum I, 3. extr. *iracunda fulmina* Iouis dicantur. Quidni aptius, ſaeua, nociua? nec omittendus erat *inimicus ignis* Virgil. Georg. 4, 330. ad quem τὸ δήϊον πῦρ Homeri, poſt alios, attulit Ill. Heynius. *Vitream Circem* I, 17. 20. explicari marinam, non diſplicet; ſed id quaſi nouum tradi, nec mentionem veteris ſcholii et Baxteri qui idem vidit, fieri, poenitet. Quod nimirum ſaepe fit in perpetua adnotatione ſcribenda, vbi neglectae priorum notae, noua tamen obſeruatione vel augentur et confirmantur, vel refelluntur. *Munera pulueris* I, 28, 4. pro puluere ipſo iubemur accipere. At enim vero reclamant vltima Odae verba, *iniecto ter puluere curras*, quibus qui parebant, pulueris iactus inhumato afferebant verum munus, eo profuturum, vt ſenſim obrutus humaretur. Nec vero loca Ouidii Met. XIII, 296. et Lucretii I, 32. vbi *munera belli* dicuntur, ſatis ſunt ſimilia; nam bellici labores intelliguntur, Et *munera naeniae* infr. II, 1, 38. non

Digitized by Google

non tam naenia ſimpliciter, quam leges et modi naeniae ſunt. Neque vero ſoli Horatio commode tribui poſſe videtur, ad I, 31, 12. quae ad alios plures, qui aetate aurea inclinante et argentea ſcripſerunt, pertinet, obſeruante Erneſtio ad Sueton. Aug. 78, verborum compoſitorum ex re, pro ſimplicibus vſurpandorum, conſuetudo. Qui autem Bentleii et Sanadoni rationem repudiet in ordinandis verbis I, 32, 1. ſeq., *age, dic, Latinum carmen quod et in hunc annum viuat et plures*, is latinitatis leges peruerterit. Nam ſi iſta eſſent, vt collocata ſunt, iungenda, non *luſimus*, ſequi poterat *viuat*, ſed debebat poni *viueret*. *Si*, in precibus, eſt idem quod *quia*, vt apud Graecos εἰ; et *ſi quid tecum luſimus*, eſt, quia iam olim ad lyrae modos carmen cecinimus, ergo ne nunc quidem nos deſerere noli. Vnde parum ſcite aſſertum, hanc conſtructionem duram eſſe, et tunc verba, *ſi quid luſimus tecum*, nil dictura.

Doctiſſimus Editor „nec ſatis meminerunt interpretes, „ait, quod ſemper meminiſſe debebant, Horatii ſermonem „plane e graeco, idque (f. eoque) poetico, formatum eſſe, „expreſſiſſe eum plurima ſua carmina e graecis exemplis, „eaque de cauſſa in hoc poeta fere, dum latina leguntur, „cogitanda graeca; ſine quo et maxima voluptatis vtilitatisque ex Horatio capiendae pars perditur, et vix tolerabilis „eſſe interpres quisquam poteſt. Hoc ex fonte multae „argutiae, multae ineptiae fluxerunt." Qua quidem reprehenſione, praeter alios, certe Dan. Heinſius caret qui in notis vbique Graecorum poetarum vel easdem, vel ſimiles dicendi formas, obſeruare docet, nec vero vlterius progredi fas eſt. Meminiſſe debemus, Poetam eſſe Horatium, qui liberrimo et incredibili animi motu feratur, non aut ſeruilem imitatorem, aut fidum interpretem. Nam

omnia eius ad Graeca velle accommodare, veremur ne multarum argutiarum, et vere periculoſum opus ſit. Nam ſi ne illae quidem ſatis certam habent imitationis demonſtrationem, quae ex locis ſimillimis proferuntur, cum eadem ſententia, eademque dicendi forma, pluribus poſſit eſſe ſcriptoribus communis, quorum alter alterum non ſit imitatus, ac ne nouerit quidem; quid de iis iudicandum erit, quae tantum ex coniectura et opinione ad Graecas loquendi formas reuocantur. An, ſi quid Horatius auſus eſt prae reliquis ſapere, ſi ſpreto vulgari ſermone, nonnulla nouauit et inſolite dixit, id illico e Graecis exemplaribus hauſit? Graecorum ſunt, *ἅπτεσθαι ὀλύμπου*, *φθάνειν εἰς οὐρανόν*, *ὑψωθῆναι εἰς οὐρανόν*; conueniunt iſta cum Horatiano I, 1. extr. *ferire ſidera*, quod nihil aliud eſt quam *tangere*, vt in formis, *ſcopum*, *metam ferire*; *ἀράσσειν* et *κόπτειν*, in quibus verbis ſemper ineſt *inpellendi* et *concutiendi* notio. Graeci ſic non dicunt, nec cogitandum eſt, horum alterum obuium fuiſſe Horatio, in hac loquendi forma vſurpanda. Neque vero quisquam ſibi perſuadeat, quod Horatius dixit I, 3, 16. *ponere freta*, id eſſe Graecorum *τίθεσθαι*, vel *καθίζειν*. *Κοιμῆσαι*, pro *ſiſtere*, *ſedare*, *reprimere* dixit Callimach. in Del. 110, alias ſemper vſurpatur *στορέσαι* v. Miſc. Obſſ. Nov. Vol. I. p. 71. *Regina — fortuna dulci ebria*, I, 37, 11. dicitur ab Horatio, non quod Graeci dixerint *πλούτῳ*, vel *μεγέθει μεθύειν*, ſed quod ſibi licere putaret, verbi, in formis *μεθύειν ἔρωτι*, *μεθύειν πληγαῖς*, ſtrictiorem vſurpandi modum latiorem ad conſuetudinem extendere. Trabes, ſeu fulcra nauibus trahendis (I, 4, 3.) ſiue ſubducendis ſubiecta, non ſunt *ἕρματα*, quo vocabulo ſignificatur *ſaburra*, qua ingeſta pondus nauibus additur; in quo etiam errauit latinus interpres Platonis Theaet. T. I. p. 144. A ed. Steph. qui *ἀνερμάτιστα πλοῖα* vertit, *naues non bene fultas retinaculis*, cum debebat vertere, *naues*, *quae ſabur-*

burram non habent, ſiue, vt Virgilius Georg. 4, 195. *inſtabiles*, ſiue denique, vt Curtius, IV, 2, *naues pendentes et inſtabiles.* An *edaces curas* non dixiſſe putemus poetam 2, 11, 18. niſi praeeunte Heſiodo, apud quem, Op. et Dier. 66. γυιοκόρους μελεδῶνας legimus? Sed ita eum legiſſe quoque oportet, γυιοβόρους, vt contra omnes libros legendum eſſe contendit Ruhnkenius, Epiſt. Crit. I. p. 48. Quid opus eſt, in hoc poeta potiſſimum, vulgaria quaeque et obuia ad Graecismos referre, quale eſt, *mirantur dicere* 2, 13, 29. Qua vero auctoritate confirmabitur, *decipitur laborum*, ibid. vſ. 38. eum expreſſiſſe e Graeco quodam, in quo κλέπτεται τῶν πόνων repererit? Perſpicuis Alcaei, Callimachi, aliorumue locis vtendum eſt vbique, alioquin hoc ſtudium incertum et inane fuerit.

Quod reliquum eſt, valde veremur, ne, quod ſtudium occuparat Siurium, a diſſolutae laſciuiae crimine liberandi Poetam, et oſtendendi, omnia carmina luxurioſa et voluptaria, quae in illius operibus inſunt, nihil eſſe niſi verſiones Graecorum carminum, Alcmanis, Steſichori, Alcaei, aliorumque, eodem etiam doctiſſ. Editor teneatur. Hinc illi, in argumento ad Od. II, 5. vbi *plurima*, ait, *in eo ſunt, quibus ſaeculi noſtri iudicium, et ipſe ſenſus poeticus offendatur.* — Mox etiam carminis totius ingreſſum deſultorium quaſi, et inſtabilem, ab vna idea ad alteram continuo commeantem, accuſat, nullo tamen peccato admiſſo; niſi pulchri pueri laudibus adiunctis laudibus puellae. Hinc illa in notis p. 310. „Omnino maiorem indul„gentiam ac licentiam talia Saeculo Auguſteo, vel ob Grae„corum imitationem, habuiſſe videntur." Cur vero ſic tricamur, cur altius repetimus, quae in promtu ſunt? Meminiſſe debemus illius, quod eſt apud Quintilianum X, 1, 100. vbi tales ait poetas *mores ſuos fateri?* Vid. Gesnerus ad

ad Plin. Ep. IV, 27, vbi ex Sidonio Apollinari III, 13. vlt. affert: *facilius obtingit, vt quisquam ſeria loquens viuat obſcene, quam valeat oſtendi, qui pariter exſiſtat improbus dictis et probus moribus.* Iſta ſi moleſta ſunt multarum porro reprehenſionum, multarumque contortarum interpretationum locus erit. Od. II, 9, 10. aliquis *Myſtes*, cuius mortem immodice lugeat Valgius, commemoratur. Ignoratur, quis fuerit ille Myſtes. Plerique Interpretes pulchrum puerum, adamatum a Valgio, putant fuiſſe. Hanc ſententiam qui relinquunt, cum volunt vitare difficultates, aliis ſe induunt. Nonne Statii in Syluis ſimillimi argumenti carmina habemus? Non erit alienum commemoraſſe quid Reiskio viſum fuerit in Notit. Poet. Anthol. ad Anthol. Cephalae p 243. *Maxime frequens in pueris Meleagri* Muiſci *nomen, quod frequens in vernarum nominibus, praeſertim nondum adultorum, fuiſſe conſtat e Polybio* p. 424. c. 9. *edit. Wechel. et Horatii* II, 9, 10. *vbi vulgo praue editum circumfertur* Myſten; *ſed* Muiſcum *reſtituendum eſt.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Iulii Anno MDCCLXXV.

VINDICIAE QVORVNDAM LOCORVM N. T. a IOANNE TOVPIO V. Cl. temere ſollicitatorum: Auctore IO. TOBIA KREBSIO, Scholae Electoralis Grimanae Rectore.

Quod ſaepiſſime vſu euenire animaduertimus, vt res, quae ad vitae humanae vel commoditatem iucundiſſimae, vel ad vtilitatem fructuoſiſſimae, vel ad vſus maxime neceſſariae et ſunt, et habentur, a multis in abuſum conuertantur, et ad perniciem adeo trahantur, id in arte Critica etiam, re, per ſe bonis literis ſaluberrima, et maxime neceſſaria, fieri videmus. Ars Critica, ſummum ſane artis Grammaticae faſtigium, tantae vtilitatis, tantae neceſſitatis eſt, vt, abſque ea ſi ſit, fruſtra coneris interpretari, quod eſt aut ſpurium, aut corruptum. Nam, vt recte

QVINCTILIANVS (Lib. I. Inſtitutt. Oratt. c. 4.) pronunciat: *Primum in interpretando eſt, videre, an Textus corruptus ſit, nec ne, et corrupta emendare.* Profecto ars Critica eſt ea, quae iudicat et docet, quid genuinum, ſpuriumue ſit, quid rectum corruptumque, quid elegans et venuſtum, quidue minus, et modum rationemque corrupta emendandi tradit Itaque a renatis inde bonis literis, et ex ignorantiae barbarieique caligine protractis, in magnum Reipublicae literariae commodum, ars Critica adhibita eſt, cum non ſolum innumera Graecorum Latinorumque auctorum loca, blaeſorum Librariorum ignorantia foede corrupta, a ſordibus ſint purgata, ſuaeque munditiei et integritati reddita, ſed integri etiam libri, callidorum impoſtorum fraude ficti, et ſimplici multorum credulitati obtruſi, vanitatis ſuae conuicti, penitusque proſcripti. Quod ſi haec ars ſemper ab iis, qui Criticos dici ſe haberique volebant, ſobrie eſſet et modeſte adhibita atque exercita, numquam profecto et Criticorum, et ipſius artis Criticae nomen apud multos tam male audiſſet, et in contemptum contumeliamque adeo fuiſſet tractum. Sed ingenium humanum paullo laetius inprimis et viuidius, cum raro intra iuſtos terminos ſeſe continere ſoleat, ſed ſaepe latius euagetur, licentiusque luxurietur, factum eſt, vt ſenſim ſenſimque non ſolum ſexcenta Graecorum Latinorumque auctorum loca ſana ac integra, falce critica temere immiſſa, corrumperentur, atque adeo ars Critica, ſaluberrima ſane, et maxime neceſſaria, ad abuſum traheretur, ſed ipſum etiam nomen huius artis praeſtantiſſimae, in contemptum inuidiamque a multis adduceretur. Neque vero negandum eſt, quorundam Criticorum immodeſtorum temerariam in emendando audaciam huic criminationi, in artem Criticam coniectae, occaſionem dediſſe. Sed haec laſciuiens et petulanter exſultans in emendando audacia, in profanis ſcriptoribus facile, et ſine magno damno fertur, cum ſalus

Grae-

Graeciae in ea re non vertatur. Felix BENTLEII audacia in emendando *Horatio* et *Terentio* facile ferebatur, praeſertim cum, ſi quid culpae hinc inde commiſiſſet, id multis aliis, atque iis egregiis bonis, redemiſſet. Cum autem idem Vir longe doctiſſimus eadem audacia in Sacros N. T. libros graſſari inſtituiſſet, minatus, ſe Nouum Teſtamentum emendatius et correctius eſſe editurum: tum vero, veluti ſigno claſſico dato, omnes fere in Anglia Theologi, vna cum plurimis in Regni Curia proceribus, amica quaſi conſpiratione animorum facta, omni ratione hoc periculoſum BENTLEII inſtitutum impedire conati ſunt, veriti, ne Textus N. T. dimidium immutatus prodiret. Neque vero is metus fuit vanus. Nam quantum quidem ex huius ipſius BENTLEII libro longe praeſtantiſſimo, lectuque digniſſimo, *la Fripponerie laique*, contra infamatum iſtum COLLINVM ſcripto, iudicare poſſis, male ſane et miſere cum Nouo Teſtamento fuiſſet actum. Ex emendationibus enim quorundam locorum N. T. p. 202. ſqq. prolatis luculentiſſime apparet, eum cum libris diuinis non aliter acturum fuiſſe, quam cum *Horatio* ſuo *Terentio*que egerit. Bene igitur et ſapienter illi Theologi vna cum proceribus egerunt, qui omnibus viribus adhibitis perfecerunt, ne Nouum Teſtamentum, audaci BENTLEII temeritate emendatum, vnquam in lucem prodiret, ſed aeternis tenebris premeretur. Omnino dolendum eſt, hoc ſeculo, inprimisque hac aetate noſtra, pruritum rei chriſtianae perquam perincioſum, omnia immutandi et emendandi, multorum virorum doctorum animos inuaſiſſe, et tanquam contagionem peſtiferam tetigiſſe, non ſolum in rebus dogmaticis, ſed etiam multis N. T. locis, ſolius ingenii ope, ſine vlla Codd. et Editt. conſenſione, corrigendis, et, ſi diis placet, ſinceritati reſtituendis ſuae. Quae impudens audacia, in libros ſacros etiam proterue graſſandi, ſi latius ſerpſerit, verendum ſane eſt, ne breui ignoremus, quid

in libris diuinis a Spiritu Sancto ſit, quid ab ingenio hominum profectum. Cui quidem morbo, hac aetate noſtra veluti epidemico, omnes Viri docti, quibus doctrinae chriſtianae ſinceritas, diuinitatisque Scripturae ſacrae auctoritas curae cordique eſt, mature occurrere, praeſentem medicinam afferre, idque omni ſtudio agere debent, vt hoc tantum, reique Chriſtianae tam peſtiferum malum, cum ipſis fibris eliſis euellatur, et in Morboniam proſcribatur. Nos quidem non ii ſumus, qui omnes omnino coniecturas in lectionibus N. T. manifeſto non bonis, reiiciant, ſi ſint perſpicuae, rei, contextui, et ſtilo ſcripturae S. conſentaneae, et a veſtigiis vulgatae lectionis non longe abeuntes; ſed tum demum admittendas cenſemus, cum nulla alia ratio ſuperſit illi loco conſulendi: in textum vero eas inferri, id vero nullo modo ferri nec poteſt, nec debet. Et hoc nomine BEZA iure notatus eſt, quod e corruptiſſimis Codd. ſuis, atque adeo de mera coniectura ſua, quaedam contra omnes veteres libros in Textum recepit. Hunc autem peſtiferum morbum, multa loca Noui Teſtamenti (vt de hoc vno iam dicamus) proterue inuadendi et corrigendi, cum in aliis, tum praecipue in Anglis, BENTLEIO l. c. MARKLANDO ad *Lyſiam*, MANGAEO ad *Philonem*, aliisque, non ſine indignatiuncula quadam animaduertimus. Sed horum omnium in hac re audaciam ſuperaſſe videtur IO. TOVPIVS, *Eccleſiae S. Martini cum Capella de Loo, in Agro Cornubienſi, Rector*, in *Emendationibus* in SVIDAM, Londini per partes ab anno inde 1760. ſqq. editis. Omnino Britannorum, qui graece docti inprimis, et prae caeteris Europaeis dici viderique volunt, ingenium nunc hoc eſt, vt coniecturarum, ſaepe infeliciſſimarum, frequentia ad criticae facultatis laudem graſſentur. Eſt ſane TOVPIVS Vir exquiſite graece doctus, diffuſae, et quodammodo ſtupendae lectionis, in omnibus omnis fere generis ſcriptoribus, inprimis graecis, eximia quadam, ſaepeque feliciſſima

Digitized by Google

ma ἀγχινοίᾳ et εὐστοχίᾳ, atque ſubtilitate ingenii in locis depoſitis et conclamatis ſanandis, ſalubrique medicina reſtituendis, praeditus. Neque dubium eſt, quin his *Emendationibus* ſuis multum profuerit cum aliis ſcriptoribus graecis, tum SVIDAE inprimis, in quo recenſendo, emendando, et illuſtrando, harum literarum periti ſciunt, LVD. KVSTERVM ſaepe partes ſuas minus bene egiſſe, et, quam operam diligentiamque debuiſſet, eam minime adhibuiſſe; adeo vt SVIDAE, et Reipublicae literariae, ob hoc TOVPII munus, amplum ſane et frugiferum, ſit gratulandum. Quemadmodum autem eximias illas ingenii dotes TOVPII magnifacimus, ingenueque profitemur, nos ex eius *Emendationibus* permultum profeciſſe: ita magnopere dolemus, hunc Virum, in literis graecis longe verſatiſſimum, nimia autem ſui ipſius fiducia captum, critica facultate ſaepe abuſum, et temeraria quadam audacia, nullo modo ferenda, in libros ſacros adeo N. T. eſſe graſſatum. Quod eo magis mirari ſubit, cum ipſe alios, ob iſtum *emendandi* pruritum, reprehendat, et *emendaturientes* non ferre videatur. Nam P. III. harum *Emendationum* p. 297. ſcribit: *Erit forte, qui emendet. Nam EMENDATVRIENTIVM omnia ſunt plena.* Et ead. P. p. 70. notat, et iure notat, BENTLEIVM, *ob emendandi in Nouo Teſtamento audaciam.* Quid? quod ead. P. p. 149. quandam KVSTERI in SVIDA emendationem *truculentam* et *neferiam* vocat. Miraberis haud dubie, Lector, quomodo tandem TOVPIVS, qui emendandi audaciam in aliis reprehendat, ſuam in multis Noui Teſtamenti adeo locis aequo animo ferre, ſuaeque temeritatis gratiam ſibi facillime facere poſſit. Sed haud dubie mirari deſines, vbi cognoueris, huic viro *ſua vnice placere.* Sic enim P. III. p. 295. ſcribit: *Heſychius paullo aliter accepit: ſed nobis NOSTRA VNICE placent.* Operae igitur pretium nos facturos, remque ſacrarum literarum ſtudioſis non plane inutilem

ſuſcepturos eſſe putabamus, ſi hoc tempore, quo laudem atque commendationem aucupantur ſat bene multi e peruerſo emendandi ſacras litteras, et corrigendi pro lubitu, audacia et ſtudio, quaedam Noui Teſtamenti loca a temeraria et violenta TOVPII emendatione vindicaremus; et alios, Iuuenes inprimis ingenii paullo viuidioris, qui facile auctoritate et fama magnorum Virorum capi, ſiue potius decipi ſe patiuntur, contra iſtum morbum peſtiferum hac proluſione, veluti amuleto quodam, praemuniremus. In hac autem cenſura *Emendationum* TOVPII agenda ita verſabimur, vt non ea audacia, qua Vir doctus cum ſcriptoribus ſacris, omnis reuerentiae his viris θεοπνεύςοις debitae oblitus, egit, ſed modeſtia ea, quae nos, ſtudia humanitatis in illuſtri Gymnaſio profitentes, omnino decet, cum eo agamus.

Primus igitur locus, quem TOVPIVS *pene conclamatum* vocat, eſt Marci III, 20. ſqq. Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον· καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος - - ἔλεγον γάρ· "ΟΤΙ ΕΞΕΣΤΗ. Ad quem locum TOVPIVS P. I. Emendatt. p. 143. ſq. ita, (illius enim verba ipſa adducere non pigebit, praeſertim cum hic liber apud nos quidem in pauciſſimorum manibus verſetur;) *Multa in hunc locum Euangeliſtae viri docti, quae non ſunt VNIVS ASSIS. Aliud eſt οἱ παρ' ἀυτῦ, aliud οἱ παρ' ἀυτῷ. Marci autem verba, QVOD NEMO VIDIT, corrupta ſunt et mutila, nec MSS.* (immo Vir doctus debuiſſet hic Wetſtenii N. T. conſulere,) *vllam opem adminiſtrant, niſi quod nonnulli exhibent* περὶ ἀυτῦ. *Idque recte admodum. Vide igitur, annon iſte locus ex vi et ductu ſententiae ita refingendus et ſupplendus ſit:* Καὶ ἀκέσαντες ΟΙ ΦΑΡΙΣΑΙΟΙ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γάρ· ὅτι ἐξέςη. ΚΑΙ ΟΙ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες ἔλεγον, Ὅτι Βεελζεβὺλ

βὺλ ἔχει. *Et cum audiſſent* (ita locum latine reddit Vir doctus) *de eo Phariſaei, exierunt comprehendere eum: dicebant enim, quod inſaniret* etc. Quibus dictis, ſubiicit: *Vides, quam pulchre nebulones iſti Phariſaei et Scribae hic copulentur, et quam appoſite Marci verba eis accommodentur. Dicebant Phariſaei*, ὅτι ἐξέςη. Dicebant Scribae, ὅτι Βεελζεβὺλ ἔχει. — *Quare vix ulla, opinor, poterit eſſe dubitatio, quin hunc locum, qui pene conclamatus fuerat,* ***RECTE*** *reſtituerimus.* Tuam fidem, Lector! Inuenisne in Editt. MILLIANA, BENGELIANA, WETSTENIANA, et GRIESBACHIANA, quae facile in optimis ponuntur, hunc pannum, a TOVPIO verbis d. Marci aſſutum? Nuſpiam inuenies. Videamus igitur, an huic loco, de ſententia TOVPII *fere conclamato*, non ita conſuli, ea medicina afferri poſſit, vt iſta violenta ope non indigeat. Relictis omnibus, perpendamus totius huius loci συνάφειαν, et videamus, annon d. Marco ſua integritas ita conſtet, vt non ſit, quare *iſti nebulones*, ΟΙ ΦΑΡΙΣΑΙΟΙ, huc trahantur, partesque agant ſuas. Comm. 13. narrat diuinus ſcriptor, Ieſum aſcendiſſe in montem, conuocaſſe quos voluerit, et elegiſſe duodecim Apoſtolos. Quorum nominibus editis, ita pergit: Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον. Καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥςε μὴ δύνασθαι αὐτὲς μήτε ἄρτον φαγεῖν. Καὶ ἀκέσαντες οἱ παρ' αὐτȣ, ἐξῆλθον, κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γάρ ὅτι ἐξέςη, h. e. e noſtra interpretatione: *Quo facto, redit vna cum ſuis domum: et denuo confluit turba populi, ita vt ne cibum quidem capere poſſent. Cum autem, qui apud eum* (Ieſum) *erant, audiſſent* ſc. turbam foris tumultuantem: *exierunt, compeſcituri, ſedaturi eam. Dicebant enim: furit, inſanit.* Iudica nunc, Lector, an in hac narratione aliquid requiras, quod ad integritatem ſenſus ſupplendam deeſſe videatur. Equidem nihil manci, nihil imperfecti, neque in interpretatione aliquid contorti et coacti, animaduertere mihi videor. Age, iam de TOVPII *emendatione*, an de-

Digitized by Google

depravatione dicam? videamus. Scribit l. c. magnifice ita: *Multa in hunc locum Euangeliſtae viri docti, quae non ſunt VNIVS ASSIS.* (Quam modeſte!) *Neque ſane phraſin illam οἱ παρ' αὐτοῦ ſatis intellexiſſe videntur;* (neque tu, bone Vir, ſatis intellexiſſe videris.) *Aliud eſt οἱ παρ' αὐτοῦ, aliud οἱ παρ' αὐτῷ*, (atqui hoc omnes nouimus ſine alicuius Angli doctrina.) *Marci autem verba, QVOD NEMO VIDIT,* (tu igitur vnus lynceus, vel potius Argus es, et qui ante te vixerunt, omnes talpa cocciores fuerunt,) *corrupta ſunt et mutila, nec MSS. vllam opem adminiſtrant,* (Ain' tu? Conſule WETSTENIVM) *niſi quod nonnulli exhibent περὶ αὐτοῦ, idque recte admodum.* Quibus praemiſſis, locum d. Marci *corrumpere*, (*emendare* volebamus dicere,) inſtituit. Non pigebit, breuem et modeſtam cenſuram hic agere. Iam primum, quaero ex te, TOVPI, quare *οἱ Φαρισαῖοι* a te huc ducti, ſiue potius obtorto collo tracti ſint? Nam nullum vnquam Codd. MS. citare poteris, vbi *iſti nebulones* tui in hoc Marci loco conſpiciantur. Quod enim in nonnullis haec verba leguntur: *ὅτε ἤκουσαν περὶ αὐτοῦ οἱ γραμματεῖς,* (non *οἱ Φαρισαῖοι,*) *καὶ οἱ λοιποί*, id e verſione *Goth.* et *Copt.* fluxit, atque adeo ex interpretatione eſt, vt dudum MILLIVS et WETSTENIVS ad h. l. monuerunt. Hoc igitur tuae cauſae nullo modo patrocinatur. Quare igitur *Phariſaei* a te huc tracti ſunt? Quia mox, inquis, *Scribae* memorantur. Egregia vero et grauis ratio! Quaſi ſemper et vbique *τῶν Φαρισαίων* mentio ſcriptoribus ſacris facienda fuerit, vbi *τῶν γραμματέων* meminerunt. Curioſa Euangeliſtarum lectio alia te docere poterat. Et tamen de his voculis, *οἱ Φαρισαῖοι*, temere Marco obtruſis, tam mirifice ſibi placet, vt ſcribat: *Vides, quam pulchre nebulones iſti Phariſaei et Scribae hic copulentur, et quam appoſite Marci verba eis accommodentur. Dicebant Phariſaei, ὅτι ἐξέστη.* Dicebant Scribae, *ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει.* Hi omnes *aliquid* dixerunt; ſed tu, TOVPI, multis verbis *nihil* dixiſti.

ſti. Videamus igitur, quid ſani his inſit. Et primo quidem, ipſius orationis cohaerentia nullo modo concedit, vt vox ἀκούσαντες ad *Phariſaeos* referatur, ita, vt ineptum et temerarium ſit, οἱ Φαρισαῖοι d. Marco obtrudere velle. Nam vox ἀκούσαντες habet ſuum ſibi ſubiectum, diſerte additum, nempe οἱ παρ' αὐτοῦ; qui autem hi ſint, paullo poſt videbimus. Quid? quod, ſi οἱ Φαρισαῖοι Textui intrudere velis, voces παρ' αὐτοῦ (vel, vt TOVPIVS mauult, περὶ αὐτοῦ) plane otioſae et nauci ſunt, quod TOVPII acutum ingenium non perſpexiſſe videtur. Iam videamus de ipſa huius loci interpretatione TOVPII. Et primo quidem τὸ ἀκούσαντες referri vult ad οἱ Φαρισαῖοι, qui iniquo Apolline, et iratis Muſis, huc tracti ſunt. Sed quaero, num in praecedentibus mentio *Phariſaeorum* facta ſit? Imo vero ne verbulo quidem, ſed meminerat tantum d. Marcus duodecim Apoſtolorum. Supra quidem v. 6. narrauerat, vbi Ieſus in Synagoga quadam cuiusdam manum, omnibus humoribus exſiccatam, miraculo quodam integritati ſuae reſtituiſſet, Phariſaeos cum Herodianis exiiſſe, conſultaturos, quibus artibus eum comprehenſum de medio tollerent. Mox autem Ieſum, ſubiungit, vna cum diſcipulis ad mare abiiſſe, poſtea montem aſcendiſſe, ibique duodecim Apoſtolos elegiſſe, nulla poſtea mentione in toto hoc Capite τῶν Φαρισαίων facta. Haec eſt orationis συνάφεια, hoc narrationis filum. In hac tota autem narratione mentionem Phariſaeorum ne vllo verbulo quidem factam animaduertes. Narratione autem de duodecim Apoſtolis electis confecta, pergit diuinus ſcriptor: καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον. Et quinam? niſi Textui vim inferre velis, nulli alii, quam duodecim Apoſtoli, et alii forte qui tunc in ſocietate Optimi Saluatoris noſtri fuerant, intelligi poſſunt. Nullum igitur Phariſaeorum veſtigium in tota hac narratione animaduertitur, neque adeo domum ingreſſi dici poſſunt Quomodo igitur iidem, de ſententia TOVPII, v. 21. domo egreſſi dici poſ-

 ſunt?

omnia eius ad Graeca velle accommodare, veremur ne multarum argutiarum, et vere periculoſum opus ſit. Nam ſi ne illa quidem ſatis certam habent imitationis demonſtrationem, quae ex locis ſimillimis proferuntur, cum eadem ſententia, eademque dicendi forma, pluribus poſſit eſſe ſcriptoribus communis, quorum alter alterum non ſit imitatus, ac ne nouerit quidem; quid de iis iudicandum erit, quae tantum ex coniectura et opinione ad Graecas loquendi formas reuocantur. An, ſi quid Horatius auſus eſt prae reliquis ſapere, ſi ſpreto vulgari ſermone, nonnulla nouauit et inſolite dixit, id illico e Graecis exemplaribus hauſit? Graecorum ſunt, *ἅπτεσθαι ὀλύμπυ*, *φθάνειν εἰς ὐρανὸν*, *ὑψωθῆναι εἰς ὐρανὸν*; conueniunt iſta cum Horatiano I, 1. extr. *ferire ſidera*, quod nihil aliud eſt quam *tangere*, vt in formis, *ſcopum*, *metam ferire*; *ἀράσσειν* et *κόπτειν*, in quibus verbis ſemper ineſt *inpellendi* et *contutiendi* notio. Graeci ſic non dicunt, nec cogitandum eſt, horum alterum obuium fuiſſe Horatio, in hac loquendi forma vſurpanda. Neque vero quisquam ſibi perſuadeat, quod Horatius dixit I, 3, 16. *ponere freta*, id eſſe Graecorum *τίθεσθαι*, vel *καθίζειν*. *Κοιμῆσαι*, pro *ſiſtere*, *ſedare*, *reprimere* dixit Callimach. in Del. 110, alias ſemper vſurpatur *ςορέσαι* v. Miſc. Obſſ. Nov. Vol. I. p. 71. *Regina — fortuna dulci ebria*, I, 37, 11. dicitur ab Horatio, non quod Graeci dixerint *πλύτῳ*, vel *μεγέθει μεθύειν*, ſed quod ſibi liceře putaret, verbi, in formis *μεθύειν ἔρωτι*, *μεθύειν πληγαῖς*, ſtrictiorem vſurpandi modum latiorem ad conſuetudinem extendere. Trabes, ſeu fulcra nauibus trahendis (I, 4, 3.) ſiue ſubducendis ſubiecta, non ſunt *ἕρματα*, quo vocabulo ſignificatur *ſaburra*, qua ingeſta pondus nauibus additur; in quo etiam errauit latinus interpres Platonis Theaet. T. I. p. 144. A ed. Steph. qui *ἀνερμάτιςα πλοῖα* vertit, *naues non bene fultas retinaculis*, cum debebat vertere, *naues, quae ſabur-*

burram non habent, ſiue, vt Virgilius Georg. 4, 195. *inſtabiles*, ſiue denique, vt Curtius, IV, 2. *naues pendentes et inſtabiles.* An *exactes curas* non dixiſſe putemus poetam 2, 11, 18. niſi praeeunte Heſiodo, apud quem, Op. et Dier. 66. *γυιοκόρους μελεδῶνας* legimus? Sed ita eum legiſſe quoque oportet, *γυιοβόρους*, vt contra omnes libros legendum eſſe contendit Ruhnkenius, Epiſt. Crit. I. p. 48. Quid opus eſt, in hoc poeta potiſſimum, vulgaria quaeque et obuia ad Graeciſmos referre, quale eſt, *mirantur dicere* 2, 13, 29. Qua vero auctoritate confirmabitur, *decipitur laborum*, ibid. vſ. 38. eum expreſſiſſe e Graeco quodam, in quo *κλέπτεται τῶν πόνων* repererit? Perſpicuis Alcaei, Callimachi, aliorumue locis vtendum eſt vbique, alioquin hoc ſtudium incertum et inane fuerit.

Quod reliquum eſt, valde veremur, ne, quod ſtudium occuparat Siurium, a diſſolutae laſciuiae crimine liberandi Poetam, et oſtendendi, omnia carmina luxurioſa et voluptaria, quae in illius operibus inſunt, nihil eſſe niſi verſiones Graecorum carminum, Alcmanis, Steſichori, Alcaei, aliorumque, eodem etiam doctiſſ. Editor teneatur. Hinc ille, in argumento ad Od. II, 5. vbi *plurima*, ait, *in eo ſunt, quibus ſaeculi noſtri iudicium, et ipſe ſenſus poeticus offendatur.* — Mox etiam carminis totius ingreſſum deſultorium quaſi, et inſtabilem, ab vna idea ad alteram continuo commeantem, accuſat, nullo tamen peccato admiſſo, niſi pulchri pueri laudibus adiunctis laudibus puellae. Hinc illa in notis p. 310. „Omnino maiorem indul„gentiam ac licentiam talia Saeculo Augusteo, vel ob Grae„corum imitationem, habuiſſe videntur." Cur vero ſic tricamur, cur altius repetimus, quae in promtu ſunt? Meminiſſe debemus illius, quod eſt apud Quintilianum X, 1, 100. vbi tales ait poetas *mores ſuos fateri?* Vid. Geſnerus

M m 3 ad

ad Plin. Ep. IV, 27. vbi ex Sidonio Apollinari III, 13. vlt. affert: *facilius obtingit, vt quisquam ſeria loquens viuat obſcene, quam valeat oſtendi, qui pariter exſiſtat improbus dictis et probus moribus.* Iſta ſi moleſta ſunt multarum porro reprehenſionum, multarumque contortarum interpretationum locus erit. Od. II, 9, 10. aliquis *Myſtes*, cuius mortem immodice lugeat Valgius, commemoratur. Ignoratur, quis fuerit ille Myſtes. Plerique Interpretes pulchrum puerum, adamatum a Valgio, putant fuiſſe. Hanc ſententiam qui relinquunt, cum volunt vitare difficultates, aliis ſe induunt. Nonne Statii in Syluis ſimillimi argumenti carmina habemus? Non erit alienum commemoraſſe quid Reiskio viſum fuerit in Notit. Poet. Anthol. ad Anthol. Cephalae p 243. *Maxime frequens in pueris Meleagri* Muiſci *nomen, quod frequens in vernarum nominibus, praeſertim nondum adultorum, fuiſſe conſtat e Polybio* p. 424. c. 9. *edit. Wechel. et Horatii* II, 9, 10. *vbi vulgo proue editum circumfertur* Myſten; *ſed* Muiſcum *reſtituendum eſt.*

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Iulii Anno MDCCLXXV.

VINDICIAE QVORVNDAM LOCORVM N. T. a IOANNE TOVPIO V. Cl. temere ſollicitatorum: Auctore IO. TOBIA KREBSIO, Scholae Electoralis Grimanae Rectore.

Quod ſaepiſſime vſu euenire animaduertimus, vt res, quae ad vitae humanae vel commoditatem iucundiſſimae, vel ad vtilitatem fructuoſiſſimae, vel ad vſus maxime neceſſariae et ſunt, et habentur, a multis in abuſum conuertantur, et ad perniciem adeo trahantur, id in arte Critica etiam, re, per ſe bonis literis ſaluberrima, et maxime neceſſaria, fieri videmus. Ars Critica, ſummum ſane artis Grammaticae faſtigium, tantae vtilitatis, tantae neceſſitatis eſt, vt, absque ea ſi ſit, fruſtra coneris interpretari, quod eſt aut ſpurium, aut corruptum. Nam, vt recte

QVINCTILIANVS (Lib. I. Inſtitutt. Oratt. c. 4.) pronunciat: *Primum in interpretando eſt, videre, an Textus corruptus ſit, nec ne, et corrupta emendare.* Profecto ars Critica eſt ea, quae iudicat et docet, quid genuinum, ſpuriumue ſit, quid rectum corruptumque, quid elegans et venuſtum, quidue minus, et modum rationemque corrupta emendandi tradit. Itaque a renatis inde bonis literis, et ex ignorantiae barbarieique caligine protractis, in magnum Reipublicae literariae commodum, ars Critica adhibita eſt, cum non ſolum innumera Graecorum Latinorumque auctorum loca, blaeſorum Librariorum ignorantia foede corrupta, a ſordibus ſint purgata, ſuaeque munditiei et integritati reddita, ſed integri etiam libri, callidorum impoſtorum fraude ficti, et ſimplici multorum credulitati obtruſi, vanitatis ſuae conuicti, penitusque proſcripti. Quod ſi haec ars ſemper ab iis, qui Criticos dici ſe haberique volebant, ſobrie eſſet et modeſte adhibita atque exercita, numquam profecto et Criticorum, et ipſius artis Criticae nomen apud multos tam male audiſſet, et in contemptum contumeliamque adeo fuiſſet tractum. Sed ingenium humanum paullo laetius inprimis et viuidius, cum raro intra iuſtos terminos ſeſe continere ſoleat, ſed ſaepe latius euagetur, licentiusque luxurietur, factum eſt, vt ſenſim ſenſimque non ſolum ſexcenta Graecorum Latinorumque auctorum loca ſana ac integra, falce critica temere immiſſa, corrumperentur, atque adeo ars Critica, ſaluberrima ſane, et maxime neceſſaria, ad abuſum traheretur, ſed ipſum etiam nomen huius artis praeſtantiſſimae, in contemptum inuidiamque a multis adduceretur. Neque vero negandum eſt, quorundam Criticorum immodeſtorum temerariam in emendando audaciam huic criminationi, in artem Criticam coniectae, occaſionem dediſſe. Sed haec laſciuiens et petulanter exſultans in emendando audacia, in profanis ſcriptoribus facile, et ſine magno damno fertur, cum ſalus Grae-

Graeciae in ea re non vertatur. Felix BENTLEII audacia in emendando *Horatio* et *Terentio* facile ferebatur, praeſertim cum, ſi quid culpae hinc inde commiſiſſet, id multis aliis, atque iis egregiis bonis, redemiſſet. Cum autem idem Vir longe doctiſſimus eadem audacia in Sacros N. T. libros graſſari inſtituiſſet, minatus, ſe Nouum Teſtamentum emendatius et correctius eſſe editurum: tum vero, veluti ſigno claſſico dato, omnes fere in Anglia Theologi, vna cum plurimis in Regni Curia proceribus, amica quaſi conſpiratione animorum facta, omni ratione hoc periculoſum BENTLEII inſtitutum impedire conati ſunt, veriti, ne Textus N. T. dimidium immutatus prodiret. Neque vero is metus fuit vanus. Nam quantum quidem ex huius ipſius BENTLEII libro longe praeſtantiſſimo, lectuque digniſſimo, *la Fripponerie laique*, contra infamatum iſtum COLLINVM ſcripto, iudicare poſſis, male ſane et miſere cum Nouo Teſtamento fuiſſet actum. Ex emendationibus enim quorundam locorum N. T. p. 202. ſqq. prolatis luculentiſſime apparet, eum cum libris diuinis non aliter acturum fuiſſe, quam cum *Horatio* ſuo *Terentio*que egerit. Bene igitur et ſapienter illi Theologi vna cum proceribus egerunt, qui omnibus viribus adhibitis perfecerunt, ne Nouum Teſtamentum, audaci BENTLEII temeritate emendatum, vnquam in lucem prodiret, ſed aeternis tenebris premeretur. Omnino dolendum eſt, hoc ſeculo, inprimisque hac aetate noſtra, pruritum rei chriſtianae perquam pernicioſum, omnia immutandi et emendandi, multorum virorum doctorum animos inuaſiſſe, et tanquam contagionem peſtiferam tetigiſſe, non ſolum in rebus dogmaticis, ſed etiam multis N. T. locis, ſolius ingenii ope, ſine vlla Codd. et Editt. conſenſione, corrigendis, et, ſi diis placet, ſinceritati reſtituendis ſuae. Quae impudens audacia, in libros ſacros etiam proterue graſſandi, ſi latius ſerpſerit, verendum ſane eſt, ne breui ignoremus, quid

in libris diuinis a Spiritu Sancto ſit, quid ab ingenio hominum profectum. Cui quidem morbo, hac aetate noſtra veluti epidemico, omnes Viri docti, quibus doctrinae chriſtianae ſinceritas, diuinitatisque Scripturae ſacrae auctoritas curae cordique eſt, mature occurrere, praeſentem medicinam afferre, idque omni ſtudio agere debent, vt hoc tantum, reique Chriſtianae tam peſtiferum malum, cum ipſis fibris eliſis euellatur, et in Morboniam proſcribatur. Nos quidem non ii ſumus, qui omnes omnino coniecturas in lectionibus N. T. manifeſto non bonis, reiiciant, ſi ſint perſpicuae, rei, contextui, et ſtilo ſcripturae S. conſentaneae, et a veſtigiis vulgatae lectionis non longe abeuntes; ſed tum demum admittendas cenſemus, cum nulla alia ratio ſuperſit illi loco conſulendi: in textum vero eas inferri, id vero nullo modo ferri nec poteſt, nec debet. Et hoc nomine BEZA iure notatus eſt, quod e corruptiſſimis Codd. ſuis, atque adeo de mera coniectura ſua, quaedam contra omnes veteres libros in Textum recepit. Hunc autem peſtiferum morbum, multa loca Noui Teſtamenti (vt de hoc vno iam dicamus) proterue inuadendi et corrigendi, cum in aliis, tum praecipue in Anglis, BENTLEIO l. c. MARKLANDO ad *Lyſiam*, MANGAEO ad *Philonem*, aliisque, non ſine indignatiuncula quadam animaduertimus. Sed horum omnium in hac re audaciam ſuperaſſe videtur IO. TOVPIVS, *Eccleſiae S. Martini cum Capella de Loo, in Agro Cornubienſi, Rector*, in *Emendationibus* in SVIDAM, Londini per partes ab anno inde 1760. ſqq. editis. Omnino Britannorum, qui graece docti inprimis, et prae caeteris Europaeis dici viderique volunt, ingenium nunc hoc eſt, vt coniecturarum, ſaepe infeliciſſimarum, frequentia ad criticae facultatis laudem graſſentur. Eſt ſane TOVPIVS Vir exquiſite graece doctus, diffuſae, et quodammodo ſtupendae lectionis, in omnibus omnis fere generis ſcriptoribus, inprimis graecis, eximia quadam, ſaepeque feliciſſima

ma

ma ἀγχινοίᾳ et ἰυςοχίᾳ, atque ſubtilitate ingenii in locis depoſitis et conclamatis ſanandis, ſalubrique medicina reſtituendis, praeditus. Neque dubium eſt, quin his *Emendationibus* ſuis multum profuerit cum aliis ſcriptoribus graecis, tum SVIDAE inprimis, in quo recenſendo, emendando, et illuſtrando, harum literarum periti ſciunt, LVD. KVSTERVM ſaepe partes ſuas minus bene egiſſe, et, quam operam diligentiamque debuiſſet, eam minime adhibuiſſe; adeo vt SVIDAE, et Reipublicae literariae, ob hoc TOVPII munus, amplum ſane et frugiferum, ſit gratulandum. Quemadmodum autem eximias illas ingenii dotes TOVPII magnifacimus, ingenueque profitemur, nos ex eius *Emendationibus* permultum profeciſſe: ita magnopere dolemus, hunc Virum, in literis graecis longe verſatiſſimum, nimia autem ſui ipſius fiducia captum, critica facultate ſaepe abuſum, et temeraria quadam audacia, nullo modo ferenda, in libros ſacros adeo N. T. eſſe graſſatum. Quod eo magis mirari ſubit, cum ipſe alios, ob iſtum *emendandi* pruritum, reprehendat, et *emendaturientes* non ferre videatur. Nam P. III. harum *Emendationum* p. 297. ſcribit: *Erit forte, qui emendet. Nam EMENDATVRIENTIVM omnia ſunt plena.* Et ead. P. p. 70. notat, et iure notat, BENTLEIVM, *ob emendandi in Nouo Teſtamento audaciam.* Quid? quod ead. P. p. 149. quandam KVSTERI in SVIDA emendationem *truculentam* et *nefariam* vocat. Miraberis haud dubie, Lector, quomodo tandem TOVPIVS, qui emendandi audaciam in aliis reprehendat, ſuam in multis Noui Teſtamenti adeo locis aequo animo ferre, ſuaeque temeritatis gratiam ſibi facillime facere poſſit. Sed haud dubie mirari deſines, vbi cognoueris, huic viro *ſua vnice placere.* Sic enim P. III. p. 295. ſcribit: *Heſychius paullo aliter accepit: ſed nobis NOSTRA VNICE placent.* Operae igitur pretium nos facturos, remque ſacrarum literarum ſtudioſis non plane inutilem

ſuſcepturos eſſe putabamus, ſi hoc tempore, quo laudem atque commendationem aucupantur ſat bene multi e peruerſo emendandi ſacras litteras, et corrigendi pro lubitu, audacia et ſtudio, quaedam Noui Teſtamenti loca a temeraria et violenta TOVPII emendatione vindicaremus, et alios, Iuuenes inprimis ingenii paullo viuidioris, qui facile auctoritate et fama magnorum Virorum capi, ſiue potius decipi ſe patiantur, contra iſtum morbum peſtiferum hac proluſione, veluti amuleto quodam, praemuniremus. In hac autem cenſura *Emendationum* TOVPII agenda ita verſabimur, vt non ea audacia, qua Vir doctus cum ſcriptoribus ſacris, omnis reuerentiae his viris θεοπνεύςοις debitae oblitus, egit, ſed modeſtia ea, quae nos, ſtudia humanitatis in illuſtri Gymnaſio profitentes, omnino decet, cum eo agamus.

Primus igitur locus, quem TOVPIVS *pene conclamatum* vocat, eſt Marci III, 20. ſqq. Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον· καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος - - ἔλεγον γάρ· ΟΤΙ ΕΞΕΣΤΗ. Ad quem locum TOVPIVS P. I. Emendatt. p. 143. ſq. ita, (illius enim verba ipſa adducere non pigebit, praeſertim cum hic liber apud nos quidem in pauciſſimorum manibus verſetur;) *Multa in hunc locum Euangeliſtae viri docti, quae non ſunt VNIVS ASSIS. Aliud eſt οἱ παρ' ἀυτοῦ, aliud οἱ παρ' ἀυτῷ. Marci autem verba, QVOD NEMO VIDIT, corrupta ſunt et mutila, nec MSS.* (immo Vir doctus debuiſſet hic Wetſtenii N. T. conſulere,) *ullam opem adminiſtrant, niſi quod nonnulli exhibent περὶ ἀυτοῦ. Idque recte admodum. Vide igitur, annon iſte locus ex vi et ductu ſententiae ita refingendus et ſupplendus ſit:* Καὶ ἀκούσαντες ΟΙ ΦΑΡΙΣΑΙΟΙ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ, ἐξῆλθον κρατῆσαι ἀυτόν· ἔλεγον γάρ· ὅτι ἐξέςη. ΚΑΙ ΟΙ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες ἔλεγον, Ὅτι Βεελζε-

βοὺλ

βοὺλ ἔχει. *Et cum audiſſent* (ita locum latine reddit Vir doctus) *de eo Phariſaei, exierunt comprehendere eum: dicebant enim, quod inſaniret* etc. Quibus dictis, ſubiicit: *Vides, quam pulchre nebulones iſti Phariſaei et Scribae hic copulentur, et quam appoſite Marci verba eis accommodentur. Dicebant Phariſaei*, ὅτι ἐξέςη. Dicebant Scribae, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει. — *Quare vix ulla, opinor, poterit eſſe dubitatio, quin hunc locum, qui pene conclamatus fuerat, RECTE reſtituerimus.* Tuam fidem, Lector! Inueniſne in Editt. MILLIANA, BENGELIANA, WETSTENIANA, et GRIESBACHIANA, quae facile in optimis ponuntur, hunc pannum, a TOVPIO verbis d. Marci aſſutum? Nuſpiam inuenies. Videamus igitur, an huic loco, de ſententia TOVPII *fere conclamato*, non ita conſuli, ea medicina afferri poſſit, vt iſta violenta ope non indigeat. Relictis omnibus, perpendamus totius huius loci συνάφειαν, et videamus, annon d. Marco ſua integritas ita conſtet, vt non ſit, quare *iſti nebulones*, ΟΙ ΦΑΡΙΣΑΙΟΙ, huc trahantur, parteſque agant ſuas. Comm. 13. narrat diuinus ſcriptor, Ieſum aſcendiſſe in montem, conuocaſſe quos voluerit, et elegiſſe duodecim Apoſtolos. Quorum nominibus editis, ita pergit: Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον. Καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥςε μὴ δύνασθαι αὐτὰς μήτε ἄρτον φαγεῖν. Καὶ ἀκάσαντες οἱ παρ' αὐτᾶ, ἐξῆλθον, κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέςη, h. e. e noſtra interpretatione: *Quo facto, redit vna cum ſuis domum: et denuo confluit turba populi, ita vt ne cibum quidem capere poſſent. Cum autem, qui apud eum* (Ieſum) *erant, audiſſent* ſc. turbam foris tumultuantem: *exierunt, compeſcituri, ſedaturi eam. Dicebant enim: furit, inſanit.* Iudica nunc, Lector, an in hac narratione aliquid requiras, quod ad integritatem ſenſus ſupplendam deeſſe videatur. Equidem nihil manci, nihil imperfecti, neque in interpretatione aliquid contorti et coacti, animaduertere mihi videor. Age, iam de TOVPII *emendatione*, an de-

depravatione dicam? videamus. Scribit l. c. magnifice ita: *Multa in hunc locum Euangeliſtae viri docti, quae non ſunt VNIVS ASSIS.* (Quam modeſte!) *Neque ſane phraſin illam οἱ παρ' αὐτοῦ ſatis intellexiſſe videntur;* (neque tu, bone Vir, ſatis intellexiſſe videris.) *Aliud eſt οἱ παρ' αὐτοῦ, aliud οἱ παρ' αὐτῷ,* (atqui hoc omnes nouimus ſine alicuius Angli doctrina.) *Marci autem verba, QVOD NEMO VIDIT,* (tu igitur vnus lynceus, vel potius Argus es, et qui ante te vixerunt, omnes talpa coeciores fuerunt,) *corrupta ſunt et mutila, nec MSS. vllam opem adminiſtrant,* (Ain' tu? Conſule WETSTENIVM) *niſi quod nonnulli exhibent περὶ αὐτοῦ, idque recte admodum.* Quibus praemiſſis, locum d. Marci *corrumpere*, (*emendare* volebamus dicere,) inſtituit. Non pigebit, breuem et modeſtam cenſuram hic agere. Iam primum, quaero ex te, TOVPI, quare οἱ Φαρισαῖοι a te huc ducti, ſiue potius obtorto collo tracti ſint? Nam nullum vnquam Codd. MS. citare poteris, vbi *iſti nebulones* tui in hoc Marci loco conſpiciantur. Quod enim in nonnullis haec verba leguntur: ὅτε ἤκουσαν περὶ αὐτοῦ οἱ γραμματεῖς, (non οἱ Φαρισαῖοι,) καὶ οἱ λοιποὶ, id e verſione *Goth.* et *Copt.* fluxit, atque adeo ex interpretatione eſt, vt dudum MILLIVS et WETSTENIVS ad h. l. monuerunt. Hoc igitur tuae cauſae nullo modo patrocinatur. Quare igitur *Phariſaei* a te huc tracti ſunt? Quia mox, inquis, *Scribae* memorantur. Egregia vero et grauis ratio! Quaſi ſemper et vbique τῶν Φαρισαίων mentio ſcriptoribus ſacris facienda fuerit, vbi τῶν γραμματέων meminerunt. Curioſa Euangeliſtarum lectio alia te docere poterat. Et tamen de his voculis, οἱ Φαρισαῖοι, temere Marco obtruſis, tam mirifice ſibi placet, vt ſcribat: *Vides, quam pulchre nebulones iſti Phariſaei et Scribae hic copulentur, et quam appoſite Marci verba eis accommodentur. Dicebant Phariſaei,* ὅτι ἐξέστη. Dicebant Scribae, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει. Hi omnes *aliquid* dixerunt; ſed tu, TOVPI, multis verbis *nihil* dixiſti.

ſti. Videamus igitur, quid ſani his inſit. Et primo quidem, ipſius orationis cohaerentia nullo modo concedit, vt vox ἀκύσαντες ad *Phariſaeos* referatur, ita, vt ineptum et temerarium ſit, οἱ Φαρισαῖοι d. Marco obtrudere velle. Nam vox ἀκύσαντες habet ſuum ſibi ſubiectum, diſerte additum, nempe οἱ παρ᾽ ἀυτῦ; qui autem hi ſint, paullo poſt videbimus. Quid? quod, ſi οἱ Φαρισαῖοι Textui intrudere velis, voces παρ᾽ ἀυτῦ (vel, vt TOVPIVS mauult, περὶ ἀυτῦ) plane otioſae et nauci ſunt, quod TOVPII acutum ingenium non perſpexiſſe videtur. Iam videamus de ipſa huius loci interpretatione TOVPII. Et primo quidem τὸ ἀκύσαντες referri vult ad οἱ Φαρισαῖοι, qui iniquo Apolline, et iratis Muſis, huc tracti ſunt. Sed quaero, num in praecedentibus mentio *Phariſaeorum* facta ſit? Imo vero ne verbulo quidem, ſed meminerat tantum d. Marcus duodecim Apoſtolorum. Supra quidem v. 6. narrauerat, vbi Ieſus in Synagoga quadam cuiusdam manum, omnibus humoribus exſiccatam, miraculo quodam integritati ſuae reſtituiſſet, Phariſaeos cum Herodianis exiiſſe, conſultaturos, quibus artibus eum comprehenſum de medio tollerent. Mox autem Ieſum, ſubiungit, vna cum diſcipulis ad mare abiiſſe, poſtea montem aſcendiſſe, ibique duodecim Apoſtolos elegiſſe, nulla poſtea mentione in toto hoc Capite τῶν Φαρισαίων facta. Haec eſt orationis συνάφεια, hoc narrationis filum. In hac tota autem narratione mentionem Phariſaeorum ne vllo verbulo quidem factam animaduertes. Narratione autem de duodecim Apoſtolis electis confecta, pergit diuinus ſcriptor: καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον. Et quinam? niſi Textui vim inferre velis, nulli alii, quam duodecim Apoſtoli, et alii forte qui tunc in ſocietate Optimi Saluatoris noſtri fuerant, intelligi poſſunt. Nullum igitur Phariſaeorum veſtigium in tota hac narratione animaduertitur, neque adeo domum ingreſſi dici poſſunt Quomodo igitur iidem, de ſententia TOVPII, v. 21. domo egreſſi dici poſſunt?

ſunt? Hoc acutiſſimus TOVPIVS perſpexiſſe non videtur. Abeant igitur Phariſaei hinc in Morboniam, exſulentque proſcripti. Hic quidem nullus iis locus eſt. Quinam igitur domo egreſſi ſunt? Nempe eam antea ingreſſi. Et quinam illi? Scilicet nulli alii, quam, vt diximus, Apoſtoli, et alii forte, qui tum Ieſum comites ſecuti erant. Hoc totius orationis cohaerentia non tam poſtulat, quam exigit et efflagitat, adeo vt aut nihil videre, aut data opera coecutire videantur, qui aliter. Iam narrato, populum ad eam domum, vbi Ieſus eſſet, tanto agmine, et tumultu etiam confluxiſſe, vt ne cibum quidem capere poſſent: (nam ſiue *μήτε*, ſiue, vt quidam Codd. habent, *μηδὲ* optes, manum haud verterim:) ſubiungit d. Marcus: *καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον*, quae verba TOVPIVS, intruſis vocibus *οἱ φαρισαῖοι*, reddi vult, *et cum audiſſent de eo Phariſaei*, pro *παρ' αὐτοῦ* cum quibusdam Codd. legens *περὶ αὐτοῦ*. Sed iudica, Lector, an haec interpretatio filo narrationis conueniat, et non potius contorta et coacta, iſta autem *emendatio* ipſius Textus *corruptio* ſit cenſenda. Quanto ſimplicius, totiusque narrationis *συναφείᾳ* conuenientius eſt, haec verba ita interpretari: *Cum audiſſent*, *qui cum Ieſu erant*, populum foris tumultuantem, immodeſtiusque ſeſe gerentem, *egreſſi ſunt*. Omnino bonae et legitimae interpretationis ſignum, et character nunquam facile fallax, eſt *ſimplicitas* et *intelligendi facilitas*, contortae et nimis longe petitae contraria. Qui domi egreſſi ſunt, dicuntur *οἱ παρ' αὐτοῦ*. Et quinam illi fuerunt? Hic vero videas Viros doctos in varias, atque eas valde diſcrepantes ſententias eſſe diſtractos, apud WOLFIVM, *τὸν νῦν ἐν ἁγίοις*, in Cur. Philologg. ad h. l. Ipſe WOLFIVS, Vir poſt mortem etiam ob immortalia in rempublicam literariam merita venerandus, ſecutus RAPHELIVM, putat, hanc dictionem complecti *omnes*, *quocunque modo cum aliquo coniunctos*, *et h. l. praecipue ſumendam eſſe de propinquis ſeu fratribus Ieſu*, et ma-

Digitized by Google

matre. Sed dudum in *Obſeruatt. Flauian.* ad h. l. oſtendimus, hanc interpretationem neque linguae rationi, neque orationis *συναφείᾳ* conuenire. Nam v. 31. demum fit mentio fratrum Ieſu, eiusque matris, ita quidem, vt *foris adhuc ſtetiſſe*, et Ieſum *euocaſſe* dicantur. Quomodo igitur domo egreſſi dici poſſunt, cum eam antea non fuerint ingreſſi? Et videtur doctiſſimus WOLFIVS hic ſua ipſius vineta caedere, cum ad v. 31. retractata ſententia ſcribit, qui v. 21. *οἱ παρ᾽ αὐτοῦ* dicantur, eos intelligendos eſſe *diſcipulos, et alios, tunc Chriſto praeſentes*, qui adeo neceſſario a matre ipſius et fratribus diſtinguendi ſunt. Nos quidem nondum poenitet eius ſententiae, quam olim in *Obſeruatt. Flauian.* l. c. afferebamus, et qua verba, *οἱ παρ᾽ αὐτοῦ*, ita reddenda dicebamus, *qui vna cum Ieſu in domo erant.* Quinam autem illi? Nempe Apoſtoli a Ieſu paullo ante conſtituti, et forte alii, qui v. 19. domum ingreſſi dicuntur. TOVPIVS autem, qui Interpretes hanc phraſin *οἱ παρ᾽ αὐτοῦ* non ſatis intellexiſſe ſcribit, hanc interpretationem eo nomine non poſſe admitti putat, quod dicendum fuiſſet *οἱ παρ᾽ αὐτῷ*, non *οἱ παρ᾽ αὐτοῦ*. Quid? quod IO. AVG. ERNESTI, Vir annis et meritis maxime Venerabilis, doctor meus non ſine acerrimo grati animi pietatisque ſenſu mihi nominandus, in *Biblioth. Theolog.* T. VIII. p 20. ipſe quoque de hac interpretatione noſtra videtur dubitare. Iam, etſi graecarum literarum non ita ignari ſumus, vt neſciamus, vſitatius hoc ſenſu *οἱ παρ᾽ αὐτῷ*, quam *οἱ παρ᾽ αὐτοῦ*, eſſe: tamen iidem ſcimus, etiam *οἱ παρ᾽ αὐτοῦ* eodem ſenſu, vt *ſui*, ſ. *qui cum aliquo ſunt*, denotet, Graecis dici. 2 Samuel. 2, 31. Davidis milites dicuntur in pugna *πατάξαι τῶν υἱῶν Βενιαμὶν τριακοσίους ἑξήκοντα ἄνδρας* ΠΑΡ' ΑΥΤΟΥ h. e. *ſuorum, qui cum ipſo erant.* Apud ipſum d. Marcum 5, 26. eſt, *δαπανήσασα τὰ* ΠΑΡ' ΑΥΤΗΣ *πάντα*, *cum omnia SVA impendiſſet.* Neque profanis auctoribus haec loquendi ratio eſt inſolens. POLYBIVS IV, 11.

 οἱ

οἱ τῶν Ἀιτωλῶν ἱππεῖς σπεύδοντες συνάψαι τοῖς ΠΑΡ' ΑΥΤΩΝ πεζῶν, hoc eſt, *pedites, qui cum IPSIS erant*; et mox C. 12. παραγγείλαντες βοηθεῖν καὶ συνάπτειν τοῖς ΠΑΡ' ΑΥΤΩΝ ἐυζώνοις. Quae loca iam in hanc rem laudauit BOISIVS in *Collat.* Vet Interprett. p. 109. Hi igitur, qui vna cum Ieſu erant, egreſſi domo, dicuntur κρατῆσαι αὐτόν. Quem igitur? TOVPIO quidem dubium non eſt, quin ad Ieſum αὐτόν ſit referendum. Reddit enim: *Exierunt comprehendere eum.* Cum autem vox Ἰησοῦς non praeceſſerit, quippe quae non hic, ſed ſupra v. 7. occurrit: niſi Textui vim inferre velis, ipſa neceſſitas exigit, vt vox αὐτὸν ad proximius ὄχλος referatur. Quod cum συνάφεια orationis, et legitimae interpretationis ratio poſtulet, conſequens eſt, κρατῆσαι h. l. non eſſe poſſe *comprehendere*, ſed *compeſcere, ſedare*, quo ſenſu haec vox occurrit Apocalypſ. 7, 1. vbi quatuor Angeli d. Ioanni viſi ſunt, κρατοῦντες τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος: vbi κρατῆσαι diſerte eſt *continere, compeſcere.* Igitur qui cum Ieſu erant, egreſſi domo ſunt, *vt COMPESCERENT, SEDARENT populum, ferocius tumultuantem.* Reſtant verba: ἔλεγον γάρ ὅτι ἐξέστη. Qui autem? TOVPIVS vna cum aliis accipit de Ieſu, quaſi is *inſaniret.* Sed, quemadmodum τὸ αὐτόν non ad *Ieſum*, quippe *remotius*, ſed ad *proximius, populum*, eſt referendum, vt paullo ante oſtendimus: ita ipſius narrationis cohaerentia exigit, vt τὸ ἐξέστη etiam ad *populum* referatur, vti etiam b. WOLFIVS in *Cur. Philologg.* ad h. l. recte accepit. Et optime ſane hoc verbum populo, paullo immodeſtius ſe gerenti, licentiusque tumultuanti, conuenit. Notum eſt, vti μαίνεσθαι de *omni immodeſtia, nimiaque licentia et ferocia* vſurpetur; et τῷ σωφρονεῖν opponatur: ita eodem modo τὸ ἐκστῆναι interdum ſumi, et τῷ σωφρονεῖν opponi, v. c. 2 Cor. 5, 13. quamquam ibi ſenſu diuerſo. Ieſaiae 28, 7. *qui mero paullo liberalius ſeſe ingurgitarunt*, atque adeo de ſtatu mentis veluti deiecti inſaniunt, ἐκστῆναι di-

dicuntur, vbi in Ebraico eſt שָׁגַע. Contra ea ἐκστῆσαι, ſignificatione actiua apud DEMOSTHENEM eſt *aliquem in furorem, ad inſaniam redigere.* Locus eſt in Orat. c. *Midiam* p. 56. Edit. min. TAYLORI. Ταῦτα (*nempe fuſtibus caedi, et contumelioſe tractari,*) ἐξίστησιν ἀνθρώπους ἑαυτῶν, *homines ad inſaniam adigunt.* Alia, atque plura in hanc rem exempla, inuenies apud WETSTENIVM in Not. ad h. l. Marci, quae ſublecta huc ambitioſe congerere non lubet. E linguae igitur ratione, et ex ipſius narrationis cohaerentia, τὸ ἐξέστη ad *populum*, ferocius tumultuantem, referendum eſt, ita, vt *furere*, et *inſanire* dicatur. Noſtri eodam ſenſu dicunt: *Das Volk iſt, thut ganz raſend und unſinnig.* Neque aliter interdum Latinorum *inſanire.* His diſputatis, ipſe, Benigne Lector, ſedeas iudex, vtra harum interpretationum ſua ſe ſimplicitate et facilitate magis commendet, TOVPII ne, quae haec eſt: *Cum Ieſus de monte, vbi XII. Apoſtolos conſtituerat, deſcendiſſet, et vna cum illis domum quandam ingreſſus eſſet, et populus denuo tanto agmine, tumultu etiam, eo confluxiſſet, vt nihil cibi capere poſſent: et cum audiſſent de eo PHARISAEI,* exierunt comprehendere eum: (per Graecismum: *Dicebant enim, quod inſaniret:* (eum inſanire:) an haec noſtra: *Quum, qui vna cum Ieſu erant* in illa domo, *audiſſent*, ſc. populum foris tantopere tumultuantem, *exierunt, vt eum compeſcerent, ſedarent. Dicebant enim: furit, inſanit.* Niſi nos rei ſuſceptae amor fallit, inque transuerſum rapit, nobis perſuademus, hanc interpretationem, quae nihil coacti et contorti habeat, nihil quod linguae rationi aduerſetur, nihil quod non cum antecedente narratione amiciſſime conſpiret, et vno orationis filo contextum contineatur, hanc, igitur, interpretationem longe eſſe multumque praeferendam. Nam, ne dicamus audacter et violenter a TOVPIO, ſine vlla Codd. ope intruſos, et d. Marco obtruſos *iſtos nebulones*, τοὺς Φαρισαίους, vocesque περὶ αὐτοῦ; quam lectionem Vir doctus recipit,

tunc plane otioſas eſſe: totius narrationis d. Marci *συνάφεια* neque emendationem, *truculentam* ſane, et *nefariam*, vt aliquam KVSTERI modeſte vocat, neque interpretationem contortam et coactam, admittit, ſed procul hinc exſulare iubet. Haec paullo fuſius disputare viſum eſt, non quo famae TOVPII, quicum neque ingenio ſumus, neque doctrina comparandi, et quem ob exquiſitiorem, et reconditiorem literarum graecarum cognitionem magni facimus, detractum aliquid delibatumque vellemus: ſed vt iuuenes, literarum cum omnium omnino, tum ſacrarum inprimis ſtudioſos, hac occaſione praemuniremus, ne magnorum Virorum auctoritate et fama illuſtri auferri ſe, abripique patiantur. TOVPIO quidem, multum abſumus, vt credamus, hanc noſtram interpretationem probatum iri, cum, de ipſius ingenua confeſſione, ſciamus, ei *non niſi SVA VNICE placere.*

Quemadmodum autem TOVPIVS hoc loco liberaliter d Marco de ſuo aliquid largitus eſt, quod nemo cupiebat: ita alio loco eidem aliquid violenter eripuit, quod iuſtis veluti vindiciis eſt reſtituendum. Nobiliſſimus huius ipſius diuini Scriptoris locus eſt C. XI, 13. qui ingenia virorum doctorum mire exercuit, et inprimis ob verba, *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, in varias, atque eas maxime diſcrepantes ſententias diſtraxit, quas, hinc inde ſane mirificas, qui cognoſcere cupiat, adeat b. WOLFIVM in Cur. Philologg. ad h. l. Iam dudum hoc opus doctiſſimi WOLFII in lucem prodierat, cum ABRESCHIVS, Vir graece ſane doctiſſimus, ſed in interpretando interdum nimis argutus, in *Lectt. Ariſtaenteis* p. 15. ſqq. nouam horum verborum interpretationem nobis ſuppeditauit. Et quamnam? Nempe hanc: *Neque enim tractus locusue ficuum ferax erat.* Quam interpretationem Illuſtris TRILLERVS, Hippocrates ille Vitembergenſis, Vir graecarum literarum peritiſſimus

mus, ſecutus, adornandam ſibi, pluribusque locis confirmandam, ad *Thom. Magiſtrum* p. 49C. ſumſit, laudatis etiam ibi bis *Obſervatt. Miſcellaneis,* quae Amſtelodami ab anno inde 1732. ſqq. cura BVRMANNI et DORVILLII prodierunt, in quibus nihil, quod huc faciat, inuenimus. Neque negandum eſt, ſi hic τȣ̃ καιρȣ̃ ſignificatus vſu loquendi Graecorum confirmari poſſit, hanc facillimam commodiſſimamque rationem difficultatis in his Marci verbis tollendae eſſe. Sed nos, qui tantum non omnes libros, ab his duobus Viris doctiſſimis in hanc rem laudatos, in bibliothecula noſtra habemus, et omnia loca ab iis excitata conſuluimus, diligenterque perpendimus, bona fide confirmare poſſumus, inter tot loca allegata nos ne vnum quidem inueniſſe, qui hanc τȣ̃ καιρȣ̃ ſignificationem probaret. Scilicet his Viris doctis non probandum erat, καιρὸν interdum etiam *opportunitatem, commoditatem* etc. notare, (nam de hoc nemo facile dubitet: ſed luculentis exemplis docendum erat, τὸν καιρὸν σύκων etiam notare *locum tractumue ficuum feracem.* Quod cum, omnibus exemplis allatis, praeſtitum non ſit, nullo modo huic interpretationi aſſenſus noſtri veluti calculum addere poſſumus. Quodſi hi Viri doctiſſimi, ante quam haec ſcripſerant, TOVPII *Emendatt.* in SVIDAM vidiſſent, facile poterant iſto ſollicito et anxio tot loca anquirendi et congerendi labore ſuperſedere. Nam hic iis breuiorem viam, faciliorenique rationem, omnis huius difficultatis remouendae in his Marci verbis, quae Interpretibus tantum non omnibus crucem fixerunt, oſtendiſſet. Et quamnam? Nempe hanc, vt verba ȣ̓ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, inducta et deleta e Marco penitus proſcribantur. Egregiam vero cum Scriptoribus ſacris agendi rationem! Hoc quidem non interpretari, ſed vrere et ſecare eſt, et impia quadam temeritate in libros ſacros graſſari. Sed iuuat, ipſum TOVPIVM audire, qui P. II. p. 86. ſq. ita: *Locus Marci, qui decantatiſſimus eſt, et erudi-*

ditiſſimorum hominum ingenia ſatis ſuperque exercuit, ſi verum amamus, non niſi LITVRA donandus eſt. (Enimuero hanc *donationem*, quam *ereptionem* potius dixeris, nemo facile cupiat.) *Pro certo habendum, Ieſum non acceſſiſſe ad arborem, niſi καιρῷ σύκων. His poſitis, nihil iam reſtat, niſi vt iſta verba, οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, DELEAMVS, vel, quod perinde eſt, pro GLOSSEMATE habeamus. Quod unice VERVM EST. Huc accedit, quod Marcus plerumque quaſi Matthaei Epitomator cenſendus eſt. Atqui Matthaeus iſtam caudam non habet. Eſt igitur, vt dixi, gloſſema, et PVTIDISSIMVM quidem, quod ad marginem ſui Codicis alleuerat neſcio quis, qui ſibi ſapere videbatur.* Subtilem vero concludendi rationem: Quoniam haec Marci verba in Matthaeo non leguntur, ergo delenda, et pro gloſſemate habenda ſunt. Quodſi haec concluſio valeret, bone Deus! quot verba in Marco inducenda et delenda eſſent! Et qui tandem factum eſt, mi TOVPI, vt hoc Gloſſema, vni Codici adlitum, in omnes omninò Codd. transfunderetur? Expedi mihi hoc, ſi potes. Sed preſſius cum TOVPIO agamus. Num vllus Codex MS. in quo haec verba deſiderentur, eum eo adegit, vt hic vreret et ſecaret? Nominet vel vnum, ſi poteſt. Nos quidem neque in MILLIO, neque in BENGELIO, neque in WETSTENIO, tale quiddam vidimus notatum. Num ipſius rei neceſſitas vrget, vt haec verba, tanquam facto Chriſti indigna, deleta e Marco proſcribantur? Imo vero nihil minus. Quae igitur te, TÓVPI, ratio ad hanc crudelem medicinam adegit? Nulla ſane. Sed *ſic volo, ſic iubeo, ſtat pro ratione voluntas.* Enim vero ferendum non eſt, tam temere et proterue cum libris ſacris agi. Iſta effrenis emendandi, ſiue potius corrumpendi licentia, ne in libris quidem profanis fertur, multique huius audaciae ſuae P. BVRMANNO, DORVILLIO, et aliis, ſatis poenarum dederunt. Et haec animi leuitas in libris diuinis, qui non niſi cum ſumma reue-

uerentia tractandi ſunt, aequo animo feratur? Et quid tandem de libris ſacris fiat, ſi vnicuique iſta proterue graſſandi lubido, iſte pruritus emendandi, vrendi et ſecandi, impune abeat? — In vniuerſum haud fallax ſuperbi ingenii humani ſignum eſt, in libris ſacris, omninoque rebus diuinis, omnia exiguo ingenii modulo metiri, et, quod pro mentis tuae anguſtiis capere non poſſis, vel emendare, vel expungere, vel tamdiu miſere et peruerſe interpretando torquere velle, donec captui tuo ſatisfacere, et probari videatur. In vno Nouo Teſtamento loca ſunt multa, v. c. ille *creatura ingemiſcente*, *de baptiſmate ſuper mortuis*, et innumera alia, quae nondum neque ingenium acutiſſimum, neque doctrina exquiſitiſſima, neque interpretandi facultas dexterrima, ita interpretationis luce colluſtrare potuit, vt nihil obſcuritatis, nihil difficultatis ſuperſit. Et in haec loca omnia falx critica immittatur? ibi quoque vratur et ſecetur? Hoc vero Deus prohibeat! Mali ſane, quin crudelis medici eſt, ibi ſtatim ad vrendum et ſecandum decurrere, vbi lenior medicina vlceri adhiberi poteſt. Quamquam autem TOVPIVS nullam rationem adiecit, quare haec Marci verba, *ὀ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, deleri vellet: tamen coniectura facile eo duci poſſumus, vt putemus, eum crediſſe, ea antecedentibus non reſpondere. Ita exiſtimarunt et alii, qui crediderunt, *indignum Optimo Saluatore noſtro videri*, *ficus quaerere tempore eo*, *quo expectari non poſſet.* Neque tamen vllus eorum eo audaciae progreſſus eſt, vt hac verba inducenda et proſcribenda cenſeret. Quomodo igitur tu, inquis huius loci difficultatem tolles? Nempe ita; vt dicamus, *Ieſum*, *vti hoc*, *quod eſurierit*, *oſtendit ſe verum eſſe hominem: ita hoc miraculo documentum quoddam*, *atque id illuſtriſſimum*, *diuinitatis ſuae edere voluiſſe.* Nam *συκῆ ἔχουσα φύλλα*, eſt *ſana et viridis arbor*, quae adeo natura ſua paucis diebus poſt arida fieri, ſine miraculo quodam, non poterat. Et hoc quidem miraculo ſtupendo eui-

tabat ſcandalum, quod et Diſcipuli eius, et Iudaei, inde accipere potuiſſent, quaſi externa iſtius ficus ſpecie imponi ſibi paſſus eſſet. Et quam neceſſarium hoc miraculum tunc temporis Diſcipulis erat, ad fidem eorum, imbecillem adhuc et infirmam, alendam et confirmandam? Neque attinet, hic argute diſputare, et male curioſe quaerere, iuſtene, an iniuſte, Ieſus huic ficui maledixerit, eamque fertilitate ſua in perpetuum priuarit. Neque a vero abhorrens eſt, Seruatorem Optimum illam arborem, foliis viridibus quidem condecoratam, fructus autem non habentem, aridam reddidiſſe eo conſilio, vt hoc miraculo imminens Iudaeorum fatum funeſtiſſimum ſignificaret, quamquam culpa iſtius ſterilitatis mox inſecutae in ipſa arbore non reſideret. Scilicet, ſimilitudines vltra praecipuum conſilium non ſunt extendendae, vt GLASSIVS noſter, aliique dudum docuerunt. Iuuat his adiungere verba DEYLINGII Obſeruatt Sacr. P. III. p. 220. ſq. *Etſi Chriſtus non ignorauit, arborem illam, quam eminus conſpiciebat, infrugiferam eſſe, procul etiam adhuc abeſſe* ΚΑΙΡΟΝ ΣΥΚΩΝ - - *tamen ex obuia illa arbore occaſionem capturus, et miraculum editurus ad inſtituendos confirmandosque diſcipulos, ad eam diuertit. Cumque nihil in ea praeter folia inueniſſet, exſecrationis formulam contra eam pronunciauit, oſtenditque, ſe non ſolum ſummum ius habere arbitriumque in omnes res creatas, ſed velle etiam eadem ratione hypocritas, ac Iudaeos ſigillatim, tanquam arbores inutiles, nullos fructus ferentes, poenitentia dignos, aliquando exſcindere et delere. Hic ſubſiſtendum, nec parabolam vltra Seruatoris mentem extendendam opinamur.* Bene profecto, et ſapienter! Non pigeat huc transferre, quae WETSTENIVS in Nouo Teſtamento ſuo ad h. l. ſcripſerit, cum hic liber, qui inſano fere pretio venire ſolet, apud nos quidem pauciſſimorum manibus teratur. *Hinc notationem temporis* (ὀ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων) *Marcus interiecit, vt totam hiſtoriam illuſtraret. Res ita ſe habet. Si Chriſtus tempore ficuum ma-*

tu-

turarum ad arborem accedens nil niſi folia reperiſſet, non tamen id praebuiſſet certum indicium arboris infoecundae et maledictione dignae: potuiſſent enim fructus omnes ex arbore fertili paullo ante decerptae (decerpti) *fuiſſe; at, cum ante tempus maturorum ficuum folia exhiberet, et ius ſpes erat, etiam ficus in ea inueniendi, et iuſta indignatio, cum nil niſi folia reperirentur,* Caeterum TOVPIVS l. c violentae medicinae ſuae, d. Marco adhibitae, aſſuit lacinium hanc: *Ad ficum arborem παρὰ καιρὸν accedere, παροιμιωδῶς dici videtur de homine STOLIDISSIMO, et qui horas neſciret. Quod viros doctiſſimos ad hunc locum fugiſſe miror.* Sed bene eſt, quod Viros doctiſſimos hoc prouerbium, ſi vllum vnquam fuit, hic fugit, cum ne cogitando quidem, ſine ſummae impietatis crimine, in Chriſtum conferri poſſit. Sed ad alium locum accedamus.

Ioannis XIX, 29. verba ſunt, quae Interpretibus multum negotii faceſſerunt, et occaſionem, varias difficultatis tollendae rationes excogitandi, dederunt. Nempe Euangeliſta narrat, πλήσαντες σπόγγον ὄξυς, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτῦ τῷ σόματι. Difficultas inde exiſtit, quod *hyſſopum* conſtat herbam fuiſſe humi fere repentem, nec in altum ſurgentem, vt vel e I. Regg. 4, 33. intelligi poteſt, vbi Salomo dicitur arborum hiſtoriam ſcripſiſſe ab *hyſſopo* ad *cedrum*, h. e. *a minia vsque ad altiſſimam.* Quomodo igitur *hyſſopus* bacilli vſui inſeruire, ſpongiaque circumdata ſitienti Seruatori, in cruce pendenti, porrigi potuit? Hic nodus eſt, quem Viri docti varia ratione non *ſecare*, ſed, reuerentia ſacris literis debia obſeruata, *ſoluere* ſtuduerunt. Nos quidem non ignoramus, huic difficultati tollendae afferri loca, vbi commemorentur *caules bipedales.* Sed quis ſtatim eiusmodi fruticem ad Crucem attulerit? et quomodo militi in mentem venire potuerit, eo vti? TOVPII autem frugiferum ingenium huic male affecto loco, vt

ipſi quidem videtur, praeſentem medicinam attuliſſe ſibi viſum eſt, quam ab alterius ope fruſtra expectaſſes. Quid igitur? pro ὑσσώπῳ legit ξυςῷ. Audiamus ipſum P. II. p. 166. *Quod ὕσσωπον Iohannes, κάλαμον vocat Matthaeus, de quo mox videbimus. Illud autem vel FVRCA EXPELLENDVM eſt.* (Manlianum vere imperium!) *Nam interpretationem vulgatam -- nec dii, nec homines, vt ille ait, ferre potuerunt.* (Quam feſtiue!) *Reſcribendum OMNINO*: καὶ ΞΥΣΤΩι περιθέντες. *Quae quidem vox huic rei accommodatiſſima eſt. Quod ex loco Dexippi, et ſenſu Apoſtoli, ſatis patet.* Ξυςῷ *enim, ſiue* haſtula longiori *opus erat ad ſpongiam ori admouendam. Quod Matthaeus* Κάλαμον *vocat. Idem autem quodammodo* Ξυςὸν *et* Κάλαμος. -- *Quare locum Ioannis, qui Matthaeo reſpondet, ita TANDEM* (tandem vero? immo non vnus Interpretum dudum ante quam tu natus eſſes ſic interpretatus eſt) *interpretandum eſſe cenſeo: Illi vero implentes* (immo vero e Graecorum ratione Temporum *cum impleſſent*) *ſpongiam aceto, et HASTVLAE affigentes* (affixiſſent) *eius ori appoſuerunt. -- Quod veriſſimum eſt*: (vt omnia tibi tua videntur.) *Error autem ortus videtur ex omiſſione literae initialis. Hinc* οςῳ - υσσῳ - υσσωπῳ. Vides igitur, Erudite Lector, qua ratione *vtriſſima* lectio d. Ioanni ab ignaris Librariis fuerit erepta, et cum alia, *quam nec dii, nec homines ferre potuerunt*, commutata. Operae pretium fuerit hanc *veriſſimam* emendationem ſub examen vocare. Iam primum haec emendatio nullius Codicis auctoritate nititur. Neque enim apud MILLIVM, neque BENGELIVM, neque WETSTENIVM, neque GRIESBACHIVM, aliquid variantis, quod TOVPIO patrocinetur, inuenies. Quid? quod Syrus, facile omnium vetuſtiſſimus Interpres, lectionem receptam agnoſcit, vt dudum Caſaubono, Deylingio, aliiſque eſt obſeruatum. Deinde haec emendatio ξυςῷ nimis longe a vulgata recedit, ita vt ne vlla quidem ſuſpicio ſuboriri poſſit, blaeſum quendam Librarium

rium pro ξυςῷ ſcripſiſſe ὑσσώπῳ. Nam ductus literarum vocum ΞΥΣΤΩι et ΥΣΣΩΠΩι tam diuerſus eſt, vt talpa coecior ſit, quin ipſo adſpectu animaduertat. Quodſi in ſacris literis locus ſit coniecturis, in Textum autem minime inferendis: quanto melior, et ipſa ſimplicitate facilitateque ſua commendabilior eſt ea, quam iam ante CC annos IOACHIM. CAMERARIVS, inſigne Germaniae doctae decus, in *Commentario* ſuo in N. T. ad h. l. ingenioſiſſime excogitatam, modeſte, et cum reuerentia literis ſacris debita, protulit, qui pro ὑσσώπῳ legendum ὑσσῷ *pilo, haſtae*, cenſet: poſſis etiam, vt propius ad ὑσσώπῳ accedat, legere ὑσσῷ τῷ, *haſtae cuidam*. Nam finge, de antiquiſſima litera ſcribendi ratione fuiſſe ΥΣΣΩι ΣΩι: quid facilius Librario erat, ſcribere ΥΣ ΣΩΠΩι, cum in Codd. graecis vetuſſimis non multum diſcriminis inter Π et Τ, quoad figuram intercederet, atque adeo a Librario, minus curioſo facile vtraque litera confundi poſſet. Haec emendatio ſiue potius coniectura, etſi facilitate ſua prae violenta illa TOVPII, melius ſeſe commendat: tamen, vt ille ait, copiae noſtrae non adeo in anguſtum coguntur, vt ad illam ſit confugiendum. Audi, TOVPI, quanta cum modeſtia, reuerentia et religione CAMERARIVS hanc ſuam coniecturam proponat. *Quodſi,* inquit, *coniecturis locus relinquitur, quidſi* LICEAT SVSPICARI, *in archetypo fuiſſe* ὑσσῷ περιπεριθέντες, *ut ſit, ſupra pilum ſpongiam ibi circumdatam Ieſu fuiſſe oblatam. - - Sed haec in medio relinquo, atque adeo illabefactata veritatis neceſſariae cognitione ignorari poſſe exiſtimo.* IS. CASAVBONVS, Vir, iudice SALMASIO, nunquam ſatis laudandus, etſi ſemper laudetur, in *Exercitatt. Anti Baron.* XVI. 88. quamquam hanc CAMERARII coniecturam *ingenioſiſſimam* vocat: tamen *veram* non putat, multo minus, vt tu TOVPI, tuam *veriſſimam*, cenſet, rationibus duabus inductus his: quia *editam* lectionem omnes, agnoſcant Interpretes, etiam Syrus, omnium, vt putat, vetuſtiſſimus, et quia pi-

pilum Romanum craſſius telum fuerit, quam vt vſum arundinis poſſet praebere. Quibus dictis, ſubiungit haec notatu, et omnibus Scipturae Sacrae Interpretibus imitatu digniſſima verba: *Omitto periculum mutandi vel minimum apicem in libris ſacris, vbi praeſertim conſtat de vulgatae lectionis vetuſtate, niſi vltima vrgeat neceſſitas. Quare ſatius ἐπέχειν.* Audin' tu illum, TOVPI? Neque hic vlla neceſſitas TOVPIVM vrgebat, lectionem vulgatam emendandi. Nam, vt dudum SALMASIVS in *Exercitatt.* de *Homonymis Hyles Iatricae* c. 19. et poſt eum STEPHANVS LEMOINE in *Not. et Obſeruatt. ad Var. Sacr.* T. II. p. 728. ſqq. fuſius docuerunt, quos et DEYLINGIVS in *Obſeruatt. Sacr.* P. I. p. 233. ſecutus eſt, hyſſopus fuit quaedam arboris ſpecies, (quam procerae, diſputare nihil attinet,) cuius rami bacillorum vſui inſeruire potuerunt: et cum Crux Optimi Saluatoris noſtri tam alta non fuerit, quin extenſa hominis manus, modico bacillo adiuta, ad os cruci affixi pertingere potuerit: non eſt, quod hanc lectionem, veterum auctoritate, vnanimique conſenſu confirmatam, ſollicitemus, et loco eius proſcriptae cum TOVPIO ξυσῷ legamus, cf. ad h. l. WETSTENIVS.

Adiungamus adhuc vnum locum 1 Cor. XI, 10. *Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους*, qui ob voces ἐξουσίαν et ἀγγέλους merito in cenſum δυσνοήτων Paullinorum referendus eſt, atque adeo interpretum ingania mire torſit. Cui volupe eſt et vacat, varias Interpretum ſententias cognoſcere, ei adeundus eſt b. WOLFIVS in *Cur. Philolgg.* ad h. l. In iis quaedam ſunt tam mirificae et contortae, vt mirer, eas cuiquam vnquam in mentem venire potuiſſe. Eſt ſane hic locus Commentatorum crux. Magni illius IAC. GOTHOFREDI diuinatio, conîicientis, pro ἐξουσίαν legendum eſſe ἐξουβίαν, etſi quibusdam valde arriſit, tamen iure a SALMASIO de *Caeſar. et Coma*

ma p. 693. vanitatis conuicta, penitusque eſt exploſa. Quid autem TOVPIVS? Scilicet hic facillima ratione hunc intricatum locum expedit, cum hunc veluti nodum Cordium non ſoluat, ſed gladio Alexandreo ſecandum arbitretur. Quid multa? Pro ἐξȣσίαν hic Dictator P. I. p. 24. ſcribendum pronunciat ἐξιȣ̃σα, hoc modo: Διὰ τȣ̃το ὀφείλει ἡ γυνὴ ΕΞΙΟΥΣΑ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Quapropter oportet mulierem, cum prodit in publicum, velato eſſe capite.* Et hac temeraria et audaci emendatione adeo ſibi placet, vt ſperet, omnes literarum ſacrarum ſtudioſos magnam ei gratiam eo nomine eſſe habituros. Sed iuuat ipſum audire l. c. ita loquentem: *Omnes ingenii ſui neruos intenderunt viri docti in explicanda voce ἐξȣσία. In quo quidem operam atque oleum perdiderunt vniuerſi.* (Paullo poſt videbimus, an tu vtrumque bene impenderis.) *Neque enim explicatione, ſed EMENDATIONE eget iſta vox. Quare omnes ſacrarum literarum ſtudioſos GRATIAS habituros mihi ſpero.* (Quid non ſperamus amantes? Equidem tibi nondum aſſem paraui,) *ſi Apoſtolo, qui a multis ſeculis MISERE DECVBVIT,* Scilicet, ante te nullus Aeſculapius venerat,) *opem et medicinam CERTISSIMAM TANDEM attulero. Reſcribendum vna literula amata:* Διὰ τȣ̃το ὀφείλει ἡ γυνὴ ΕΞΙΟΥΣΑ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *idque vtique* διὰ τȣ̀ς Ἀγγέλȣς. *Quod poſtremum aliis explicandum relinquo.* Quantum vanae iactantiae, quantum gloriationis his ineſt! Videamus iam, quid medicinae, atque eius *certiſſimae,* Paullo, qui a multis ſeculis *miſere decubuit,* hic Epidaurius Aeſculapius attulerit. Et *primo* quidem contendimus, hanc emendationem eo nomine *temerariam* et *audacem* eſſe, quod, vt verbis SALMASII de *Com.* et *Caeſar.* p. 694. vtamur, *tota antiquitas, etiam vltima, vulgarem lectionem tuetur. Omnes Patres, omnes Interpretes, Syri, Arabes, Aegyptii, Latini, eam agnoſcunt. Non de nihilo eſt tantus et tam inueteratus conſenſus.* Quid? quod nullus Codd. MSS. huic temerariae emendationi ſuffra-

fragatur. Oſtende mihi, TOVPI, EMELLIO, BENGELIO, WETSTENIO, GRIESBACHIO, aut quouis alio, vel vnum Cod. MS. qui tibi hic faueat. Nunquam oſtendes. Vni igitur ingenio tuo, ſiue potius titillanti emendandi pruritui, haec lectio debetur. *Secundo*, dicimus, iſtam *emendationem* eſſe *ineptam*, h. e loco maxime incommodo et importuno allatam. TOVPIVS ſtabilire quidem eam commendabilemque reddere ſtudet loco quodam VALERII MAX. vbi Sulpitius Gallus vxorem ſuam dimiſiſſe narratur, quod eam *capite aperto foris verſantem* cognouiſſet. Sed et hic locus aeque inepte adductus eſt. Scilicet, Paullo l. c. non ſermo eſt de *egreſſu vxorum e domo in publicum*, ſed de *conuentu Chriſtianorum ad exercitationes pietatis inſtituendas*; et de *habitu*, quo amicti cum mariti, tum vxores ibi adeſſe et precari debeant. Et hanc dubitationem contra hanc TOVPII emendationem iam mouit acutiſſimus ERNESTI in *Biblioth. Theolog.* T. VIII. p. 18. Conſulat vnusquisque hunc locum Paullinum, et videat, an vllum ibi veſtigium deprehendat, quod eum ducat eo, vt credat, ſermonem ibi eſſe de *egreſſu vxorum in publicum*. Totius orationis Paullinae συνάφεια eum docebit, Apoſtolum ibi de *conventu fidelium, et habitu maritorum, vxorumque, quo precari debeant*, loqui. Sed hoc acutum TOVPII ingenium non vidit. Nam ſi vidiſſet, manum criticam intra paenulam continuiſſet. Et vel hac vna ratione emendatio TOVPII vanitatis conuicta eſſet reiicienda. *Tertio*, non dubitamus, hanc emendationem violentam vocare. Nam temere ſumitur, a Librariis, atque iis omnibus, veluti animorum conſpiratione facta, (nam in omnibus Codd. MSS. eſt ἐξουσίαν,) peccatum eſſe in literis, ſuo quaeque loco ponendis, adeo vt τὸ ε *tertio*, τὸ ι autem *quinto* loco fuiſſet ſcribendum. Hoc qui credere poteſt, is ad quiduis credendum facillime moueri poteſt. Et age, videamus, quae ſimilitudo et veluti cognatio inter has duas voces intercedat.

Pone

Pone tibi ob oculos ΕΞΟΥΣΙΑΝ et ΕΞΙΟΥΣΑ: et facile videbis, tantam literarum, quoad poſitum, eſſe diuerſitatem, vt nihil plane ſuſpicionis ſit, Librarios, atque eos omnes omnino, in ſcribendis literis labi potuiſſe. Et quid fiet literae vltimae *ν* in voce *ἰξιάλω? Iſta vero* inquit, *una literula amoueatur.* Scilicet Leo non captat muſcas! Parum igitur refert, literam aliquam in libris ſacris addas, an demas? Enim vero hoc, *παρ᾽ ἔμοιγε κρίτῃ*, eſt *violenter* cum ſacris literis agere. *Quarto* denique, iure affirmare nobis poſſe videmur, iſtam emendationem nullo modo neceſſariam, atque adeo plane *ſuperuacaneam* eſſe. Scilicet in auctoribus profanis adeo, quo quis Interpretum eſt ab ingenio felicior, a doctrina ornatior, et ab vſu interpretandi exercitatior, eo difficilius ad emendandum accedere ſolet, niſi locus ita depoſitus et conclamatus ſit, vt nulla ratione commoda aliqua interpretatione explicari poſſe videatur. Quanto conſideratius, quanto cautius nobis in libris ſacris verſandum eſt. Ipſa ſane reuerentia, iis debita, ab audacibus et temerariis emendationibus, a titillante corrigendi pruritu retinere nos debet iis etiam in locis, quae tantis difficultatibus implicita ſunt, vt omnem intelligendi interpretandique facultatem humanam ſuperare videantur. Vbi, ſi omnibus curioſe conſideratis, omnibus legitimis rite interpretandi adiumentis in ſubſidium vocatis, expedire te non poſſis: praeſtat, ignorantiam tuam, quae *docta* vocanda eſt, ingenue fateri, quam temere aliquid, et dictatorie pronunciare, aut *emendando* ado in libros ſacros irreuerenter graſſari, praeſertim cum nihil praeſidii videas a Codd. MSS. aut Editt. antiquis tibi ſuppeditari. Haec eſt mea in hac re mens: hic animi ſenſus, isque diuturnitate temporis, et longo rerum vſu, ita confirmatus, vt non, niſi cum ipſa vita mea, deponi poſſe videatur. Quodſi igitur tibi, TOVPI, hic locus Paullinus tantis difficultatibus impeditus videbatur, vt nulla ratio, eas tollendi, ſupereſſet: ingenui et modeſti Interpretis

 erat,

erat, ignorantiam tuam potius fateri, (turpe profecto non eſt, aliud neſcire, nam *non omnia poſſumus omnes*,) quam temere falcem criticam immittere, aut potius totum hunc locum Paullinum penitus intactum relinquere, praeſertim eum non ſponte oblatus, ſed occaſione vocis Ἀμπαλίω, ex SVIDAE explicatae, obtorto veluti collo huc tractus videatur. Neque vero hic locus ob vocem ἐξυσίας ad intelligendum et interpretandum ita difficiliis eſt, quin obſcuritatis tenebris diſcuſſis, interpretationis luce commode illuſtrari poſſit Nam curioſa Paullinae orationis συναφείας conſideratio non tam poſtulat, quam efflagitat, ἐξυσίαν h. l. nihil aliud eſſe poſſe, quam *velamen*, *tegumentum capitis*. Quod lex oppoſitionis, nunquam fere fallax, vnum optimorum et certiſſimorum interpretandi adiumentorum, luculentiſſime docet. Nam 1) dicitur v. 4. Πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος - - κατὰ κεφαλῆς ἔχων καταισχύνει τὴν κεφαλὴν αὐτῦ. Capite igitur *denudato* maritus in coetu fidelium precari debet. Quibus dictis, ſubiungit: Πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη - ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς. Mulier *contra ea* debet precari *capite tecto*, *velato*. 2) ἐξυσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς diſerte opponitur τῷ, ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ προσεύχεσθαι, et v. 6. τῷ, ὐκατακαλύπτεσθαι. E lege igitur oppoſitionis, ἐξυσία hic nihil aliud eſſe poteſt quam *velamen*, *tegumentum* capitis; adeo vt ſenſus verborum, Διὰ τῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξυσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, non alius, niſi hic, eſſe poſſit: *Vxor* in conuentu ſacro *velato capite* precari debet. Magnopere miramur, DEYLINGIVM in Obſeruatt. Sacr. P. I. LXII. p. 304. ſq. contortam ERASMI SCHMIDII, et HOMBERGII, in feliciſſimi ſane literarum ſacrarum Interpretis, interpretationem ſequi potuiſſe, e qua horum verborum, ἐξυσίαν ἔχειν ἐπὶ κεφαλῆς, ſenſus eſſe debeat, *mulieres debere poteſtatem et dominium in capite*, hoc eſt, in marito, agnoſcere. Quodſi hoc interpretari eſt, fateor, me, quidquid in libris

bris vel ſacris, vel profanis, obſcuri oblatum fuerit, facile interpretando illuſtrare velle. ERASM. SCHMIDIVS ad h. l. *ἐξουσίαν* ſumit pro *ſigno ἐξουσίας*, ſed *poſſiuae*, quod nimirum ſit *ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἀνδρὸς τεταγμένη*. Haec ſane tam mirifica et contorta ſunt, vt mirari ſubeat, eiusmodi quid cuiquam in mentem venire, aut in chartam adeo coniici potuiſſe. Maneat igitur, quod diximus, *ἐξουσίαν* h. l. nihil aliud eſſe, nec eſſe poſſe, quam *velamen capitis*, vt recte Scholia graeca per *κατακάλυμμα* interpretantur, quamquam adiecta ratio frigida eſt. Hic vero mihi videor vnum et item alterum audire muſſitantem: *Tune voci ἐξουσίας ſignificatum affingere audes, toti Graeciae inauditum, nec in Graeco Lexico meo inuentum?* Ego vero nec in Theſauro meo Stephaniano inueni, nedum vllo veterum Graecorum exemplo confirmatum viderim; et tamen contendo, *ἐξουσίαν* h. l. eſſe *tegumentum capitis*. Scilicet, vt hoc in literarum ſacrarum ſtudiorum gratiam dicamus, innumerae fere voces graecae in LXX. Senioribus et in N. T. libris occurrunt, quae Graeciae vel plane ignotae fuerunt, vel eo ſaltem ſignificatu vſurpatae, vt vnusquisque Graecorum, ex inferis redux factus, eas nunquam neque intelligere, neque aliis interpretari poſſet. Omnino tenendum eſt, in interpretandis locis Scriptorum, ſacrorum, tum profanorum, multa occurrere verba, quorum ſignificatio ita iunctura varietur, et a totius orationis *συναφείᾳ*, (*Contextum* vulgo vocant,) et a finitimis verbis ita afficiantur, vt vim poteſtatemque neceſſario habere debeant eam, quae, illis ſublatis et ipſa tollatur. Cum igitur eiusmodi verba, quae ſignificatum minus vſitatum habent, interpretamur, nobis neceſſario etiam interpretando ea ſignificatio tribuenda eſt quam vicina verba exigunt. Quod quale ſit, quibusdam exemplis clarius luculentiusque reddetur. Locum CICERONIS (de offic. I, 23.) *exercendum corpus, et ita afficiendum eſt, vt obedire conſilio rationique poſſit, in*

 exſe-

exſequendis negotiis, *et in labore tolerando*, ſi quis interpretari vult, poteſt, quin debet adeo, τὸ *efficiendum* per τὸ *adſuefaciendum* explicare, cum Contextus id non tam poſtulet, quam efflagitet. Interpres autem merito excipiendus eſſet riſu, qui τὸ *efficere* per ſe et nude, et extra orationis συνάφειαν contenderet idem ſignificare quod *adſuefacere*. Iam, quid notet *alicuius precibus nullum locum relinquere*, vel ii ſciunt, qui etiam aliquando Lexico LINDNERI, aut NEVBAVERI, vſi ſunt. Sed afferant hanc interpretationem ſuam ad hunc Ciceronis locum: (Lib. I. Epiſt. ad Diverſ. 1.). Pompeius *plane precibus noſtris non relinquit locum*; et videbit, quam ineptus, quam ridiculus ſenſus inde exiturus ſit. Nam eo loco notiſſima loquendi formula, *alicuius precibus nullum locum relinquere*, nihil aliud notat, quam *alicuius preces praeuertere*, *praeuenire*, *non tam diu exſpectare*, *donec ab altero rogere*, *ſed ſponte et antea facere*, *quod alter precibus cupiat impetrari*. Sed vnde tu, inquies, ſcis hanc interpretationem eſſe veram? Num tu alia loca in promptu habes, vbi haec loquendi formula eodem ſenſu vſurpata occurrat? Ego vero ne vnum quidem ſcio. Et tamen idem, qui hoc ingenue fateor, contendo, interpretationem allatam non tam veram, quam veriſſimam eſſe. Qui vero ſic? quia Contextus, et inprimis ratio adiecta, eam, nec vllam aliam, exigit. Sequitur enim: *Nam cum in ſermone quotidiano*, *tum in Senatu*, *ſic egit cauſam tuam*, *vt neque eloquentia maiore quiſquam*, *neque grauitate*, *nec ſtudio*, *nec contenſione agere potuerit*; *cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum*, *et amoris erga te ſui*. Abi nunc, et dubita de hac interpretatione. Atque, quid ſit *ſua ſponte aliquid facere*, ſciunt etiam qui nondum aere lauantur. Sed affer hanc vſitatam et vulgarem huius formulae vim poteſtatemque ad illa CICERONIS (Lib. 2. Epiſtol ad diuerſ. 15.) Facio hoc *non tam mea ſponte*, et redde: *ich thue dieſes nicht ſo wohl freywillig*: et videbis, te non, niſi inepte et ridicule

ſe interpretatum eſſe. Nam ibi, *non mea ſponte hoc facio*, nihil aliud eſſe poteſt, quam *ego hoc non primus facio, non primus hunc morem introduco, huius rei auctor ego non ſum.* Vnde autem certus eſſe poſſum de veriſſima horum verborum interpretatione? Vnde? Nempe e verbis vicinis, et toto Contextu, cum mox ſequatur, *quam potentiſſimorum duorum EXEMPLO.* Sed quoniam hic inprimis in locis quibusdam diuinorum librorum vel vindicandis, vel illuſtrandis verſamur, operae pretium fuerit, rem locis quibusdam, a LXX. Senioribus petitis, confirmare. Καταφρονεῖν quid ſit, vel tiro in literis graecis ſcit. Sed afferat hunc vulgatum ſignificatum ad locum Geneſ. 27, 12. vbi Iacobus Rebeccam his verbis alloquitur: Καὶ ἔσομαι ἐναντίον αὐτοῦ ὡς καταφρονῶν, et videbit, ſe ſenſum non, niſi ineptum, inde elicere. Quid igitur ibi καταφρονεῖν? Nempe *illudere, ſubdole decipere.* Quod vel inde intelligitur, quod Ebraicum, כִּמְתַעְתֵּעַ Aquila ὡς καταμωκώμενος, *ut irridens*, Symmachus autem ὡς καταπαίζων, *ut illudens*, expreſſerunt; quorum vterque cum probe ſciret, quid καταφρονεῖν h. l. eſſet, per μωκᾶσθαι et ἐμπαίζειν reddidere, quorum interpretatio ad intelligendum quidem eſt facilior, ſed LXX viralis, quoad ſenſum, eadem eſt. Nam iidem LXX. Seniores hanc vocem Ebraicam aliis locis, v. c. 2. Paralip. 36, 16. et Ieremiae 51, 18. per ἐμπαίζειν et μωκᾶσθαι reddiderunt. Sed hoc loco vſurparunt verbum, ſatis notum illud quidem, ſed ſignificatu paullo rariore, atque adeo a plerorumque intelligentia remoto. Quapropter etiam HESYCHIVS, in ſuo omnis literaturae graecae Prytaneo, hoc verbum καταφρονῶν dignum iudicauit, quod Gloſſa hac, Καταφρονῶν, καταβουλευόμενος, illuſtraret. Eſt igitur καταφρονῶν l. c. idem, quod ἐπίβουλος h. e. *inſidiator, deceptor, impoſtor, praeuaricator.* Nam ipſius loci indoles hanc huius verbi notionem exigit. Conſulant harum literarum ſtudioſi in hanc rem PEARSONII, Epiſcopi quondam Ceſtrienſis, le-

ſtu digniſſimam *Praefationem Paraeneticam* ad LXX viralem, vbi Vir doctiſſimus ad hunc paullo inſolentiorem ſignificatum τοῦ καταφρονεῖν confirmandum laudat HERODOTVM (I, 59.) vbi Piſiſtratus dicitur καταφρονήσας τὴν τυραννίδα, quod reddit, *doloſe affectans tyrannidem.* Sed illo loco hoc verbum dubiae et lectionis, et ſignificationis eſt, vt ad eum docet VALCKENARIVS. Jam, quae verbi τελεῖσθαι et τετελεσμένος vis et poteſtas ſit, atque ea communis et vulgaris, nemo facile graecarum literarum adeo ignarus eſt, quin ſciat. Quodſi autem alicuius animo haec verbi notio vulgaris obuerſetur, legentis haec LXX. Seniorum Hoſ IV, 14. αὐτοὶ μετὰ τῶν τετελεσμένων ἔθυον, ei haec verba foliis Sibyllae obſcurio erunt. Quis igitur ibi τελεσμένος? Nempe, *qui muliebria patitur*, quod Contextus docet. Itaque HESYCHIVS, ad haec Hoſeae reſpiciens, τετελεσμένος per ἀνδρόγυνος interpretatur, quae vox non eum denotat, qui dubiae naturae eſt, ſed qui patitur, quod diximus: cf. Viri docti ad hunc HESYCHII locum. In vniuerſum harum literarum ſtudioſis in hanc rem diligentiſſime commendanda eſt Diſputatio Summe Venerabilis ERNESTI, de *recto Gloſſariorum Graecorum vſu*, omni interioris cognitionis literaturae graecae copia refertiſſima. Sed quorſum haec tam fuſe diſputauimus? Nempe eo, vt doceremus, vocem ἐξουσίας in hoc loco Paullino, et ob orationis συνάφειαν, et legem oppoſitionis, neceſſario per *velamentum, tegumentum capitis* eſſe interpretandam, etiamſi hic ſignificatus neque vllo alio loco, nec ex Analogia linguarum, quam SCHVLTENSIVS in interpretando tanto pere, et iure commendat, confirmari poſſet. Sed hic etiam analogiam linguarum in ſubſidium vocare poſſumus. Vocem Ebraicam מָעֹז, cui graeca ἐξουσία reſpondet, quisque nouit, vulgari ſignificatu denotare *robur, poteſtatem.* Et tamen Pſ. 60, 9. eſt מָעוֹז רֹאשִׁי, quod οἱ ὁ reddiderunt κεφαλαίωσις, eſt *galea*, atque adeo *tegumentum capitis*

etſi

etſi alius generis, quam illud tegumentum capitis, quod in hoc loco Paullino intelligendum eſt. Et haec quidem linguarum analogia docet interpretationis noſtrae *facultatem*, ſeu, vt vulgo dicunt, *poſſibilitatem:* ita autem neceſſario τὴν ἐξουσίαν explicari *oportere*, et totius orationis ſeries, et lex inprimis oppoſitionis, exigunt. Et hanc quidem τῆς ἐξουσίας interpretationem in hoc loco Paullino tamdiu retinebimus, donec nobis quis, ea conuicta, meliorem oſtenderit. Poterat igitur TOVPIVS iſta importuna ſua et audaci emendatione ſuperſedere. Neque vero haec vna difficultas in his verbis Paullinis eſt, quae Interpretes mirifice exercuit; ſed ecce tibi alteram in vocibus διὰ τοὺς ἀγγέλους, quae haud ſcio, an eos magis exercuerit. Ipſe TOVPIVS, ſemper fere in impeditis locis expediendis promptus et ſollers, ingenio ſuo, in coniecturis et emendationibus proferendis perquam frugifero, hic diffiſus, a difficultate, haec verba vel explicandi, vel emendandi, retinere falcem criticam coactus eſt. Nam, praeclara iſta emendatione vocis ἐξουσίας l. c. propoſita, et adornata, addit: *idque utique* διὰ τοὺς ἀγγέλους. *Quod poſtremum aliis explicandum relinquo.* Poſtea vero, quaſi eum huius modeſtiae ſuae poenituiſſet, et turpe putaſſet, faſſum eſſe, ſe aliquid neſcire: ecce! alio loco (P. III, 42.) his obſcuris verbis lucem affundere ſtudet; quod, quomodo ei ceſſerit, operae pretium eſt audire. Eius verba ſunt: *Interpretationes virorum eruditiſſimorum de Angelis vel* γυναικοφθόροις, *vel* κατασκόποις, *ridiculoſiſſimae ſunt, et nihil ſapiunt. Equidem nullus dubito, quin Paullus ſcripſerit,* (et ego quouis pignore interpoſito contendam, eum non ſic ſcripſiſſe,) Ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ΔΙΑ ΤΟΥΣ ΟΧΛΟΥΣ. Οἱ ὄχλοι *ſunt populus, ſiue multitudo hominum.* Scilicet, hoc docendi aramus, quod bonus PASOR puerulos iam dudum docuit! Hic vero tuum, TOVP., ingenium criticum quaero. Quomodo tandem dii hanc mentem tibi dare potuerunt, vt loco ἀγγέλους legendum pro-

pronunciare auderes ὄχλυς? In nulla vnquam coniectura et emendatione infelicius tibi res ſucceſſit. Nam *primo*, quaenam literarum ſimilitudo inter ΑΓΓΕΛΟΥΣ et ΟΧΛΟΥΣ intercedit? Hanc ſi tu cernere poſſis, ipſo Argo oculatior ſis neceſſe eſt. Equidem hebetior ſum, quam qui eam videre poſſim. Quodſi hoc eſſet loca aut male affecta, aut obſcura, integritati ſuae reſtituere, et interpretationis luce colluſtrare: nihil ſane vtraque re facilius eſſet, cum neque multum ingenii, neque doctrinae ad hanc rem requiratur. *Secundo*, dic mihi, TOVPI, quid iſti ὄχλοι tibi tui hic ſibi velint! Et hic tibi in promptu ratio et reſponſio eſt. *Quia*, addis, *nihil mulieri ingenuae magis fugiendum eſt, quam* ὄχλος. Ain' tu? Igitur mulieribus ingenuis etiam coetus ſacri, atque ii ſolemnes, fugiendi ſunt? Nam et ibi ὄχλοι. Et tamen Vir doctus, hac emendatione, infeliciſſima ſane, allata, quaſi re bene geſta, ita ſibi applaudit, vt, laudatis in ſententiam ſuam locis PHILCETAERI Comici, EVRIPIDIS, et XENOPHONTIS, quaſi ἐπινίκιον canat hoc: *Quare FVGATIS Angelis, quibus nullus hic locus, Paullum noſtrum, cuius mentem NEMO PERSPEXIT, ita TANDEM ex vi et iuſſu ſententiae dilucidandum et inſtaurandum eſſe CONTENDO*: Διὰ τῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ΕΞΙΟΥΣΑ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ΔΙΑ ΤΟΥΣ ΟΧΛΟΥΣ. Haec ille *μεγαλαυχῶν* Criticus. Sed ſi vnquam locum habuit, quod de prouerbio dicitur, *varam ſequitur vibia*; hic ſane maxime habet. Nam haec TOVPII emendatio innixa conſiſtit fundamento, in loco perquam lubrico iacto, atque adeo maxime infirmo. Scilicet paullo ante vidimus, TOVPIVM pro ἐξυσίαν emendaſſe ἐξιῦσα, ratione ductum hac, quia putaret, Paullo hoc loco ſermonem eſſe *de egreſſu mulierum in publicum*: ſed eum, hoc opinionis errore captum, vel potius deceptum, falſiſſimum eſſe docuimus. Et tamen iſti opinioni ſuae, et, vt iactat, *emendationi veriſſimae*, hanc alteram emendationem ſuam ὄχλυς, iniquis Muſis, et irata Lucina partam, tanquam veriſſimam ſuperſtruere

ſtruere conatur. Sic ſaepe error errorem parit. Cum autem prioris emendationis fundamentum lubricum, et male firmum ſit, quidquid ei ſuperſtructum eſt, corruat neceſſe eſt. Quare *fugatis* ΤΟΙΣ ΟΧΛΟΙΣ, quemadmodum TOVPIVS *fugatos Angelos* velit: retineamus τὺς Ἀγγέλυς, qui nobis hic, opinor, minus negotii faceſſent, quam ὄχλοι, qui ſaepe immodeſti et importuni ſunt. Quinam *Angeli* autem hic ſunt intelligendi? Nobis mallemus dici, quam aliis interpretari. Neque tamen committendum putamus, vt hunc locum paullo difficiliorem, vti rauci de foro cauſidici cauſam malam et deſperatam deſerunt, ita et nos relinquamus ſic, vt nihil interpretationis addamus. Nos, qui in omni interpretatione *ſimplicitatem* et *facilitatem* ſequi ſolemus, putamus, omnium optimam huius vocis ſignificationem eſſe hanc, vt denotet, *emiſſarios, miſſos ab aliis inſidioſe, explorandi cauſa, atque adeo exploratores.* Haec vocis interpretatio dupiici nomine arridet: *primo*, quia a linguae vſu non abhorret; *ſecundo*, quia a re ipſa commendatur. Conſtat, vocem ἀγγέλυ, ad imitationem Ebraicae מלאך, in cenſu vocum πολυσήμων eſſe, atque adeo variam vim poteſtatemque habere, quarum quae cuique loco conueniat, e cuiusque loci indole et συναφείᾳ diiudicandum eſt, vt dudum monuit FLACIVS, in aureo illo opere ſuo, *Clauis ſcripturae ſacrae* inſcripto P. I. p. 38. In variis autem huius vocis ſignificationibus obtinet et haec, qua *exploratorem* ſignificat. Sic Ioſ. 6, 25. Rachab cum ſuis ſeruata dicitur ob abſconditos מלאכים, quam vocem LXX. Seniores expreſſerunt per τὺς κατασκοπεύοντας. Sed ecce! hi ipſi exploratores Ioſuae a Iacobo 2, 25. dicuntur ἄγγελοι, vbi Rachab dicitur ὑποδεξαμένη τὺς ΑΓΓΕΛΟΥΣ: et Paullus ad Ebraeos 11, 31. in eadem re pro voce ἀγγέλων adhibuit τὺς κατασκόπυς. Iidem igitur interdum ἄγγελοι et οἱ κατάσκοποι ſ. κατασκοπεύοντες, adeo, vt a linguae ratione minime abhorreat, in hoc loco Paullino τὺς ἀγγέλυς per *exploratores, ſpeculatores*, ſ.

homines, qui inſidioſe, conſilioque malo aliena explorant, interpretari. Neque vero linguae ratio ſolum, vt diximus, hanc interpretationem admittit, ſed ipſius rei ratio videtur efflagitare. Neminem facile in hiſtoria Eccleſiaſtica tam parum verſatum putamus, quin cognouerit, primis rei Chriſtianae temporibus, et Iudaeos, et Gentiles, ſubinde aliquos, ex iis etiam qui Chriſtianos ſe impudenter mentirentur, in fidelium coetus *explorandi* cauſa miſiſſe, an in vita moribusque eorum aliquid reprehenſu exagitatuque dignum, et quod in eorum coetibus inprimis ſpeciem quandam indecorae diſſolutioris que vitae, et flagitiorum, poſſet praebere inſidioſe animaduerterent, quod vel e nobiliſſima illa Epiſt. PLINII X, 97. intelligi poteſt, adeo vt dici poſſit, Apoſtolum his verbis grauiſſime praecepiſſe et iniunxiſſe vxoribus hoc, vt ne liberiori viuendi genere, neue indecoro habitu et amictu inſidioſis iſtis aduerſariis calumniandi occaſionem praeberent. Neque dubium eſt, quin Paullus inter alia ad hoc ipſum etiam reſpexerit, cum ſub finem praecedentis capitis praecipit: Ἀπρόσκοποι γίνεσθε καὶ Ἰουδαίοις, καὶ Ἕλλησι, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, cf. Coloſſ. 4, 5. Epheſ. 4, 27. 1 Theſſ. 4, 12. Et quis dubitet, Iudaeos et Gentiles, odio vatiniano in Chriſtianos incenſos, eiusmodi *exploratores*, veluti canes venaticos, huc illuc malitioſo conſilio emiſiſſe? Nam cuius oculi, aut aures, in rebus quae quotidie fere accidunt, ita peregrinantur, quin vel videndo, vel fando, animaduerterit praui animi homines, qui alienis malis paſcantur, delectentur certe, actiones eorum, quos acerbo odio infeſtent, inprimis ſi honeſtatis ſanctitatisque paullo amantiores ſint, curioſe inſidioſeque obſeruare, et malitioſe inquirere, num quid animaduertant, quod eas vel ſpecie aliqua ſaepe fallaci et deceptrice, dehoneſtare et infamare poſſit. Quodſi cuius animo quaedam huius rei dubitatio inſideat: eam facile vel vnus TERTVLLIANI locus Apologet. VII. p. 79. Edit. HAVERCAM-

EXEMPTI, eximere poteſt. *Tot hoſtes eius* (religionis chriſtianae) *quot extranei, et quidem proprie* (h. e. vt, accurate et ſummatim dicam) *ex aemulatione Iudaei: ex concuſſione miſites*: (h. e. qui gratum ſe facere arbitrati Imperatoribus, ſuis ſi commilitones ſuos tradunt, produnt, et deferunt) *ex natura ipſi etiam DOMESTICI noſtri. Quotidie obſidemur, quotidie prodimur: in ipſis PLVRIMVM COETIBVS ET CONGREGATIONIBVS noſtris opprimimur.* Hanc ſententiam inter recentiores inprimis adornauit HEVMANNVS, Poeciles T. III. p. 138. ſqq. His igitur in hanc rem diſputatis, rationibusque ſubductis, ſummam huius diſputatiunculae noſtrae facimus hanc, vt dicamus, ſententiam, interpretationemque huius loci Paullini eſſe hanc: *Oportet vxorem* in coetu fidelium *velato, tecto capite precari ob emiſſarios iſtos* malitioſos, qui ex indecoro et inhoneſto earum habitu et amictu facile occaſionem calumniandi criminandique captare poſſent. Et hanc rationem huius loci Paullini, paullo impeditioris, expediendi commodiſſimam facillimamque exiſtimamus. Quodſi cui alia ſedtentia et interpretatio arriſerit, eam optet et ſequatur. Neque vnquam eo nomine cum aliquo contendemus, praeſertim cum hunc locum non tam eo conſilio hic tractauerimus, vt interpretationis luce colluſtraremus, ſed vt a coacta et violenta TOVPII emendatione duplici vindicaremus.

Plura N. T. loca ſunt in illis *Emendationibus in Suidam*, a TOVPIO ipſa quoque temere ſollicitata, quae etſi digna eſſent, quae ſub examen vocata, ab audaci emendandi ratione vindicarentur: tamen, quoniam haec diſputatio noſtra iam maioris amplitudinis eſt, quam pro anguſtis Proluſionis finibus, alio tempore, ſi Deus conceſſerit, operam ſtudiumque noſtrum in ea re ponemus. Caeterum, quod hic contra TOVPIVM diſputauimus, id non eo conſilio fecimus, vt de magna huius viri fama, honeſtis ſane artibus

Digitized by Google

parta, detractum aliquid delibatumque vellemus: (id enim maligni et ieiuni animi eſſet, praeſertim cum ingenue, et non ſine animi grati ſenſu fateamur, nos plurimum e doctiſſimis illius *Emendationibus in Suidam* profeciſſe;) ſed vt ſacrarum literarum ſtudioſos his ſpeciminibus moneremus, ne, vt ſaepe fit, auctoritate magnorum Virorum, doctrinae laude, famaeque ſplendore illuſtrium, imponi ſibi, et veluti illudi patiantur, et contra pruritus, omnia innouandi et emendandi, morbum, qui ab aliquo inde tempore multos etiam Noſtratium inuadere coepit, mature praemuniremus.

M. CHRISTIANI GODOFREDI ENDEISEN

Locorum quorundam Epiſt. Pauli ad Romanos interpretatio.

Libros Noui Teſtamenti omnium Graecorum librorum intellectu difficillimos eſſe, et multis iisque grauiſſimis difficultatibus eorum interpretationem laborare, premique, id aeque conſtare arbitror, atque neminem intelligentium fore ſpero, qui vel in dubium vocare, vel prorſus negare audeat: hoc potiſſimum de parte librorum illorum ea, qua *Epiſtolae Pauli* continеantur, dici contendique non tam poſſe, quam debere. Nam quis ignorat, difficultatibus, quas cum reliquis libris Noui Teſtamenti iſtae epiſtolae habent communes, accedere proprias, quas aeque graues et magnas ſaepe, immo maiores interdum prioris generis difficultatibus, eſſe exiſtimo. In his autem difficultatibus, quas proprias dixi, et quibuscum interpreti epiſtolarum Pauli conflictandum eſt, extare atque eminere eas cenſeo, quas non ſolum ſcribendi genus, a Paulo vſurpatum, atque longe a reliquorum ſcriptorum diuinorum Noui Teſtamenti abhorrens, et ratio, quam amplexus eſſe reperiatur in ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiis nectendis, afferant; ſed quae et obiiciantur a rerum ſtatu atque conditione eorum, ad quos ſcripſiſſe nouimus, ab opinionibus, quas hi de Paulo, de capitibus quibusdam doctrinae diuinae, ſiue de rebus habuerint, quibus aliquid cum hac intercedebat coniunctionis atque neceſſitudinis. Quarum difficultatum quaedam tantae ſunt, vt ne ſola quidem ſcientia, cum Hebraicae, tum Graecae linguae, iis tollendis ſufficiat, ſed et aliunde conquirenda ſint auxilia, quibus expediri queant atque remoueri.

Nimirum Paulum, Apoſtolum, in epiſtolis interdum rationem bene Graecam ſequi, et verbis, tam ſingulis, quam iunctis, notiones atque poteſtates ſubiicere, quibus ab optimis Graecis ſcriptoribus vſurpata legantur, neminem fugit, qui non vulgari linguae Graecae ſcientia ornatus ſit. Praeter plures locos, quos ex epiſtolis Pauli hanc in rem poteram laudare, vnum modo, et quidem ex epiſtola ad Romanos petitum, afferam. Cum enim Paulus, capite iſtius epiſtolae quinto ineunte, in enumerandis bonis atque commodis, ad quorum poſſeſſionem Romanos doctrinae diuinae profeſſio et fiducia in meritis Chriſti, hominibus eius morte partis, prouexerat, a remiſſione peccatorum, omnium reliquorum capite fonteque, initio facto, ad ſpem aeternae felicitatis delatus eſſet: hoc agendum ſibi potiſſimum exiſtimauit, vt doceret, quam certiſſima ſpes iſta eſſet; niti enim amore Dei, cuius magnitudinem, ex doctrinae diuinae parte ea, quae de morte Chriſti exponeret, quam clariſſime elucentem, exploratam ſatis atque cognitam haberent. *a*) Vt autem eo magis a Romanis vis ſenti-

a) Vid. v. 5. vbi verbum ἐκχύεσθαι reſpondet Hebraeorum הוצק quod vſurpatur de iis, quae large dantur ſ. tributa ſunt; ita vt verti poſſit eſſe ſ. ineſſe, non neglecta tamen copia atque magnitudine, quae hoc verbo exprimitur Sic Pſ. 45, 3. הוּצַק חֵן בְּשִׂפְתוֹתֶיךָ i. e. ſumma gratia atque venuſtas ſedet in ore tuo, Οἱ ὁ reddunt ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου, vbi ἐκχύεσθαι

tiretur, quae verbis *b)* ὑπὲρ ἀσεβῶν, pro ἡμῶν poſitis, ad declarandam amoris diuini magnitudinem ineſſet, addenda videbantur ei haec: μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖται. ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. *c)*

Mihi neque probatur ſententia Vorſtii, *d)* qui et h. l. vocabulo δίκαιος poteſtatem, quam aliis in locis librorum Noui Teſtamenti habeat, tribui vult, adeoque putat eſſe i. q. ἀγαθός, et reſpondere Hebraeorum צדיק, quod non ſolum de *viro iuſto*, ſed etiam de *viro pio* et *bono* dicatur; neque eorum, inter quos et Raphelium eſſe miror, *e)* opinionem amplectendam iudico, qui, vt difficultatem, e τοῦ δίκαιος hic ortam, tollant, ad diſcrimen confugiunt, quod inter duo vocabula, δίκαιος et ἀγαθός, apud Graecos intercedere reperiatur. Quanquam enim illud diſcrimen non fictum, ſed verum eſſe, et veterum ſcriptorum Graecorum locis, quorum quosdam Raphelius attulit, nihi ſcio; huc tamen non pertinere videtur, ſed aliam potius viam exiſtimo quaerendam eſſe et inueſtigandam, ad huius loci difficultatem remouendam, eiusque verum ſenſum expediendum, vt ego quidem opinor, facillimam atque commodiſſimam.

Nimirum cum conſtet, vocabulum δίκαιος a Graecis optimis ita vſurpari, vt valeat i. q. ἄξιος; quid impedit, quo minus id et h. l. ſic accipi debere contendamus. Quodſi quis ad noſtram ſententiam accedere ſe poſſe propterea neget, quod, cum δίκαιος apud Graecos ſic occurrat, non nude ponatur, ſed Infinitiuo verbi cuiusdam, quemadmodum locus infra ex Ioſepho laudatus *f)* docet, iunctum offenda-

ἐκχύνεσθαι etiam Praepoſitioni ἐν iungitur, ita vt Paulus, quem idem noſtro in loco legimus feciſſe, Interpretes illos veteres ſequutus eſſe videatur.

b) v. 6. c) v. 7.

d) Vid. Philol. Sacr. I, 2. p. 56. edit. Fiſcher. V. S. recentiſſ.

e) Vid. Annotatt. Philolog. in N. T. ex Xenophont. collect.

f) Archaeol. I, 14. p. 20. edit. Baſil. princip. vbi Ioſephus ſin-

datur: ei reſpondeo, e verbo ἀπέθανε, quod praeceſſit, repeti debere ἀποθανεῖν; g) quem Infinitiuum Paulus a legentibus maluit quam a ſe, addi, ne aures eorum crebra repetitione verbi eiusdem, paullo poſt etiam bis occurrentis, offenderentur. Hanc rationem ſi ſequamur, δίκαιος, intellecto Infinitiuo ἀποθανεῖν, erit *dignus qui morte plectatur*, et ſenſus totius Verſus exiſtet hic: *Enimuero vix quis mortem oppetet pro homine ſcelesto, dignoque qui morte multetur; pro ipſo te autem forte quis ſuſtineat capitis poenam luere.* Quum accommodatus ſit hic ſenſus contextis, et ſeriei orationis, quam bene conſilio, quod Paulus ſequitur, conueniat, quam praeclare denique pulcritudo totius loci inde appareat, cui multum detrahi videtur aliam ſi viam ingreſſus fueris in eo interpretando, non eſt, quod pluribus demonſtrem.

Veniam potius ad alium locum, hoc longe difficiliorem, ex eadem epiſtola, et quidem ex capite octauo ſumtum, et a Verſu duodeuiceſimo ad Verſum tertium et viceſimum pertinentem. Placuit autem e pluribus locis librorum diuinorum Noui Teſtamenti difficilioribus, et interpretum ſtudiis forte nondum expeditis, hunc inprimis defigere, vt paullo vberius, quam de loco hoc haberem ſententiam, explicem atque demonſtrem, eam non ex meo ingenio natam, aut a me effictam eſſe, ſed recta et legitima verborum ſingulorum interpretatione niti.

Non autem praetereundum videtur, Verſum duodeviceſimum cohaerere quam arctiſſime cum ſuperiori, et Apo-

fingit Iſaacum patri tum, cum in eo erat vt filium trucidaret, dixiſſe: ὡς οὐδὲ γεγονέναι τὴν ἀρχὴν ἦν δίκαιος, εἰ θεοῦ καὶ πατρὸς μέλλει κρίσιν ἀπωθεῖσθαι, καὶ μὴ παρέχειν αὑτὸν τοῖς ἀμφοτέρων βουλήμασιν ἑτοίμως.

g) Similis locus, vbi δίκαιος quidem non eo ſenſu, quo h. l. vſurpari diximus, occurrat, ſed tamen in eo Infinitiuus verbi, quod praeceſſit, intelligi debeat, eſt ap. Euripid. Hippolyt. v. 1080. πολλῷ γε μᾶλλον σαυτὸν ἤσκησας σέβειν, ἢ τοὺς τεκόντας ὅσια δρᾶν, δίκαιος ὢν ſc. δρᾶν.

Apoſtorum ſequi hic morem illum, qui ſemper lectori litterarum eius ob oculos verſari debet, ſi in iis interpretandis offendere nolit, atque labi, vt ſcilicet vno ſaepe verbo muniat ibi patefaciatque viam, lectore nec opinante, vel ad nouum argumentum tractandum, vel ad addenda ea, quae e re legentium inprimis fore exiſtimabat. Qua in re quum cernatur magna et eximia ars, quam in ſcriptoribus barbaris admirari ſolemus atque ſuſpicere, cur non idem in auctoribus librorum diuinorum faciamus, in quibus multi loci reperiuntur, vbi huius artis veſtigia appareant, atque extent expreſſa? In horum locorum numero collocandum eſſe iudico huncce noſtrum. Nimirum Paulus ſuperiori Verſu, in quo de felicitate aeterna, praemio fiduciae in meritis Chriſti, quae in Romanis vigebat, et vitae ſanctitatis, cui ſtuduerant adhuc, expoſuerat, verbo συμπάσχειν ea mente vſus erat, vt ſibi copia locusque, querulis vocibus occurrendi, quas, vt ab aliis doctrinae diuinae affectatoribus, ita et a Romanis iactari nouerat, profeſſionem ſcilicet doctrinae diuinae cum tot tantisque calamitatibus eſſe duplicatam atque coniunctam, deaſtrorum contra cultores plurimum praeſtare ſacris Chriſti imbutis initiatisque: his enim ſummas atque vltimas aerumnas, rerum cariſſimarum, immo ipſius vitae iacturam eſſe extimeſcendam, cum illi ab omnibus his incommodis eſſent liberi ac immunes. Quare, vt nexus ſententiarum Pauli pateat, eoque perſpicuitati conſulatur, inter Verſiculum duodeuiceſimum et ſuperiorem interſerenda eſſe in Verſione latina puto verba: *Nec debet quis veſtrum eo, quod dixerim,* εἴπερ συμπάσχομεν, *magnopere moueri, animoque eſſe abiectiori; id quod quam longiſſime abhorreret a dignitate et perſona hominis doctrinam diuinam amplexi, cuius praeſtantia inprimis inde elucet; quod ſpem ſummae felicitatis ſuis cultoribus proponat.* Cuius felicitatis magnitudinem inſignem vt demonſtret, pergit; λογίζομαι γάρ, ὅτι etc. Caue vero putes, me fore numero

mero eorum, qui verbo λογίζεσθαι h. l. ſingularem vim ineſſe contendant. Videtur mihi potius hic, vt alibi, *h*) valere *exiſtimare*, *iudicare*, *cenſere*; quae notio petenda eſt atque diſci poteſt ex Verſione Interpretum Alexandrinorum, qui verbum חָשַׁב, cum *exiſtimare*, *iudicare* ſignificat, per ἡγεῖσθαι vertunt. *i*) Nec τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ ſunt tantum *mala, calamitates, quibus Romani, doctrinam diuinam amplexi, tum, cum Paulus has litteras ad eos daret, affligebantur atque vexabantur*; ſed etiam *mala quae iis imminebant, et poſthac erant extimeſcenda.* Nam ſine dubio Paulus his verbis, vt et reliquorum librorum Noui Teſtamenti auctores fecerunt, morem illum Iudaeorum ſequutus eſt, quo hoc tempus, ſ. vitam hominum, in עוֹלָם הַזֶּה et עולם הבוא diuiſiſſe conſtat. Etſi autem ἄξιον, praeeunte οὐκ, iam apud Graecos dicitur de re, cuius ea ratio eſt, vt cum alia non queat contendi ac comparari: melius tamen, opinor, ex interpretatione τῶν ό huius vocabuli poteſtas illuſtrari poterit, qui per τὸ ἄξιον εἶναι Hebraeorum שָׁוָה expreſſiſſe reperiuntur. In mentem iam venit locus e Prouerbiis Salomonis, *k*) vbi verba Hebraica וְכָל־חֲפָצֶיךָ לֹא יִשְׁווּ־בָהּ Interpretes illi veteres reddunt πᾶν δὲ τίμιον οὐκ ἄξιον αὐτῆς ἐστι, h. e. *Omnes res pretioſae ei nec poſſunt, nec debent aequiparari.* Quare noſtro in loco verba, οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς, latine ſic verto: *mala huius vitae praeſentis magnitudine non reſpondent, nec ſunt aequiparanda felicitati illi, nobis ſperandae, ſ. non ſunt tanta, quanta eſt felicitas, qua nos, iis defuncti, potituri ſumus.* Quod autem loco Genitiuorum τῆς μελλούσης δόξης iungatur τῷ ἄξιος h. l. particula πρὸς, ſequente caſu quarto, huius rei cauſa haud dubie e conſtructione verbi שָׁוָה cum לְ petenda eſt, quam particulam ל οἱ ό ſolent per πρὸς reddere.

Sed ſequitur nunc locus difficillimus qui interpretes vehementer vexauit exercuitque, et quem multi, idonea litterarum Hebraicarum ſcientia non inſtructi, magis obſcurarunt, quam illuſtrarunt. Age, de ſingulis verbis videamus! Et primo quidem verba, ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, poſita

Tt

h) Vid. 2 Cor. 11, 5. i) v. c. Ioh. 33, 10.
k) Cap. 3, 15. cf. C. 8, 11.

ſita eſſe pro ἡ κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα, more Hebraeorum, qui duo Subſtantiua coniungere ſolent, ita vt prius vicem Adiectiui obtineat, *l*) ſatis conſtat. Sed quum verbo ἀπεκδέχεσθαι notio exſpectationis atque ſpei, quae vocabulo ἀποκαραδοκίας ineſt, iam contineatur, ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ſ. ἡ κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα, opinor, ſunt Nominatiui abſoluti in numero Hebraismorum ponendi, quemadmodum apud Dauidem in verbis הָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ *m*) nomen הָאֵל interpratandum eſt, *quod attinet ad Iouam* ſ. *de Ioua autem.* At haec leuia ſunt, nec digna quibus diutius immorer. Ad alia potius, his longe potiora, pergo. Nec placet iis, quae de poteſtate nominis ἀποκαραδοκίας a viris doctiſſimis *n*) diſputata ſunt, addere quaedam; vt et nec opus exiſtimamus eſſe, hic exponere de bono atque commodo, quo ſe potituram τὴν κτίσιν ſperare Apoſtolus affirmat. E ſequentibus hoc apparebit. Itaque veniendum videtur ad vocabulum κτίσεως. Quemadmodum autem eos a vero quam longiſſime abeſſe iudico, qui hoc vocabulum de *animantibus, quae ratione non ſunt praeditae*, accipiant: ita hos vero admodum prope accedere arbitror, qui ſub τῇ κτίσει *creaturas, mente et voluntate libera ornatas*, intelligendas eſſe contendant; malim tamen cum plurimis de *hominibus*, quam cum nonnullis de *geniis bonis*, explicare. Nam 1) ab Hebraeis, quos ſcriptores diuini Noui Teſtamenti ſolent ſequi, vocabulum בְּרִיָּה, quod primam poteſtatem cum Graecorum κτίσει communem habet, ita adhibetur, vt notet *homines*. 2) in libris diuinis Noui Teſtamenti nomen κτίσεως ita legitur, vt nonniſi de hominibus cogitari debeat. *o*) 3) Sed hic oritur atque exiſtit difficultas alia, quae in eo cernitur, vt expediatur, quinam hominum ſub τῇ κτίσει, num iam ad religionem Chriſtianam perducti, an ab ea adhuc remoti, ſint intelligendi? Mihi non probatur eorum ſententia, qui de prioribus, et quidem vel de barbaris ſolum, vel de barbaris et Iudaeis ſimul, interpretantur. Nam de his quin

ac-

l) Vid. Vorſt. Philol. Sacr. P. 1. c 10. p. 270. ſq.

m) Pſ. 18 31.

n) Vid. Fiſcher. V. C. Proluſ. quintam de vitiis Lexicorr. N. T. et Loeſner. Obſeruatt. ad N. T. e Philon. ad h. l. n.

o) Marc. 16, 15. et Col. 1, 23.

accipere queamus, obſtat 1) uſus loquendi. Nam ſi vocabulum κτίσεως de iis, qui doctrinam diuinam amplexi ſunt, adhibetur, tum conſtat, id non ſolere poni nude, ſed cum additamento quodam p): 2) contexta; nam eorum, quae poſthac de τῇ κτίσει praedicantur, ea eſt ratio, vt de ante commemoratis non poſſit ſermo eſſe: 3) obſtat Verſus tertius et viceſimus, in quo extremo Paulus ad cauſam videtur redire, de qua Verſu duodeuiceſimo verba fecerat, h. e. ad ſpem felicitatis aeternae, ſibi et Romanis propoſitam, et longe diuerſam a ſpe, quam τὴν κτίσιν fouere dixerat. Praeterea et initio huius Verſus laudati τὴν κτίσιν diſtinguit a τοῖς τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχουσι. Iam ſi ἡ κτίσις tales eſſent, quales Verſu tertio et viceſimo commemorantur, quorſum opus habuiſſet Paulus Apoſtolus aliquid diſcriminis inter τὴν κτίσιν, et inter τοὺς τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντας facere? Nonne perſpicue inde patet, τῇ κτίσει h. l. non indicari *homines ad religionem Chriſtianam perductos?* Reſtat igitur, vt de *hominibus, a ſacris Chriſtianorum alienis,* interpretemur, et quidem non, vt Hammondus, Lightfootus, aliique, de *barbaris, cultui deaſtrorum deditis*, ſed de *Iudaeis, qui Chriſtum, in crucem actum, pro Meſſia, et eius doctrinam pro diuina, recuſabant agnoſcere.* Deinde quod ad verba, quae ſequuntur, τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται, attinet, υἱοὶ τοῦ Θεοῦ dicuntur h. l. *Iudaei, ſacra Chriſtianorum aſpernantes atque repudiantes*, non quod re vera erant υἱοὶ Θεοῦ, ſed quod ſe tales eſſe exiſtimabant, et ab aliis exiſtimari volebant. Nam ab Hebraeis, et ad horum imitationem a ſcriptoribus Noui Teſtamanti, appellantur homines v. c. pii, qui, etſi non ſunt, ſibi tamen perſuadent ſe pios eſſe. Υἱοὶ autem τοῦ Θεοῦ ſunt *deo, quem ex eius praeſcripto colunt, cariſſimi,* q) et h. l. *ii, qui exiſtimant, ſe deo eſſe cariſſimos, deum ſe ſingulari amore complecti, ſui curam habiturum, ſuis rationibus proſpecturum, ſeque ab iniuria maleficioque aliorum defenſurum:* et tum ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ quid aliud valebit, quam *tempus illud, quo ex opinione illorum Iudaeorum appareret, ſe deo eſſe cariſſimos, nec hunc ſui curam prorſus abieciſſe?*

p) Vid. 2. Cor. 5, 17. et Galat. 6, 15.

q) Sic forte בְּנֵי הָאֱלֹהִים accipi debet Geneſ. c. 6, v. 2.

Verſu viceſimo, quem nunc explicare adgredimur, cauſa τῆς ἀποκαραδοκίας τῆς κτίσεως, et τῆς ἀπεκδοχῆς τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ, contineri videtur, ita vt in Verſione latina perſpicuitatis cauſa quaedam addi debere putemus, vnde pateat, quomodo hic Verſus cum praecedente cohaereat; haec ſcilicet: *vet nobis*, *miſeram popularium noſtrorum conditionem contemplantibus*, *debet mirum videri*, *eos eiusmodi tempus exſpectare.* Τῇ γὰρ, inquit Apoſtolus, ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη. Alias exiſtimaui, vocabulum ματαιότητος h. l. ex Hebraismo notare homines, in quibus ſit ματαιότης, atque adeo Abſtractum eſſe poſitum pro Concreto. Sed ſententiam mutaui; nec id feciſſe poenitet. Ματαιότης h. l. dicitur *cultus religioſus, qui a Iudaeis deo ex eius praeſcripto in Vetere Teſtamento praeſtabatur, et etiam adhuc deo praeſtandus eſſe putabatur ab iis.* Nam 1) hic cultus a Petro *r*) dicitur ματαία ἀναστροφὴ πατροπαράδοτος· 2) ματαιότης eſt Hebraeorum הֶבֶל, quod vſurpari conſtat de omnibus rebus in quas cadit mutatio, quae ſunt fluxa atque caduca; de rebus, quae nil proſunt, immo nocent. *s*) Iam facile apparet, cur cultus ille religioſus Veteris Teſtamenti poſſit appellari ματαιότης: 1) quod ſublatus, eoque demonſtratum fuerit, eum in rebus fluxis eſſe numerandum *t*); 2) quod iis, qui eo ſe in Nouo Teſtamento teneri opinantur, plus incommodi, quam vtilitatis, afferat. Diſceditur enim tum a modo, quo ſe iam deus coli vult, neglecta decretorum illorum, quae lex caerimonialis complectitur, obſeruatione. Quo ſenſu ſi vocabulum ματαιότητος h. l. accipiamus, ὑπετάγη qui aliud erit, quam *paret, obedit?* Quem autem fugit, verbum ὑποτάσσειν notare *parere ſ. obedire iubere*, quemadmodum hoc Verſu extremo oc-

r) 1. Petr. 1, 18.

s) v. c. de idololatria dicitur, vnde et הֶבֶל idola appellantur.

t) Hanc ob cauſam σὰρξ in libris N. T. dicitur, v. c. Rom. 7, 5. et Gal. 3, 3. et omnino in formula περιπατεῖν κατὰ σάρκα putamus hoc vocabulum de lege caerimoniali accipiendum eſſe ſaepius, quam vulgo ab Interpretibus exiſtimetur. Σὰρξ autem, vt Hebraeorum בָּשָׂר, in libris diuinis de rebus leuibus atque inconſtantibus, in quas l. per naturam ſuam indolemque, l. ex arbitrio aliorum cadit mutatio, et quae hanc ob cauſam aliquod tempus tantum durant.

Digitized by Google

occurrit in verbis ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, h. e. *ſed in gratiam eius, qui eos parere voluit illi legi, et cultum religioſum, in ea praeſcriptum, obſeruare.* Igitur ὑποτάσσεσθαι Medium, non negabis ſignificare *obedire, parere*, et Aoriſtum Paſſiui, vt fieri ſolet a Graecis, et a ſcriptoribus Noui Teſtamenti ad imitationem Hebraeorum, qui τῷ Niphal pro Hithpaël vtuntur pro Aoriſto Medii collocatum eſſe. Si vero ὑπετάγη reddere velis, *parendum ſibi eſſe exiſtimant*, me non habebis repugnantem, inprimis cum videam, hanc interpretationem meae ſententiae vehementer fauere, et conſuetudini Hebraeorum maxime conuenientem eſſe, quos, vt et Glaſſius loco quodam Philologiae ſuae docuit, verba, quae actionem indicent, quandoque pro rei opinione poſuiſſe conſtat. *v)* Ad verba, οὐχ ἑκοῦσα, quae Paulus addit, nihil admonendum habeo, niſi quod mihi locus ille, qui eſt in Actis *x)*, in mentem venerit, vbi cultus ille religioſus Veteris Teſtamenti ζυγὸς, ὃν οἱ πατέρες οὐκ ἴσχυσαν βαστάσαι, appellatur. Caeterum hic Verſus, in quo interpretando fuimus adhuc verſati, cum verbis quae ſequuntur tam arcte coniunctus eſt, vt ab his ſalua perſpicuitate diuelli non queat. Certe id ab editionum vulgarium Noui Teſtamenti auctoribus fieri non debuiſſet, vt a verbis ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ſeiungerent verba ἐπ' ἐλπίδι. Ἐπὶ autem, quemadmodum facile poteſt intelligi, h. l. ſignificat *ſub hac conditione, hac lege;* quae eſt elegans huius Praepoſitionis vis, occurrens apud optimos Graecos ſcriptores *y)*, et ἐλπὶς eſt i. q. καραδοκία, cum quo vocabulo et coniunctum legitur apud Paulum *z)*, h. e. *ſpes Iudaeorum, tempus venturum, quo non amplius teneantur cultu illo religioſo Veteris Teſtamenti;* quae ſpes apud Lucam indicatur verbis ἀλλάξει ſc. ὁ Ἰησοῦς, τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Μωϋσῆς. *a)* De reliquis verbis tria mihi videntur notanda. Primo verbum ἐλευθερωθήσεται reddendum puto *liberari poterit.* Notus enim eſt mos Hebraeorum, qui τὸ יָכֹל omittere,

v) Vid. L. 3. Tr. 3 Can. 18. x) C. 15, 10.

y) Addendus eſt locus Gal. 5, 13. ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, h. e. ad religionem Chriſtianam eſtis perducti, hac lege, vt libertate illa, quam affectatoribus ſuis offert, vtamini.

z) Phil. 1, 20. quod iam animaduertit Loeſnerus ad h. l.

a) Act. 6, 14.

tere, et ipſis verbis includere ſolent; quem morem, vt alibi, *b*) ita et h. l. Paullus ſine dubio ſequi voluit. Deinde nomen δουλείας non valet *ſeruitutem*, de qua h. l. non cogitandum eſſe puto, ſed *cultum religioſum*, et reſpondet Hebraeorum עֲבוֹדָה, quod et omiſſo nomine dei, de cultu, deo praeſtando, dicitur, ac ab Interpretibus Alexandrinis per δουλείαν et λατρείαν reddi ſolet. *c*) Porro δουλεία τῆς φθορᾶς eſt per Hebraiſmum i. q. δουλεία φθαρτή; φθαρτὸν vero vſurpatur de eo, in quod cadit mutatio, quod non durat, tandem interit, cum ad tempus durauerit, vt adeo δουλεία τῆς φθορᾶς notet idem quod ματαιότης Verſu viceſimo, eoque intelligatur *cultus diuinus in lege caerimoniali Iudaeis praeſcriptus.* Tertio, verbis, quae ſequuntur, ἐλευθερία τῆς δόξης, eundem Hebraiſmum ineſſe; quem modo notauimus, eaque accipi debere tanquam Paulus ſcripſiſſet ἐλευθερία δοξαστή, nemo inficiabitur, quemadmodum quoque non facile negaturum quemquam ſpero, vocabulum ἐλευθερίας h. l. dici de *libertate Chriſtiana, per Chriſtum parta, qua non tenemur lege caerimoniali. d*) Quae quum ita ſe habeant, verba εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τέκνων τοῦ θεοῦ vertenda erunt *ita vt frui poſſint etiam illa libertate praeſtantiſſima, qua fruimur nos, qui ſumus deo vere cariſſimi. e*)

Pergo ad Verſum ſequentem, qui nulla prorſus difficultate laborat. Quid enim opus habeo monere, quod iam *Loesnerus*, Vir doctiſſimus, monuit, συστενάζειν et συνωδίνειν valere idem quod στενάζειν et ὠδίνειν? Verba autem στενάζειν et ὠδίνειν differunt ita, vt illud deſiderium, e ſpe illa, immunitate a lege caerimoniali potiundi, ortum atque conceptum, hoc vero dolorem Iudaeorum, inde perceptum, quod haec ſpes produceretur, nec ei a deo fieret ſatis, exprimat. Sed feſtino ad Verſum vltimum particulae, quam nobis enarrandam et explicandam ſumſimus.

Et

b) Rom. 9, 19. τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε, h. e. reſiſtere poterit: quem locum vidi Glaſſium attuliſſe Philol. Sacr. L. 3. Tr. 3. Can. 5.

c) Vid. Exod. 12, 26.

d) Sic occurrit Gal. 5, 1.

e) Sic ei; C. 1. v. 20. reddi debet in verbis, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, ita vt. —

Digitized by Google

Et primo quidem poſt verba οὐ μόνον δὲ, e ſuperioribus repeti debere ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει, dubio caret. Deinde videtur in quaeſtionem venire, num οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες iidem ſint, qui paullo poſt verbis ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς etc. indicentur. Vulgo iidem exiſtimantur eſſe; quod mihi non probari fateor: obſtat enim καὶ repetitum, quod tum valet *et — et*; tam — quam. Igitur οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες differunt ab iis, qui poſthac dicuntur ἀπεκδεχεσθαι υἱοθεσίαν: his Paulus Apoſtolus cum collegis et Romanis, illis Chriſtiani e Iudaeis, quorum plurimos Romae fuiſſe conſtat, et pro amore, quo trahimur in patriam, iſta ſpe popularium ſuorum fuiſſe ſe induci arbitror, intelligendi ſunt. Nam οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες ſunt *doctrinam euangelii praeſtantiſſimam amplexi.* Cuius Verſionis veritas vt pateret, haec a me addenda videbantur. Incipiam a vocabulo πνεύματος, quod, quemadmodum Hebraeorum רוּחַ, quod in libris diuinis de rebus notiſſimum eſt dici, quibus eximiae virtutes inſunt, *f*) et, cum aliis quoque locis de doctrina diuina, a Seruatore optimo, eiusque Apoſtolis, hominibus tradita, inprimis ſi de lege ſermo antea fuerit, *g*) occurrat, quin et hic ſic accipi tam poſſit, quam debeat, quis dubitet? Deinde quod in Verſione Adiectiuum *praeſtantiſſimam* addiderim, eo coniiciendum, reddere me voluiſſe vocabulum ἀπαρχῆς. Cum enim Interpretes Alexandrini, ad exprimendum Hebraeorum רֵאשִׁית, nomine ἀπαρχῆς vſi reperiantur, cum רֵאשִׁית ab Hebraeis ita legatur vſurpatum, vt eo indicent praeſtantiam et perſonarum et rerum, quibus addiderint, hoc ſenſu noſtro quoque loco vocabulum ἀπαρχῆς accipi oportere exiſtimo, vt adeo ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος ſit *doctrina diuina praeſtantiſſima.* Neque mirum et nouum cuiquam videbitur, me verbo ἔχειν hic poteſtatem tribuiſſe, quam alias habet κατέχειν. Scimus enim, ἔχειν et apud Graecos, et apud Paulum ipſum, *h*) ita occurrere, vt ſi-gni-

f) Vid. Erneſti, Senis Venerabilis, et Praeceptoris noſtri maxime colendi, Opuſc. Philoll. et Critt. p. 247.

g) Vid 2 Cor. 3, 6.

h) Vid. C. I. v. 13. ad quem locum conſul. Kypkius.

gnificet *conſequutum eſſe, obtinere.* Tandem in verbis *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, υἱοθεσία* notat *bona, iis, qui deo conſtantiam et fiduciae et vitae ſanctitatis probant, ſperanda,* h. e. *felicitas aeterna,* de qua Verſu duodeuiceſimo loquutus fuerat: quod apparet ex iis, quae addit, *τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν,* quibus docet, a ſe non intelligi illam *υἱοθεσίαν,* quae in Vetere Teſtamento Iudaeorum erat propria, *i*) et quam Iudaei, et doctrinam diuinam amplexi, et a ſacris Chriſti alieni, iactaſſe videntur.

Abſoluta autem huius loci difficillimi explicatione, placet, eum in latinum ſermonem conuertere, et quidem ita, vt rationem, quam aliunde notum eſt me ſequi ſolere, hic etiam ſeruem, et, quemadmodum inprimis ab interprete latino epiſtolarum Pauli fieri debere exiſtimo, paullo liberius in hoc loco latine reddendo verſer, et caueam, ne latini ſermonis puritas, et ſententiarum a Paulo propoſitarum perſpicuitas, detrimentum capiat. Itaque hunc locum latine ſic reddere videtur.

De Popularibus autem noſtris, doctrinam diuinam nondum amplexis, hos, noſtis, tempus illud exſpectare, quo apparit vrum eſſe confidunt, ſe deo cariſſimos eſſe, nec hunc omnem omnino ſui curam abieciſſe: nec nobis, miſeram popularium noſtrorum conditionem contemplantibus, mirum videri debet, e s eiusmo li tempus exſpectare. Nam etiam nunc decretis illis, quae lege caerimoniali continentur, parent, nec id ſponte facientes, ſed in gratiam eius, qui iis obedire ipſos iuſſerit, addita tamen hac ſpe, fore, vt ab eorum obſeruatione ſint immunes atque liberi, et cultus religioſi onere, quod ſuſtinent, leuati, libertate illa praeſtantiſſima fruantur, qua nos fruimur, qui deo ſumus vere cariſſimi: cui ſpei vt ſatisfiat, nouimus omnes populares cupere, immo dolorem etiam inde percipere, quod ſpe illa nondum potiti fuerint. Non ſolum vero illi, ſed eum ii ipſi, qui e popularibus noſtris doctrinae Chriſti praeſtantiſſima nomina dederunt, tam nos ipſi, quanquam non illa ſpe ducimur, cupide exſpectamus bonum illud, nobis a deo propoſitum, hoc eſt, felicitatem aeternam, qua potiti, ab omnibus aerumnis, quibus affligimur, immunitas nobis continget. Haec hactenus.

i) Vid. C. 9. v. 4.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Auguſti Anno MDCCLXXV.

MEMOIRE SUR VENUS, AUQUEL L'ACADEMIE Royale des Inſcriptions et Belles-Lettres a adjugé le Prix de la Saint Martin 1775. par M. LARCHER, de l'Académie des Sciences et belles-Lettres de Dijon.

Lutetiae Paris. apud Valladem, MDCCLXXV. (pl. 15. in 8.)

Haec de Venere Commentatio, palma, quam tulit ſuffragiis Academiae Inſcr. Pariſienſis, haud quaquam indigna, de variis Veneris exponit apud Graeciae Italiaeque populos nominibus et attributis, eorumque originibus et cauſſis, de cultu huius deae, de eius templis, ſignis, et tabulis, itemque artificibus, qui operibus iſtis inclaruerunt: quod argumentum ab Academia propoſitum fuerat.

Digitized by Google

Primam Veneris originem Auctor haud dubitanter repetit a vetere Orientis philoſophia. Huius enim placita cum fabularum atque allegoriarum vmbris inuoluerentur, ad ſignificandum principium rerum omnium, ac vim vitalem per omnem mundum pertinentem, vſi ſunt philoſophi imagine deae, quae vitam praeberet omnibus, omniaque imperio ſuo contineret. Sed haec allegorica dea, opinione vulgi, vmbram pro veritate arripientis, conſecrata ſenſim, ac pro nomine diuino habita eſt. Aſſyrii, primi eius cultores, *Mylittam* appellauere, Perſae *Mitram*, *Alittam* Arabes; quae nomina *genitricem* ſignificant: nempe rerum omnium procreatrix, atque adeo mater Deum ferebatur. Cultus eius ab initio pius et caſtus, poſtea multis in locis ita degenerauit, vt Venus illa coeleſtis meretriculae ſimilior fieret. Hinc duae Veneres, Vrania et Pandemos, praeter quas nulla alia ſtatuenda eſt, cum omnes reliquae ab harum alterutra non niſi nominibus differant; id quod A. ad calcem libri p. 310. ſq diſerte affirmat et demonſtrat.

Iam, ſic explicata Veneris origine, A. a pag. 11. de ſingulis Veneribus veterum Graecorum et Romanorum agere inſtituit, ordine quidem paullo liberiore, ſed rebus accommodato. Interdum enim per occaſionem quaedam attulit, vbi proprius iis locus non erat; omninoque non ſeparatim egit de Veneris nominibus, templis, ſtatuis, etc. quod multam lectori ſatietatem attuliſſet; ſed plurima promiſcue poſuit ex ordine locorum, quem itinerarii fere in morem per magnam libri partem ſeruat, terriſque et vrbibus perluſtrandis, quae in ſingulis celebrata fuerint tum nomina Veneris ac templa, tum ſtatuae et imagines, earumque artifices, enarrat, interdum etiam de cultu addens nonnulla, deque diebus feſtis, aliisque rebus Venerem ſpectantibus; quanquam vel ab hac ordinis lege, cum res poſtu-

Digitized by Google

ſtularet, recedere non dubitauit. Quae autem in iſta continua enarratione afferri commode non poterant, nec certis locis adſtricta fuerunt, de iis poſtea ſeparatim expoſuit. Sed quo melius de tota Commentatione iudicari poſſit, ſummam eius paucis indicabimus.

Quoniam Venus ab initio non niſi coeleſtis fuit, primumque ab Aſſyriis culta eſt, et aliis Aſiae populis, per quos in Europam denique notitia eius et cultus peruenit: ideo ante omnia de Venere Urania orientalium agitur, Syrorum maxime et Aegyptiorum, itemque Cypriorum. In Cypro A. aliquantum moratur, et ſingulas eius vrbes obeundo, omnem Veneris, etiam non coeleſtis, cultum, huiusque monimenta atque inſtituta omnia, diligenter perſequitur. Inde ad Graecorum Uraniam conuerſus, a pag. 63. templa eius et reliquum cultum, primo apud Thebanos, inde a Cadmi temporibus, deinde in inſula Cythere, in vrbibus Peloponneſi plurimis, itemque Athenis, eodem modo enarrat. Sed praeter Venerem coeleſtem Graeci quoque coluerunt Pandemon ſ. Popularem, de qua A. a p. 75. tradere inſtituit. Cum enim cultus Uraniae, caſti amoris deae, iam degeneraret in Graecia, et more Aſiaticorum populorum, vulgandis corporibus, et omni genere impudicitiae exercendo, perageretur: Graeci, qui cultum coeleſtis Veneris purum et caſtum conſeruare vellent, aliam Venerem commenti ſunt, quae prauae libidini praeeſſet; atque ea vocata eſt *Pandemos*, quod nomen, ab initio honeſtum, poſtea pro *vulgari* et *volgiuaga* adhiberi coepit. Venus hoc ipſo nomine colebatur Elide, Athenis, Thebis, etc. alibi aliis, idem ſignificantibus, quorum nonnulla ab A. afferuntur et explicantur. Sed haec Pandemos aliis dicitur filia Coeli et Maris, aliis filia Iouis et Diones. Qui filiam Coeli et Maris dixerunt, haud dubie per allegoriam ſignificare voluerunt duo principia vitae, quae fue-

fuerunt, ſecundum Phyſicos veteres, aqua et ignis; id quod A. ſatis diligenter probat et illuſtrat a. p. 87. Deinde quaedam ſimulacra Veneris, mari exeuntis, recenſet, eorumque antiquiſſimum exemplum, quod eſt in diſco ap. Anacreont. Od. 51. neglectum a Caylo, commemorat. Huic autem Veneri marinae Graeci tribuebant imperium et tutelam maris. Hinc eius tot templa ſignaque in litoribus, itemque in portibus, vnde *Limneſia*, et in promontoriis, vnde *Acraea*, cognominabatur Horum exempla nonnulla ab A commemorantur, inprimis templum Veneris Cnidiae, in quo fuit nobile illud ſignum Veneris ex marmore, Praxitelis opus, artis ſtatuariae paene prodigium. Tum de Venere, quae Homero et aliis dicitur filia Iouis et Diones, deque eius amoribus, de iudicio Paridis, et eius tentatis explicationibus, nonnulla adduntur.

Iam a p. 126. A. Epitheta Veneris percenſet bene multa, tam Graeca, quam Latina, et eorum ex parte rationes affert e Scholiaſtis veteribus, et gloſſariographis. Inde reuertitur (a p. 142.) ad enarranda reliqua Veneris nomina, templa, ſigna et imagines, quas habuit, primum in Aſiae minoris et Thraciae quibusdam vrbibus, in inſulis Graecis, Samo inprimis et Creta; deinde, in Attica, maximeque Athenis, porro in Achaia, Argolide, Laconia, Arcadia, Elide, itemque Boeotia ac Theſſalia; denique in Sicilia atque Italia, et quibusdam prouinciis Romanis. Omnium diligentiſſime egit de templis et ſimulacris Veneris in vrbe Roma, a pag. 184—247. Haec primum omnia enumerantur ex ordine vicorum vrbis, in quibus ſita fuerunt; deinde vberius exponitur de ſingulis Veneribus, quas Romani coluerunt, earumque recenſentur altaria, ſigna, et templa, cum donariis, tum quae Romae fuerunt, tum etiam aliena, ab A. huic loco reſeruata. Venus Erycina, de cuius in Sicilia delubro longe nobiliſſimo multa diſputat

Au-

Auctor, prima videtur templum habuiſſe Romae; certe nullum Veneris templum in hac vrbe apud veteres prius commemoratur eo, quod Erycinae dedicauit Q. Fabius Maximus. De alio eiusdem Veneris templo diuerſa tradere videntur Ouidius et Liuius, quem tamen ſecum et cum poeta A. conciliare ſtuduit. Poſt Erycinam de aliis Romanorum Veneribus eadem diligentia agitur, vt de Epitalaria, Verticordia, Murcia, Cloacina, Victorioſa, Armata, Genitrice, aliis. *Libitina Venus*, cuius apud Dionyſium Hal. et Plutarchum mentio eſt, Auctori ſuſpecta videtur, quod Latini ſcriptores de ea prorſus tacent. Deceptos igitur exiſtimat Graecos iſtos, non ſatis imbutos litteris Latinis, ſimili nomine *Lubentinae* ſ. *Libentinae*, quod Veneri interdum tribuitur; vnde per errorem *Venerem Libitinam* natam eſſe opinatur.

Abſoluta vero hac de Graecorum Romanorumque Veneribus narratione, reliquias argumenti ſui A. perſequitur a p. 250. Ac primo quidem de cultu Veneris addit nonnulla, quibus ſupra afferendis locus aut occaſio defuerat, itemque de feſtis diebus apud Aſiaticos quosdam et Graecos populos, et apud Romanos. Tum de menſe Aprili, de Peruigilio Veneris, de die Veneris, de iactu Venereo in ludo talorum, aliisque rebus, breuiter exponit, quae vel a Venere appellatae, vel ei ſacrae fuerunt; quo pertinent etiam figura quadrata, numerus quinarius, pollex, reliqua. Diligenter quoque diſputat de animantibus et plantis, Veneri ſacris, maxime de philyra; qua occaſione locum Phurnuti ingenioſe conſtituit; item de donariis Veneri oblatis, de liberis eius, praeſertim Harmonia, ex adulterio cum Marte prognata, deque ſignificatione huius fabulae, qua concordia nata dicitur parentibus, diſcordantibus inter ſe ingenio et natura. Poſtremo de Comitibus deae, diisque paredris et ſynnais traditur, itemque de Ceſto, e de-

ſcriptione Homerica, quacum imitationes quorundam recentiorum poetarum comparantur. Addita eſt breuis repetitio totius argumenti, atque indices plures, iique copioſi, quibus ex parte aegre caruiſſet liber, nulla in capita ſectionesue diuiſus.

Totam hanc Commentationem perluſtrantibus facile apparebit, Auctorem e fontibus ipſis hauſiſſe, omniuoque nec diligentiae, nec elegantis doctrinae commendatione carere. Loca enim veterum, quae per totum librum rebus probandis et illuſtrandis adhibet, petita ea e Geographis, Hiſtoricis, Poetis, aliisque, inprimis Scholiorum et Gloſſariorum ſcriptoribus, non ſolum accuratiſſime indicat, (quae diligentia non nimis ſaepe deprehenditur in Francogallorum ex hoc genere libris;) ſed ita quoque vel explicat ſubinde, vel emendat, vel conciliat inter ſeſe, vt a compilatorum plebecula facile ſecernatur. Vſus quoque eſt ſcriptis recentiorum, qui hanc mythologiae veteris partem vel ex inſtituto, vel per occaſiones, illuſtrauere; non vt eos duces ſequeretur, ſed vt comites ſibi adiungeret, quibus etiam multa melius vidit, et plenius docuit. Quosdam eorum ſaepius carpit, vt Gorium, Muſei Etruſci, operis parum diligenter elaborati, auctorem, et magis etiam Gedoynum, interpretem Pauſaniae Francogallicum, cuius plura vitia in vertendo et explicando notat et caſtigat, neque immerito; vt, cum in inſcriptione vetere ap. Pauſan. vbi Venus dicitur μοιρῶν πρεσβυτάτη, vertit *Parcarum antiquiſſima*, pro *antiquior Parcis*, noti Graeciſmi inſcitia, itemque aliis in locis. Ceterum A. per totum librum, quae ſatis nota nulliſque difficultatibus implicata, et ſaepe dicta ſunt, ea aut omnino praetermiſit, aut leuiter tantum attigit, iis maxime inhaerens, quae vel clarius, vel rectius, vel plenius, ediſſerenda erant, quam factum fuerat ab aliis: quae ratio, quo eſt rarior in libris ex omni genere, eo di-

Digitized by Google

dignior etiam doƐto atque intelligente ſcriptore exiſtimanda eſt.

IOHANNIS GODOFREDI LEONHARDI, PHIloſ. et Medic. Doctor. de primae inſpirationis vera cauſa, Periculum.

Actum agerem, ſi poſt tot praeſtantiſſimorum phyſiologorum ſcripta, ad reſpirationem pertinentia, multus eſſe vellem in huius actionis organis, ſtadiis, phaenomenis, modificationibusque deſcribendis. Haec enim in conſummatiſſimi Viri, Illuſtris DE HALLER operibus quis non lubentius quaerat quam in exiguo hoc et tenui ſchediasmate? Meas ſibi potius habeat curas primae inſpirationis natura et cauſa, de qua multi quaeſiuerunt, nemo fere, quod ſufficeret explicationi, docuit. Minus forte verecundus poſſim videri in iudicando, dum omnem omnium auctorum operam, in aetiologia huius rei inuenienda inutilem et fruſtraneam fuiſſe dixerim: ſed habeo quo me tuear. Scilicet quum in munere Profeſſoris Phyſiologiae ordinario adeundo, ad orationem inauguralem audiendam Lipſicas muſas conuocaret, programmate elegantiſſimo, de *prima foetus reſpiratione*, GEHLERVS noſter V. Cl. cauſam eius nusquam a quoquam recte explicitam inueniri, veriſſime quidem monuit, ſimulque faſſus eſt ingenue, eam nec a ſe rite hactenus detegi potuiſſe. Vt autem ſic ſatis a temeritatis crimine mihi videor purgatus, ita quid impediat, quo minus, quae in explicationem rei obſcurae, ex omnium conditionum foetus et recens nati hominis accurata comparatione, et ſollicita diſquiſitione, hauſta et petita, in ſcholis meis phyſiologicis afferre ſoleo, ea publice quoque aliquando exponam, equi-

equidem non perſpicio. Examinent proinde, quae meditatus ſum, iudices non ſordidi neque cupidi, ſed aequi et rerum intelligentes, quibus forte non penitus diſplicuiſſe ſummae mihi erit voluptati.

Prius vero quam noſtram ſententiam proponimus, aliorum decreta praemittenda et diiudicanda videntur; quod et nuper ita fecerunt Viri Excellentiſſimi, BOSIVS (diſſ. de reſpiratione foetus et neogeniti altera,) atque GEHLERVS (l. c.). Ergo ſi diſcedimus a commentitia iſta vi veterum, quae pulmonibus inſit, aerem ſugendi, cuius refutatione non opus eſt: occurrunt nobis, qui vel in aeris ſiue elatere, ſiue pondere, tum ingreſſus in pulmones, tum thoracis atque pulmonum dilatationis cauſam quaerunt, vti BAGLIVIVS, PITTCARNIVS, aliique, quos tamen aeris in pulmones, ſiue mortui, ſiue moribundi infantis, ore hiante licet et puro non contingens ingreſſus egregie conuincit; vel qui dilatationem pectoris per contractionem muſculorum inſpiratoriorum obtinendam, aeris ingreſſui fauere debere recte quidem ſtatuunt; in cauſſis tamen, a quibus iſta quidem contractio pendeat, definiendis, rurſus diuerſi, et vel ad animum prouocantes, vel ad corporeas quaſdam conditiones. Iſti nimirum deſideria varia affingunt animo, quorſum WHYTTII illud reſpirandi, WATTII vagiendi, et, quem ſumma tamen cum veneratione nominare fas eſto, HALLERI, cibum forte capiendi, ſeque a dolore vario et anxietate liberandi, pertinent; quibus vnicum hoc argumentum oppoſuiſſe ſufficiet, recens nato homini, reſpirationis, vagituum, et cibi, vt rerum ignotarum, nullam eſſe poſſe cupidinem. Hi, qui e corpore repetunt primae reſpirationis rationes, mirum rurſus in modum in ſingulis differunt, neque tamen, quae rem vere illuſtrent, et mentem ad aſſenſum cogant, adferunt. DEMERBROECKIVS, qui, quoniam maturior foetus ob

ca-

calorem internum temperandum refriegerio opus habeat, ad reſpirandum eum cogi aſſerit, ſi quidem ex nullo alio capite reprehendi poſſit, ex hoc poteſt, quod iſta ratione docere videatur, cur, et in quem finem reſpiretur, non vero ex qua ineuitabili neſſitate. Cl. HERISSANT, qui et copiam ſanguinis maiorem per arteriam pulmonalem ad bronchiolas, quas vocat, dilatandas, et aerem ſic inuitandum aptam adferri, et in maturiori foetu ſub calcitrationibus in vtero pectoris quoque muſculos moueri ſtatuit, optime a noſtro BOSIO refutatus eſt, et in vniuerſum mihi plus ponere et optare videtur, quam ex phaenomenis vnquam demonſtrari poſſit. THRVSTONI ſtimuli ex meconio et vrina et lucta interna ſanguinis ipſo partus tempore coorta, nec non Ill. HALLERI ſtimulus ex aeris frigore, cui recens natus exponatur, et dolor ſub exitum ex vtero perceptus, quamuis negligi non debeant, nimis tamen remotas videntur ſiſtere cauſas, ex quibus, cur muſculi pectus dilatantes ſeorſim, neque cum conſtringentibus ſimul contrahantur, explicare nemo apte poſſit. Quum vero vt rigeant iſti muſculi, conſentiente WRISBERGIO, BOSIO, aliisque ſummis viris, irritatione quadam vtique opus ſit, egregie ſeruirent explicationi humores acres SWAMMERDAMII, ſanguini immiſti et diaphragma irritantes, modo probari poſſent, vel ſtimulus neruorum in muſculis inſpiratoriis, ex mente TREWII, antea quietorum, modo quid ipſos hos neruos ſtimulet magis nunc quam antea, quidque ſenſiles magis reddat, apte vna exponeretur. Forte tale quid ſtimulans ineſſe credi poſſet extenſioni muſculorum intercoſtalium externorum ſub partu conſueto, vel internorum ſub partu agripparum, et conſtrictioni pectoris et abdominis foetus exeuntis, quod HAMBERGERVS docuit; ſed quominus adſentiar, praeter rationes ab Exc. BOSIO dictas, foetus ex vtero materno exciſi me impediunt, qui ſine omni illa extenſione et compreſſione fauſtis auſpiciis reſpirant. Quare, neque cum Cl. DAVID,

VID, *Diſſert. ſur le mechaniſme, et les uſages de la reſpiration etc à Paris 1766. 8. p. 46. ſſ. Comment. Lipſ. Dec. Secunda Suppl. I. p. 140.*) facio, qui praeter aeris peregrinum ſtimulum, et ingratam preſſionem, partibus pectoris, ſub partu qualicunque compreſſis, et hinc neceſſario reſilientibus omnia vult tribui. Mitto aliorum virorum clariſſimorum opiniones, quae ſiue prorſus eaedem ſunt cum laudatis ſiue parum tantum ab iis diſcrepant, et ad Exc. ROSII ſententiam, quae illo GEHLERI de explicationum omnium inſufficientia iudicio paullo recentior eſt, accedo. Statuit nimirum Vir Doctiſſimus, primae reſpirationis cauſam, primariam, non ſimplicem, ſed valde compoſitam eſſe. Reſpexit proinde ad omnes conditiones, ex vita foetus, ante ſub et poſt partum petitas, ex quibus obſcurae rei lucis aliquid adfundi poſſit. Series cogitationum, qua vtitur, haec eſt. Prima vita foetus in vtero aquis circumdati commoda, cum celeri incremento, et fine diſtinctis motibus, vegetabili ſimilis eſt. Aucto deinceps foetui cedit quidem vterus adhuc, maiori tamen cum reniſu, et ab ipſo foetu, nunc diſtincte moto, atque, imminutis potiſſimum aquis, preſſo, extendendus. Sic ſenſim fit vterus ad retinendum foetum ineptus, et incommodum huius domicilium. Iam accedunt internae perturbationes a meconii et lotii ſtimulis, et incommoda ex ſitu capitis, prius mento ad pectus appreſſi, dein adeo ad vteri oſtium delapſi, et totius corporis vrgente pondere, nec non vltimo ipſius vteri ſemet conſtringentis preſſione, eaque ſub partu potiſſimum ad conicam vsque formam inducendam efficaci, male quidem habiti. Hinc quis non intelligit, cerebrum etiam pati debere, partusque tempore in foetu circulationem ſanguinis turbari, neruos commoueri, et inſolita quaeque, neque ante experta contingere debere? infante inprimis, irrito licet conatu, maxime reluctante naſcendi his moleſtiis, quae in partu quouis alio non naturali, et rudi forte inſuper obſte-

ſtetricante adiuto, multo adhuc grauiores fiunt. Venit igitur iam foetus ex calore grato, et molliſſimis aquis, in auram frigidam, ſenſibiliter et pene intolerabiliter ponderoſam. Vnde ſtringitur corporis ſuperficies frigore; intercipitur, abolita per vaſa funiculi vmbilicalis progreſſione, priſtini circuli libertas; naſcitur ex retento, alias effluente, ſanguine abundantia quaedam, cordi non leue obiicitur obſtaculum, et anxietas haud dubie oritur ei haud abſimilis, quam in nato homine retentus ſpiritus procreat. Libere nunc mouet artus, curuatos antea, natus, extendit caput et collum, elongat tracheam, aperit os, thoracis muſculos agitat, et licet moleſtias tandem ex tanto labore abigere tentans, nec inſtinctum nec voluntatem reſpirandi habeat, impedire tamen non poteſt, quo minus circumfluens aer in patulas vias, dilatato pectore apertas, per aſperam arteriam ſponte in pulmones irruat, eosque extendat.

Fateor, in hac ipſa Excellentiſſ. Boſii ſententia, optima quaeque et veriſſima reliquarum opinionum coniuncta, et pro ſummo Viri iudicio ita apta, collata et diſpoſita eſſe, vt veroſimillimum ſit, ex his conditionibus haud dubie primam inſpirationem conſequi debere. Atenimuero excuſabit VIR SVMMVS, cui, vt noui, coecus aſſenſus minus ſane gratus, quam verecundus in quibusdam momentis diſſenſus eſt, ſi, quae vel alium prorſus in modum, vel latius paullo et diductius meditatus ſum, ingenua quidem cum libertate, ediſſeram, inprimis quum prius, quam ille elegantiſſimus libellus prodiret, auditoribus quibusdam meis, quae ego ſentirem, in ſcholis phyſiologicis priuatiſſimis, iam dudum expoſuerim.

Viuit foetus, ſic ſtatuo; viuit in vtero ſuo corde ſuisque vaſis. Vita igitur foetus non eſt vegetabilis, ſed animalis; et omnis illa radicem inter et funiculum vmbilicalem com-

Digitized by Google

comparatio aeque nimis longe petita videtur, ac iſta foret inter radicem plantae et ductum thoracicum vaſaque lactea hominis nati. Motus ſi deficiat muſculorum diſtinctus, memores ſimus, nec blande dormientis membra moueri. Addo et hoc, ſine aere externo libero non creſcere plantam, creſcere autem foetum.

Nutritios ſuccos e matre habet per intermediam placentam, haud dubie tenuiores, ſubtiliores, et magis lymphaticos ab initio, vt a corde, viſceribus, et vaſis foetus in vſus paruuli corporis ſubigi et impendi facilius poſſint, vtque laetius ſit incrementum, ſenſim vero paullo denſiores, globulis rubris ditiores, et quaſi magis oleoſos, vt futurae extra vterum degendae vitae aptum robur corpus foetus colligat.

Sic augetur in foetu ſanguinis pars rubra, cumque ipſa calor increſcit, quem, quum aer tunc temperare nequeat, temperat exterius circumiectus liquor amnii, interiusque abundans ſuccus lymphaticus, ſanguini venoſo denuo affuſus. Certum enim eſt, meo iudicio, quod alio tempore latius diſputabimus, ſanguinem rubrum, vt magis oleoſum, et in globulos inſuper figuratum, in arteriis inprimis minoribus, inſuper oſcillantibus motum, tritu vehementius incaleſcere debere, quam informes, hinc tritu expertes ſuccos lymphaticos, minori copia principii inflammabilis diuites, inque cauitatibus et cellulis quieſcentes, vel in vaſis venoſis lymphaticis cedentibus glanduliſque conglobatis tardius motos.

Vtut vero calor ſic mitigatur, non tamen prorſus extinguitur, immo adeo in dies augeſcit, aucto in dies nimirum cruore et imminutis liquoribus tum amnii, tum lymphaticis. Hinc nerui foetus fiunt ſenſibiliores ipſo fotu, et

et preſſus vteri, quem imminutae aquae a corpore tenello non amplius arcent, cum quodam moleſtiae ſenſu percipitur, ex quo preſſu pariter atque ſenſu eius congeſtione ſanguinis in muſculis proximis nata, nutu ipſius, vt probabile eſt, animi accedente, fit muſculorum in artubus potiſſimum contractio, motus embryonis et ſitus varia mutatio. Effectus quoque hos pro cauſarum incremento, et frequentiori recurſu, et crebriores et maiores fieri deberi facile iudicatu eſt, donec reuolutio vltima partum praecedens accedat.

Vaſa foetus, placentae et vteri haud dubie ad certum quendam tantum gradum mutuo extendi poſſunt. Quicquid hunc gradum excedit, aequilibrium tollit inter ſanguinem ex vtero affluentem, et ex embryone iſtuc refluentem, ſumme neceſſarium; atque proinde foetum, ſi viuit, reddit inquietiorem; ſiue vero viuat, ſiue mortuus ſit, vterum, cuius fabrica muſculoſa diu quieuerat, tandem ad contractiones exſtimulat. Eſt proinde in ſanguine nimis congeſto, et paulo aegrius per vterina vaſa venoſa transeunte vteri ipſius muſculoſi irritati, hinc et contracti ratio. In omnibus vero, quae nunc diximus, partus cauſſa quaerenda, qui pro diuerſitate variarum conditionum, hic copioſius non exponendarum, nunc breuiori, nunc longiori mora, plusque minusue graui cum dolore ſequitur. Nolo iam partus phaenomena enarrare, quae aliunde nota ſunt. Sufficit mihi, vtero expulſum infantem viuum eſſe, hoc eſt ſanguine gaudere per cor et vaſa mobili. Is prodit in aerem, cuius quamuis nouum, non hoſtile tamen ſed beneficum frigus, vniuerſam corporis externam ſuperficiem alluens, infeſtum temperat calorem ſanguinis, copioſius ab vtero ſemet contrahente in foetus corpuſculum deriuati, et ſub partu ipſo citius quoque, vt videtur, quamuis haec vrgere nolim, moti. Sic ergo ad cor redit quamuis copioſior,

temperatior tamen ſimul ſanguinis vnda per venas cauas, pulmonalium venarum cruore ſimili beneficio nondum vſo.

Ceſſat vero iam tota priſtina viuendi ratio. Nil quidem cruoris per venam vmbilicalem amplius adducitur, frigore ſolo aut ligatura ſimul artificiali commeatum hunc intercipiente, ſed nihil quoque cruoris amplius per arterias vmbilicales, larga, vt egregie adnotauit Excellent. BOSIVS, ſanguinis quondam emiſſaria, educitur. Hinc quicquid exire non poteſt, ad artus fertur inferiores, hactenus parciori ſanguine irrigatos; horum neruos fouet, ſenſiles magis reddit, muſculorum extenſorum contractionem, quamuis non ſemper, proritat; denique auget copiam cruoris, qui per venam cauam inferiorem verſus cor anterius adſcendit, a qua portio eiusdem praeterea traditur trunco venae ſine pari, cuius coniunctiones cum trunco venae cauae inferioris, ramisque lumbalibus, renalibus, et ſpermaticis, ex anatomicis ſatis quidem notae ſunt.

Quemadmodum vero ſanguini, in venis muſculorum caput collumque extendentium et laryngem aperientium, nec non brachia mouentium, aliorumque fluenti ſeque per ſuas vias in iugulares et ſubclauias effuſuro, blande renititur columna ſanguinis in vena ἀζύγῳ, vt ſic ex leui, ſanguinis tamen adhuc moti, congeſtione neruorum et muſcularium fibrarum ſtimulus, indeque muſculorum contractio oriatur, per quam ſanguis quidem promouetur, collum vero ſimul et caput, nec non brachia mouentur, aſpera arteria elongatur, mucus exprimitur, osque aperitur; ita quoque columna ſanguinis per venam cauam inferiorem adſcendens riuulo venarum diaphragmaticarum et columna ſanguinis in vena impari riuulis venarum intercoſtalium renititur, et ſic pro vario vigore infantis ſerius ocius beneficia illa fit diaphragmatis et muſculorum intercoſtalium, ex

ſan-

ſanguinis turgentis ſtimulo, contractio, cuius ope thorax ampliatur, inque pulmones dilatati thoracis aer liberrime irruit, ſicque inſpiratio prima contingit.

Iam et illas addere poſſim mutationes, quae primam inſpirationem ſequuntur, et cauſſas, quae exſpirationem reddant neceſſariam; ſed in hactenus dictis acquieſcam, quum exſpirationis neceſſitas iam ab aliis tradita et explorata ſatis habeatur, nec argumenti propoſiti limites temere excedere velim. Caeterum, quam propoſui, explicationem, puto omnium commodiſſimam, quum et foetibus applicari poſſit vtero exciſis. Habet quoque, niſi me omnia fallunt, quum petita ex intima corporis oeconomia, ſuperſtructa anatome, et iuſtis obſeruationibus ſit, veram demonſtrationis vim, et pedetentim progreditur ad vltimum, quod docendum eſt, aequabilique paſſu. Verum iudicent alii, vtrum recte et ordine cogitarim; ipſe ego pauculis adhuc, quae moueri poterant, occurram dubitationibus.

Saepe, dicent forte quidam, ſaepe omnia irritamenta externa, fruſtra applicantur, nec tamen obtinetur pectoris dilatatio, neque aeris inſpiratio; ipſa adeo aeris inflatio non ſufficit ad foetum viuificandum. Nimirum egregie ex his ipſis corroboratur mea ſententia. Eluceſcit exinde, externum ſtimulum inanem eſſe, ſi internus ille ſanguinis moti et turgentis et neruos fouentis deficiat. Semel finita aut nimium languida morituri circulatio, nullis ſtimulis externis reuocatur aut confirmatur. Cordis exemti et varie diſſecti motum per ſtimulos reductum nemo mihi opponat. Habet enim cor multa ſingularia, quibus carent muſculi reliqui; et in vniuerſum, quae poſt mortem fiunt et extra corpus, tutiſſime ſemper ad phyſiologiam viui corporis illuſtrandam transferri equidem affirmare non audeo.

Obii-

Digitized by Google

Obiicient alii, aliquando diaphragma pariter atque muſculos intercoſtalrs agitari, neque tamen conſequi aeris in pulmones ingreſſum; ſed tunc in ore et faucibus haeret vtplurimum mucus, quem, is qui demonſtrat, mente, is qui obſtetricatur, manu remoueat neceſſe eſt; vel ſpasmus forte laryngem conſtringens aerem arcet, arte, ſi fieri poteſt, ſoluendus, vt irritatione locorum vicinorum, vel calore blando et ſimilibus. Exinde vero cauſſae noſtrae nihil prorſus decedit.

Erunt denique forte, qui reprehendant nos, quod in ſanguine moto, turgenteque, quaeramus id, quod neruos ad ſenſum, muſculos vero viui corporis ad motum adaptet. Sed his commendamus attentionem ad phaenomena omnia corporis viui, ſani et morboſi, ſedulamque inprimis meditationem ſuper ſanguinis copioſiori et celeriori refluxu, per motum muſcularem obtento. Ego vero alii tempori huius quidem rei tractationem reſeruo.

HESIODI ASCRAEI QVAE EXTANT, EX RECENſione THOMAE ROBINSONI, cum eiusdem, Ioſ. Scaligeri, Dan. Heinſii, Franciſci Guieti, et Iohannis Clerici notis, Ioh. Georgii Graevii lectionibus Heſiodeis, et Danielis Heinſii Introductione in doctrinam Operum et Dierum. Acceſſerunt varietates lectionis Mſſ. et Edd. Vett. Scholiaque inedita, itemque Dav. Ruhnkenii animaduerſiones, cum aliorum ſelectis, curante CHR. FRID. LOESNERO.

Lipſiae ſumtu Gotth. Theophili Georgi A. C. CIↃIↃCCLXXIIX. 8. pag. 711. praeter praefationes, et Thom. Robinſoni Diſſertationem de vita, ſcriptis, et aetate Heſiodi.

Quum ab aliquo inde tempore conſuetudinem hanc obtinuiſſe ſatis conſtet, vt librarii noſtri ius ſibi vindicarent

rent, graecorum latinorumque auctorum Anglicanas, Belgicas, Gallicas editiones, recentiſſimas quoque, iterum typis tradendi, quod vel locorum, quibus natae eſſent, diſtantia adducerentur, vel typorum chartarumque nitore atque ſplendore caperentur, vel lucri inde aliquid commodique ſperarent; Heſiodi vero carmina omnium fere doctorum manibus terantur, editionis autem huius antiquiſſimi et praeſtantiſſimi poetae, quam Thomas Robinſonus anno huius ſeculi ſeptimo atque triceſimo curauit, quae bona, dotesque ſint, et in his ipſis Actis tum temporis expoſitum ſit, et eius inſpiciendae atque aeſtimandae cuiuis haud difficilis detur copia: his ſingulis praetermiſſis, modo commemorare placet ea, quibus cura Chr. Fr. Loesneri, Philologiae S. in hac Vniuerſitate Profeſſoris eruditiſſimi, Anglicana editio repetita, aucta, ornataque eſſe videtur. Cum non modo variae lectiones MSS. et editt. Vett. ſed et ſcholia inedita, nec non animaduerſiones Ruhnkenii, aliorumque ſelectae, acceſſiſſe dicantur; primum de Varietatibus Lectionis, deinde ſcholiis, de animaduerſionibus denique ea afferemus, quae cognitu videbuntur neceſſaria.

Duo codices noſtra in vrbe, tum in bibliotheca Academica, tum in Senatoria ſeruantur, quorum hic chartaceus eſt, ad ſaeculi XV. primordia, iudice Reiskio in praefatione ad Theocritum, atque praeter Theocriti octo priora Idyllia, et Sophoclis tres primas fabulas, Heſiodi Opera et Dies, cum ſcholiis non poenitendis, et ab Tzetzae opere diverſis, complectitur; ille aetate alteri fere aequalis, Pindari Olympionicas, Theocriti octo priora Idyllia, atque Heſiodi Opera et Dies, cum antiquis Moſchopuli ſcholiis marginem occupantibus, aliisque cum grammatici, tum rhetorici argumenti inter lineas collocatis, continet. Horum igitur Codicum lectiones, ſed non adeo numeroſae, pleraeque etiam vel ex errore ſcribarum ortae, vel editionibus Vett.

conuenientes, ſuo quaeque loco textui ſubiectae conſpiciuntur, ita tamen, vt Codicis Senatorii lectiones non ex ipſo Codice, ſed ab exemplo editionis Trincauelli, iſtius codicis collationem habente, petitas, Cl. Loesnerus fateatur. Is qui, quod obiter notamus, hoc exemplum editionis Trincauelli poſſederat, Stieglizius, Ictus non incelebris editionem quoque Farreanam, Venetiis 1543. impreſſam, conferre inceperat, ſed meram repetitionem Iuntinae poſterioris eſſe cognoſcens, varietatis notandae conſilium ſtatim rurſus abiecerat. In ſocietatem Lipſienſium quos memorauimus Codicum, venit quoque codex Auguſtanus, deſcriptus ab Ehingero in Catalogo Bibliothecae Auguſtanae p. 860. et Reiſero in Indice MStorum eiusdem p. 81. cuius Varietates et ſcholia Reiskius dederat deſcripta librario, qui et Iuntinarum, Aldinae, Trincauelli, Venetae 1537, Stephanianae inter principes poetas graecos heroici carminis, Heinſianae tandem maioris, lectiones colligendi curam, Ioh. Petro Schmidio, nunc ſacrorum interpreti, curam commiſerat. Quod ad ſcholia attinet, inedita, ea, qualia ſint vt intelligatur, non continent breuiores notas, ſenſusque explicationes, ſed ſingularum potius vocum interpretationes, gloſſemata dicere poſſis: e. gr. Πιεξίηθεν, ἐκ τῆς Πιεξίας: κλείυσαι, δοξάζυσαι τὺς ἀνθξώπυς: δεῦτε, ἄγετε: ἐννέπετε, εἴπατε, λέξατε: σφέτεξον, ὑμέτεξον: Πατέξ, τὸν Δία: ὑμνείυσαι, ἔχυσαι ἔξγον ὑμνεῖν: ὅν τε διά, διὰ ὃν τρόπον βξοτοὶ, οἱ φθαρτοὶ ἄνδρες, ἄνθρωποι: ὁμῶς, ὁμόιως: ἄφατοί τε, φατοί τε, ἀνώνυμοι καὶ ὀνομαςόι εἰσι, κ. τ. λ.

Neque deſiderari paſſus eſt Loesnerus V. Cl. animaduerſiones Dav. Ruhnkenii, collectis, quae cum priori ipſius epiſtolae criticae anno 1749. editae, et ex inſtituto Heſiodea tractanti, tum alteri, quae tribus annis poſt Lugduni Bat. prodiit, ineſſent ad Heſiodum illuſtrandum. Hae autem ipſae Ruhnkenii animaduerſiones etſi modo ſex plagulas complent, commendant tamen ſe acumine atque

que diligentia critica, cum premat veſtigia Graeuii in lectionibus Heſiodeis: neque tamen opus eſt exempla huius rei commemorare, cum ſcripta Ruhnkenii a quouis harum deliciarum cupido legi haud nos lateat. At Cl. Loesnerus paucula quoque inſerta eſſe aliena ſcribit, vel auctoribus laudatis, vel ſibi tribuenda: nos vero praeter duo obſeruatiunculas, et laudatum Valkenarium, qui probet dicta Ruhnkenii, nihil aliud alieni reperire potuimus. Vna obſeruatio ſpectat τὸ ἔμμεναι, Theogon. v. 610. quod Scholiaſta παρέλκειν exiſtimat, Robinſonus vero reddit, *vt ſit*, vbi vocem εἶναι etiam apud Atticos ſaepius abundare obſeruatur, atque Bachius ad Hieron. Xenoph. VII, 11. laudatur. Altera obſeruatione docetur, Verſum 76. Operum atque Dierum eſſe a tenebrionis manu, quod non differat a. v. 72, neque dici poſſit, omnem cultum a Minerua aptatum, quia et Gratiis, et Suadae, et Horis, ſuae partes fuerint. Non vero fuit integrum Cl. Loesnero, colligere, quae ſciret vel ex inſtituto ad Heſiodum vel emendandum, vel explicandum, eſſe ſcripta, necdum edita, vel per libros ſparſa, multo minus Graecos Poetae interpretes, eodem tempore, et vna eademque opera, lectoribus dare, quum et temporis anguſtia prohiberetur, et conductor nollet excedi numerum praefinitum pagellarum: promiſit tamen Vir doct. aliud volumen, quo Graecorum commentarii, adhibitis vel codicibus ſcriptis vel veterum Grammaticorum libris, cum editis, tum ineditis, vel Trincauelli editionis ope, diligentius quam in Heinſiana conſtituti, continebuntur. Interim curauit, vt Robinſoniana Heſiodi editio omnibus mendis maculisque, quantum quidem humana prouidere poteſt induſtria, careret, et praeter ea, quae iam commemorauimus, ornamenta, notis quoque nonnullis Ioh. Tob. Krebſii, anno huius ſeculi quadrageſimo ſexto Schreuelianum exemplum recenſentis, augeretur, nec non typorum chartaeque puritate ſe commendaret. Si Loesneri arbitrio plane relictum fuiſſet,

 in

in Heſiodo edendo facere quicquid vellet; profecto non Robinſoni editionem repetendam curaſſet, quem, vt et Clericum, haud raro nugatores et ieiunos fuiſſe quod conſtet, ſcribit, quemque non longe abeſſe a partibus eorum exiſtimat, qui contemtui diſciplinae rationisque criticae, ab eius idoneo vſu alieni, ignauiae inſcitiaeque velamen quaerant.

Quamuis tamen Robinſonus ratione Grammatices et Critices non omnibus ſatisfaciat: nec tamen contemnenda eius videtur opera; ſed grates potius ei referendae, cum Heſiodi commodam nitidamque editionem lectoribus dederit.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΠΩΣ ΔΕΙ ΤΟΝ ΝΕΟΝ ΠΟΙΗΜΑΤΩΝ ΑΚΟΥΕΙΝ.

i. e.

PLVTARCHI COMMENTARIVS, QVOMODO adoleſcens poetas audire debeat: Graece et Latine, ex interpretatione Xylandri, ſecundis curis recenſitus, emendatus, et multis Animaduerſionibus nouis illuſtratus, opera IO. TOB. KREBSII, *illuſtris Moldani Rectoris.*

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1779. 18 pl. octonis.

Quae duo lectionem Plutarchi operum impediunt maxime, ingens libri moles, et exemplarium idonea facultas, ea remoueri paullatim ſentiuntur hoc tempore, quo editiones habiliori commodiorique forma parantur, et minora opuſcula ſeparatim eo cultu habituque, iis nimirum notis et obſeruationibus inſtructa produntur, quibus de placitis

citis philoſophicis veterum, de hiſtoria, chronologia, geographia antiqua, de fontibus ſignificationum verborum et dicendi formarum, de quibus omnibus ſcriptorum Plutarchi lector iuſtam cognitionem habere debet, ſufficienter exponatur. Hoc nomine laudauimus nuper Wyttenbachii V. C. in explicando Plutarchi de tarda numinis vindicta libello ſtudium, quo in genere is tam excellenter verſatus eſt, vt exemplum inde petendum ſit reliquis, qui in aliquo eius ſcripto illuſtrando vires experiri velint. Sicut autem de Puerorum educatione liber, Heuſingeri quondam, nuper autem Schneideri, Francofurtanae Academiae doctoris, curis, cum auctori, tum lectoribus ſaluberrimis, eſt editus, ſic ſcripti de Audiendis vel legendis Poetis, poſt Ioh. Potterum, V. Cl. Krebſius ante triginta et amplius, cum adhuc Lipſiae commoraretur, annos, prodidit editionem, quae magiſtrorum ipſius, Geſneri et Erneſti, Virorum in hoc genere praeclariſſimorum, calculum ferret; qua vſi ſunt adhuc Iuuenes ad cultum ingenii et litterarum ſtudium formandi, in ſcholis et Academiis quibusdam, donec diſtractis et diuenditis exemplis, repetita ſibi et aucta editione opus eſſe librarius oſtenderet. Annuit precibus eius honeſtiſſimis Vir Cl. qui non ſperaſſet, ſibi fore manus priſtinae operae renouandae admouendas, et, quae ſuo exemplo in priuatos vſus adſcripſiſſet, expromtis, Commentarium priſtinum auctiorem notis, et vberiorem citatis, exire iuſſit. Iuuat enim adoleſcentes, magnorum virorum, Valckenarii, Pierſoni, Ruhnkenii, et aliorum, quorum ſcripta per hoc tempus edita ſunt multa et egregia, mature noſſe in Graecam litteraturam merita, inde opes et diuitias ſcientiae verae, inde demum Critices ſanae diſciplinam et praeſidia repetere. Ac ex Ioh. Potteri quidem ſatis rara editione, quae vſus poſtularet, varietatis lectionis et adnotationis cauſſa iam quondam allata ſunt, et Reiskiana nunc acceſſerunt, quae ad verba, vel coniectura, vel librorum ope reſtim-

fingenda pertinent. Sed iniquior eius conatibus, pleraſque coniecturas et emendationes repudiat, alias tanquam obſcuras, alias vt parum neceſſarias, crebro his vocibus vſus: *vir doctus falcem criticam intra paenulam continere poterat: hic locus integerrimus, ita vt hoc tibicine non opus habere videatur: vir doctus in legendis ſcriptoribus graecis faſtidioſi ſtomachi fuerit neceſſe eſt, cui nihil fere recte dictum videretur*, paucis exceptis, quibus adſcriptum ſit: *haec emendatio mihi placet.* E quamquam locorum e Poetis antiquis a Plutarcho adhibitorum, ſedes et ſententia apte paſſim in Commentario indicatur et exponitur; quamquam ſcriptoris intelligendi praeſidia ex eodem ipſo, laudabili ſtudio perlecto et familiari facto, ſumuntur: tamen rem altius repetendo ad fontes et origines verborum et locutionum, quibus ſuam orationem exornat, praeſertim in rarioribus et exquiſitioribus explicandis, magis ſubinde videtur reſpiciendum fuiſſe. Εὐθὺς pro *αὐτίκα* Xenophontem non raro adhibuiſſe, v. c. in Hierone 2, 7. 8. obſeruat Koenius ad Gregorii de dialectis libellum p. 195. Hinc apud Plutarchum c. 4. εὐθὺς, *εἰ βούλει* etc. non vertendum eſt, *ſtatim*, ſed *verbi cauſa, exempli gratia*, niſi quis teneat, *continuo* apud Virgilium, et ipſum *ſtatim* apud Iureconſultos veteres, hac notione vſurpari. Nec in illo loco tam iuuat intelligere *ὑπέτεγκε*, quam nexum verborum cum Οἶσθα *καὶ ἄλλον μῦθον* etc. coniungere. Et latina quidem verſio Grotii, in editione Potteri, quae multis modis praeſtans vulgatae Xylandri, crebro cum fructu ad partes vocari merebatur, nec fere neglecta vel ſileri, vel ſperni debebat, ſcite ſic vertit, et totum ſic locum perſequitur: *Exempli gratia, cum narrat Homerus, deos alios ab aliis deiectos, aut ab hominibus vulneratos, aut inter ſe diſcordes atque iraſcentes: noſti alia his dictis multo meliora profari: Certe noſti, atque etiam meliora profaris alibi:* — *Diui, quibus eſt facile aeuum* etc. Λόγοι ἐπιγελῶντες Cap. 7. extr. *rationes quae arrideant*, ſiue, vt paullo melius Grotius:

tis: *oratio abblandiens*; quam eſſe ſententiam verbi, contextus probat. Sed quomodo hanc vim habeat, non eſt oſtenſum. γελᾷν ſane tribuitur rebus, quod ſe vnquam inueniſſe negat Cl. Krebſius, paſſim apud Poetas, inprimis mari placido: vid. Stanlei. ad Aeſchyl. Prom. V. init. vſ. 90. Rittershuſ. ad Oppian. Halieut. 4, 334. Bergler. ad Alciphr. p. 274. Abreſch ad Heſych. T. I. p. 1167. Sic nec φιλανθρωπεῖν de rebus dici concoquebat. At vid. Thomas Mag. V. φιλανθρωπία, vbi Aeſchinem memorat dixiſſe, διὰ τὴν γνῶσιν καὶ φιλανθρωπίαν τῆς τέχνης. Tum porro γελᾷν, ſeu alia forma γελεῖν, in riſu frequens olim in ſplendendo fuit renidendoque. Heſychius: γελεῖν λάμπειν, ἀνθεῖν. Latini ſic dicunt *ridere*. Horat. Od. 4, 11, 6: *Ridet argento domus*. Hinc γελέοντες apud Herodot. V. 66. e Mſſ. lectione, *illuſtres, ſplendidi*, vt docet Weſſelingius Diſſ. Herodot. p. 165. Sint ergo λόγοι ἐπιγελῶντες verba blanda, decora, ſplendida et ſpecioſa, quemadmodum εὐπρεσώπους λόγους *ſermones ad ſpeciem bonos* dixit Philo, de Nobilit. p. 905. A.

Huius quidem etiam locus e libro *Quis rer. diu. heres*, p. 487. C. ed. Francof. (T. I. p. 479. Mang.) ita tractatur p. 201. vt pro τὸ φιλίας παράκομμα legendum ſtatuatur τὸ φιλίας παρακάλυμμα; quae emendatio duabus de cauſſis repudianda videtur. Primum παράκομμα probum eſt vocabulum, ab ipſo Philone adhibitum *Leg. ad* Cai. p. 1007. C. ὃ γάρ ὥσπερ τὸ νόμισμα παράκομμα, καὶ θεοῦ μορφὴ γίνεται, vbi ſignificat *notam nummi deprauatam*, ſicut κόμμα *nota* ipſa 1. Maccab. XIV, 6. quod χάραγμα vocatur alias, quod veteres εἰκόνα interpretantur, Matth. XXII, 20. Deinde voci παρακάλυμμα addenda altera in Genitiuo, rem malam vel turpem denotare debet, quandoquidem non honeſta et bona, ſed ignominioſa et turpia *velamine* opus habent. Quod in reliquis exemplis commemoratis obtinet, in hoc certe valere debet. Quare τὸ φιλίας παράκομμα maneat, et expli-

plicetur, *corrupta, parum certa amicitiae nota*; nec interpreteris verba: *fucatum ſpecimen amicitiae*, ne machinulis (forte fidiculis dicere voluit,) quidem adhibitis e graecis extorquenda dicantur. Denique nec Grotiana verſio verborum Plutarchi: ἐχρήσατο τῆς ἀπορίας παρακαλύμματι, *rebus perplexis velamentum hoc inuenit*, exagitetur, qua cur praeſtet iſta, *vſus eſt hac ratione difficultatis remouendae*, non videmus, praeſertim cum ἀπορία hic non tam ſit difficultas, quam *conſilii inopia*, quae alias ἀμηχανία dicitur. At videbimus quoque de reliquis quibusdam Viri Cl. coniecturis. Plutarchi locus eſt in Fabio Vol. I. p. 673. ed. Lipſ. vbi βαρύτητα τοῦ ἤθους pueri Fabii memorat. Diſplicet hoc V. C. et βραδύτητα in vtraque editione, (βραδυτῆτα debebat eſſe,) in recentiſſima autem p. 108, reponendum putat, vſus hac ratione, quod βαρύτης ſumatur pro *moribus grauibus, inſolentia, quin ipſa crudelitate*. Hoc ipſum eſt quod volumus, ſed crudelitatem abeſſe iubemus. Nimirum in Coriolano, qui locus laudatur p. 120. ſic eſt: ἐτύγχανον αὐτῷ μετ' ὄχλου (vel ὄγκου) καθεζομένῳ καὶ βαρύτητος οὐκ ἀνεκτῆς. Haec morum grauitas erat rara et memorabilis in puero; tarditatem vero ingenii quis memorandam, aut rerum magnarum praeſagium putet? Quamquam de hac quoque eſt in ſequentibus. Vt taceamus, βραδυτῆτα non tam de moribus, quam de ingenio dici, adeoque cum ἤθους vocabulo iungi non poſſe. In ipſo libello de audiendis poetis, aliquot parum neceſſarias ſollicitationes notauimus. Cap. 4. in verbis: ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἰατροὶ, τῆς κανθαρίδος οὔσης θανασίμου, τοὺς πόδας ὅμως καὶ τὰ πτερὰ βοηθεῖν οἴονται καὶ ἀναλύειν τὴν δύναμιν, primum immerito plectitur Grotius, qui vertit vltima: *valere aiunt ad arcendam vim noxiam*, quae ſi in graecis non ſunt ſcire velimus quae tandem inſint? Deinde clauduntur verba adiecta voce θανάσιμον, vt totus locus ſic ſonet: — θανασίμου — — — ἀναλύειν τὴν δύναμιν θανάσιμον; quis autem ferat intra tam breue ſpatium repetitum bis idem

ro-

vocabulum? quis parum exquiſitum? quis vero deſideret? ſiquidem, ipſo fatente, omnibus interpretibus haec verba ſana et expedita viſa ſunt, niſi cui τὴν δύναμιν pro τὴν αὐτῆς δύναμιν dictum eſſe obſcurum ſit. Pro δύναμις autem etiam φύσις dici poterat, vid. Thom. Mag. v. φύσις. Cap. 7. init. ἀποδεχόμενος τοῦ ψέγοντος noue dictum, cum debuiſſet τὸν ψέγοντα, vel τοὺς ψέγοντας, vt ex variis lectionibus ipſe V. D. recipiendum putat. Quodſi tamen, vt nobis videbatur, ἀνεχόμενος verum exiſtimetur, iſta mutatione opus non fuerit. Interpretis certe verbum *neque admitteret*, magis verbo ἀνέχεσθαι, quam ἀποδέχεσθαι conueniens, poſſit hanc rationem iuuare. C. 9. ἔχεται δέ τινος οὐκ ἀχρήστου θεωρίας, quin recte vertatur cum Xylandro, *contemplationem non inutilem habet*, vel, *habet et non inutilem conſiderationem*, cum Grotio, dubitari non debebat. Quid enim *habet* aliud eſt quam *offert*, *ineſt*, quid aliud ἔχεσθαι τινος, quam coniunctum cum aliqua re eique proximum eſſe; talia nonne dicantur *haberi* a re, eique *ineſſe?* An ſic dicere non poterat Plutarchus, qui ſequ. cap. ἔχεσθαι τινος, *perſequi aliquid* dixerit? Eſtne neceſſitas vlla loci refingendi ſic: ἔχει δέ τι οὐκ ἀχρήστου θεωρίας? nobis non videtur. Saltem debebat eſſe ἔχει δέ τινα οὐκ ἄχρηστον θεωρίαν. Hiccine, tanquam in re graui, acutiorum iudicio opus ſit? C. 10. In verbis ἀνδρείους ἔοικε ποιεῖν τοὺς σώφρονας, iterum interpres vterque reprehenditur, Xylander, qui verterat: *haec oſtendunt eum modeſtis adſcribere fortitudinem*; Grotius, qui τοὺς σώφρονας *temperantes* elegantiſſime reddiderat. Sumamus nunc verſionem a V. C. factam: *videtur Poeta eos, qui honeſti turpisque ſenſu tanguntur, facere, exiſtimare, fortes*, et quid profecerimus, exploratum non erit. Sequentia, ἀφ' ὧν καὶ Τιμόθεος ὁρμηθεὶς, ſcribit V. C. fruſtra quaeri in verſione. Ac vertit tamen Interpres, *qua occaſione Timotheus*; Grotius autem: *quod et Timotheum impulit*. Ipſi duplici modo interpretanda videntur, quod non eſt docere, ſed dubitare. Vertere

 quam-

quamquam licet: *hac oratione exorſus, hoc exordio vſus,* tamen non opus eſt. Simpliciter vertatur, *hinc.* Philo de Nom. mut. p. 1050. E. ἐντεῦθεν ὁρμηθεὶς, τήν τε σκηνὴν δυσὶ περιβόλων ὅροις συνύφαινε, *hinc exorſus*, (Moſes) *tentorium duabus extremitatibus contexuit.* Sic quidem interpres, qui et ipſe offendit, nam illud *exorſus* omittendum erat, et *hinc* ſimpliciter, vel, *qua de cauſſa,* vertendum.

HERMANNI TRESCHOW TENTAMEN DEſcriptionis Codicum veterum aliquot graecorum N. T. nondum vel accurate deſcriptorum, vel collatorum. Accedunt fragmenta et parerga varii generis in illis codd. reperta, cum ſpeciminibus characterum aeri inciſorum.

Hafniae 1773. pl. 9. tabb. IV. octonis.

Cum Bibliotheca Vindobonenſis, exemplo a Vaticana petito, omnibus pateat, et copia praeſtantiſſimorum Codicum referta ſit; Vir doctus ſe potiſſimum ad perluſtrandos libros manuſcriptos Noui Teſtamenti contulit, quippe quarum litterarum eſt cupidiſſimus, atque ea re non ſolum ſibi, ſed et omnibus earum rerum curioſis conſulere viſus eſt. Libellum ipſum, quae eius modeſtia eſt, tentamen vocauit; caeterum ſuo iudicio tam moderate vſus eſt, vt in eo genere cum paucis conferendus, multis anteponendus eſſe videatur, iunioribus maxime Grammaticis, qui ſaepe non exiguam operam in obtrectandis aliis collocant, et nonnunquam ſumma temeritate ad iudicandum prouolant. De fine huius operis, et quale inſtitutum ſit ſecu-

Digitized by Google

cutus, ipſe exponit p. 9. atque is liber iucundiſſimus fructus eſt, quem ex peregrinatione ſua percepit, et ex itinere quod Vindobonam fecit. Veniam petit Vir doctiſſimus, quod aetatem codicum manuſcriptorum non indicauerit: at hoc ipſo ſe probabit eius rei peritis, nam difficile eſt, e litteris minuſculis ſaeculum quo ſcriptae ſint certo definire. Atque hic nonraro falluntur eruditi, quibus id vel in litteris vncialibus accidere ſolet, adeo vt magis laudandus quam vituperandus eo nomine videatur. Caeterum, modo bonus ſit liber, tempus quo ſcriptus eſſe videatur parum attinet inquirere. Nec iniquus eſt cenſor eorum qui errant in comparandis libris, et maxime autor eſt, vt veniam demus eiusmodi errori, atque ipſi, quo magis videamus quam difficilis labor ſit, ſimile quid moliamur: per enim facile eſſe negligere aliquid in tali opere; neque enim ab hoc vitio immunes ſunt ſummi in re critica viri, modo ne arguat hominem negotii huius plane expertem, nulloque vſu tritum. Cum in magnum librorum ſcriptorum numerum incidiſſet non ſatis quo ſe verteret ſciebat; erat enim ſolus, nec omnino otio abundabat: aliquosne igitur conferret, eosque integros, cum textu impreſſo, aut plurimos, ſed per partes incertus. At hoc maluit quam illud; in cauſa fuit, quod in magna vi exemplorum, quibus paene omnibus ſua bonitas conſtaret, difficile eſſet eorum delectum habere, at certum eſſe, gratum id futurum peritis, ſi quis iis copiam faceret omnes diiudicandi, eorumque dotes explorandi. Sic, quos integros conferre operae pretium eſſet, apparere. Id quod effici poſſe maxime ratus eſt, ſi quis de ſingulis partes quasdam, ex alio aliam, decerperet, ſelectasque cum textu impreſſo conferret. In hanc igitur rem potiſſimum Matthaeum deligere, et Pauli Epiſtolam ad Romanos, voluit: illum, cum codicibus vno Neapolitano tribusque Lambecianis n. 29. 30. 31. et Carolino conferre, qui ab Imperatore, qui illo vſus eſt, nomen haeſit: hanc, ad

Zz 2 quin-

quinque Lambecianos comparare, n. 1. 34. 35. 36. 37. Caeterum nec reliquos codices intactos reliquit, ſed inſignes quasdam varias lectiones excerpſit, formam litterarum exhibuit, et varia prodidit, quibus aliquis adiutus de eorum pretio iudicet. E lectionibus potiſſimum eas vulgauit, quae ſingula exempla aut ſola haberent, aut quae paucis quibusdam aliis ſimul continerentur: quibuscum ſaepe vetus aliqua verſio congruere viſa eſt, eius conſenſum ſedulo notauit, id enim magnopere facit ad hos libros in claſſes deſcribendos. E verſionibus Syriacam, Vulgatam, et Italam ſic dictam, e Blanchini Euangeliario, ſolas contulit: vbi ſaepe Wetſtenii negligentiam, praeſertim in Syro interprete, deprehendit et notauit; quo facile huius viri collectio et augeri et emendari poteſt. In libris inter ſe conferendis, vſus eſt editione tertia Eraſmi, a Schoettgenio 1744. repetita, quae illi ſimillima eſt, niſi quod interdum aliter diſtinguat. Vt lector harum litterarum peritus de codicum aetate iudicare poſſet, ex XII. libris, quorum comparatio facta eſt, ſpecimina quaedam aeri incidenda curauit, et expreſſa operi adiunxit: quod et in duobus fecit, quos minime hic exſpectares, Rauiano Berolinenſi, de quo paucis abhinc annis magna annorum contentione diſceptatum eſt, et Lambeciano duodetriceſimo, cuius originem Maſtrichtius Saeculo decimo poſuit. Simul apparet non modo Millium errafſe qui huic ſcripturam vncialem tribuat, ſed et virum doctum, qui eius litteras cum illis comparat, quibus Biblia Complutenſia exarata ſunt. In hoc exemplo Act. XXIV, 9. συνεπέθεντο pro συνέθεντο inuentum, quod Wetſteinius, etſi e re ſua eſſet, omiſit. In Rauiano codice deprehenſi ſunt plus quam decem errores typographici textus Complutenſis, nec locus 1. Ioh. 5. aliter atque in illo ſcriptus, nec non verba ſimili modo tranſpoſita: accedit tanta litterarum ſimilitudo, quanta maxima eſſe poteſt, quae probant, forte depictas illas eſſe. Quodſi quis ad-

adſtitiſſet huic labori, quem ceteroquin valde probamus vir longo vſu tritus, qui noſtro quaedam compendia monſtraſſet, confidimus, eodem temporis ſpatio ſingulos codices conferri potuiſſe integros: interim hoc inſtitutum nec ſua laude fraudamus, nec concedimus, vt illud aliis magis quam nobis probari videatur. Tractatio huius argumenti quinque partibus abſoluitur: prima et altera. Codices deſcribuntur, vnde variae lectiones Euangelii Matthaei et Epiſtolae ad Romanos petitae ſunt; tertia deſcribuntur codices quidam, qui Neapoli Vindobonam migrarunt in Bibliothecam Imperatoriam. Item de Corſendonienſi agitur, vnde poſſis tum ſupplere quae de hoc Wetſtenius tradit, tum emendare; accedit deſcriptio vetuſti Euangeliſtarii e Bibliotheca S. Iohannis de Carbonara, chartae Pergamenae purpureae inſcripti; quarta complectitur quaedam quae ad Carolinum et Lambecianum librum n. 24. ſpectant, et quaedam ex codice perantiquo Lambeciano n. 2. Omnes libri manuſcripti, quibus Epiſtolae continentur Apoſtolorum, nec exceptis iis quos autor excerpſit, ignorant locum, 1 Ioh. 5, 7. vsque ad verba ἐν τῇ γῇ v. 8. Libris quibus vſus eſt in Epiſtola ad Romanos, tres vltimi verſus non ſolum Cap. XVI. ſed et Cap. XIV. deſunt, quo hos ordine in quibusdam legas chartis, quae altero loco non habent. Aetas codicum nec vetuſtiſſima eſt, nec nimis recens; plerique ſaeculi duodecimi ſunt, nonnulli vndecimi, forte aliquis et decimi. Euangelium Matthaei primo Hebraeum fuiſſe, omnibus eius exemplis iſtius Bibliothecae adſcriptum eſt; vnde colligitur, olim vulgo illam opinionem obtinuiſſe. In omnibus Doxologia orationis dominicae deprehenditur, exceptis duobus, vbi in margine ſcriptum eſt, illam a quibusdam libris abeſſe. In codice quem Autor adhibuit ſecundo, occurrunt reliquiae γενεαλογίας Ieſu et Mariae, ex opere chronologico Hippolyti Thebani, quibus vti poſſumus in ea re adornanda. Iam illae a Lambecio inſertae ſunt

 Comm.

Comm. Bibl. Vindob. L. III. p. 46. ex quo Schelſtraten in Antiqq. Eccl. p. 510. transtulit. In codice Carolino, poſt Canones Euſebianos, legitur Summa Euangelii Lucae, cuius autor eſt Cosmas Indopleuſtes: ſed a recentiore Librario addita. Ad calcem fere eius libri teſtimonium trium Epiſcoporum extat, qui illum Saec. IV. ab Hierotheo Athenienſium Epiſcopo ſcriptum eſſe perhibent: cauſas, quibus id inducti tradant, nullas produnt; ſed hos ineptire res ipſa arguit. In extrema pagina Scholion Maximi legitur, de die natali et mortis tum Chriſti, tum Iohannis Baptiſtae, ad rationes anni ſolaris et lunaris definito, id quod Lambecius indicat ex alio quodam libro, Comm. Bibl. Vindob. L. IV. p. 114. Variantes quas autor lectiones notauit, ita in claſſes deſcripſit, vt quae cum aliis congruant, vel ab iis diuerſae ſint, indicet; praeſertim ſi quae in nullo adhuc exemplo inuentae ſint: nec omiſſis latinizantibus libris ſic dictis. Poteſt ea claſſis cognitu digna videri, nihil tamen noui hic inuenies, quod valde requiras. Additus eſt index lectionum, quae Wetſtenio, Millio, aliiſque Criticis probantur p. 48 et 80. Euangeliſtarii, quod Neapoli in Bibliothecam Caeſarum migrauit, deſcriptionem tertia pars habet, notatu dignam. Opus litteris vncialibus aureis ſcriptum eſt, paſſim accentibus et ſpiritibus deſtitutum, qui, ſi non abſunt, alia atque alia forma occurrunt; nec dubium, eſt quin idem ſit quod Montefalconius Palaeogr. Gr. p. 45. et Mabillonius Diar. Ital. p. 308. deſcribunt. In Iohanne heic locus de adultera, et verſus vltimi Cap. VII. deſunt, Cap. XIX, 13. τούτων τῶν λόγων pro τοῦτον τὸν λόγον: v. 16. παρακαλοῦντες δέ Ἰησοῦν ἤγαγον εἰς τὸ πραιτώριον: v. 27. ἡμέρας pro ὥρας legitur. C. XX, v. 20 ἐπέδειξεν pro ἔδειξεν: Matth. VI, 8. χρήζετε pro χρείαν ἔχετε, lectio non ſpernenda: δοξολογία adeſt v. 11. Cap XXVI, v. 26. εὐχαριστήσας pro εὐλογήσας, v. 39. προσελθὼν pro προελθὼν, et ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν: v. 52. ἀποθανοῦνται pro ἀπολοῦνται. Cap. XXVIII, 3. abeſt ἦν δὲ ἡ

ἰδὲχ αὐτȣ̃: v. 8. ἀπαγγελȣ̃σαι pro ἀπαγγεῖλαι, quae lectio nuſpiam reperta eſt, vt illa Luc. I, 37. ἀδυνατεῖ pro ἀδυνατήσει. Vero ſimile eſt, haec ſingula ex aliis Euangeliſtariis decerpta eſſe, et fortaſſe Saec. IX. ſcripta, ſeu rectius picta; quae ſine exemplo res non eſt. Quarto loco p. 108. veniunt reliquiae vitae S. Porphyrii Gazenſium Epiſcopi, e codice Carolino ſumtae, quae de fano quodam agunt, illius tempore Gazae diruto: decimo aut proximo inde ſaeculo ſcriptas ait Vir doctiſſimus. Saepe diſcrepant a latina verſione quam eius vitae habemus; quorum alterum ex altero inuicem emendari poteſt. Vertit autor, illuſtrauitque, et publici iuris fecit vna cum reliquiis Euangelii Lucae perantiquis p. 124. quae duabus plagulis, altera Cap. XXIV. 13—21. altera v. 39—49. exhibent. Iam eas Lamaecius et Montefalconius deſcripſerunt vna cum Blanchinio; etſi non ſatis diligenter litterarum formas notauerint. Sequitur p. 127. Iudaeorum et quorundam Graecorum Menologium in codice Lambeciano n. 34. inuentum cuius in Menologio Fabriciano aliquis vſus eſſe poteſt, ſi ex ſententia autoris denuo edatur. Series litterarum, quae inuenta eſt in eodem codice, Hebraea appellata, additis et explicatis formarum nominibus, p. 134. aeri inciſa exhibetur: quam ſimul ac inſpicias, a noſtra diuerſam eſſe deprehendes. Sed qui Phoenicias et Samaritanas litteras norunt ſtatim de genuinis veterum Hebraeorum litteris cogitabunt.

Digitized by Google

IOHANNIS HENRICI SCHLEGELII OBSERVAtiones Criticae et Hiſtoricae in Cornelium Nepotem, cum Chronologia rerum Graecarum et Perſicarum, Carthaginenſium et Romanorum, ad eundem Auctorem illuſtrandum.

Hafniae, 1778. apud Claudium Philibert, plagg. 17. in 4.

Quamuis non deſint, qui, quae Cornelii Nepotis Vitis Imperatorum explicandis illuſtrandisque impenditur opera, vilem ac tenuem, et doctorum virorum perſonis minus dignam exiſtiment, ſcholarumque magiſtris ſolum relinquendam arbitrentur: ſunt tamen non pauci, iique, vt nobis quidem videtur, ſapientiores, qui Cornelii lectionem aetati puerili minus aptam atque commodam eſſe iudicent, eiusque Vitas non ſine interiori veteris hiſtoriae, Chronologiae, atque Geographiae cognitione, quae aliena ab aetate tenera, frequenti atque accurata lectione veterum hiſtorioorum paratur, recte intelligi atque explicari poſſe videant. Quare eo magis laudandi videntur viri docti, qui eo quod Cornelius in inferiores plerumque ſcholarum claſſes relegatur, puerorumque impuris manibus teritur ac laceratur, ſe ab huius tam terſi et elegantis ſcriptoris lectione atque conſuetudine auocari atque abſterreri haud patiuntur, nec, quod illi impenditur operae, inutiliter collocari putant, praeſertim, ſi ſe doctores antiquioris aeque ac recentioris hiſtoriae in ſcholis maioribus profiteantur. Quod cum bene perſpiceret Vir Cl. *I. H. Schlegelius* Hiſtoriae et Geographiae Profeſſor ordinarius in Vniuerſitate literarum quae Hafniae floret longe digniſſimus haud, indignum ſua perſona duxit, Nepoti illuſtrando multum temporis atque ſtudii impendere, atque Obſeruationes criticas et hiſtoricas, pro Loco in facultate philoſophica obtinendo,

publice propoſitas, aduerſus doctorum dubitationes vindicare atque defendere. In ea re vero ita verſatus eſt, vt primum de vero auctore libri, de Nepotis vita et ſcriptis, de Cornelii manuſcriptis, praecipue de eximio codice Thottiano, ageret; tum de quatuor antiquiſſimis editionibus vitae Attici e bibliotheca Thottiana, deque editionibus Cornelii praecipuis, diſſereret, denique meditationes quasdam de vtiliſſimo edendi auctores claſſicos, latinos maxime, conſilio, proferret, obſeruationes tandem in Cornelium criticas et philologicas, antiquarias et geographicas, hiſtoricas et chronologicas, adiiceret. Vitas imperatorum olim vulgo Aemilio cuidam Probo, Theodoſii ſub imperio qui vixiſſe dicitur, easque non in compendium redegiſſe, ſed deſcripſiſſe modo videtur, tributas, a Lambino vero Profeſſori Pariſienſi 1569. Cornelio Nepoti ſummo iure reſtitutas eſſe, quum ſatis conſtet; eſt quod miretur doct. Schlegelius, editiones Cornelii vltra centum et quinquaginta annos poſt Lambinum pleraſque Cornelii pariter ac Aemilii Probi nomen referre, et noſtro ſeculo quoque, *vulgo Aemilii Probi*, nonnunquam addi. Quos qualesque libros Cornelius ſcripſerit, cum ipſe docet locis quibusdam, tum etiam ex laude veterum ſatis frequenti apparet: ſed eundem, Graecarum litterarum amore patriaeque caritate ductum, vitas excellentium imperatorum ſcripſiſſe, ita vt oſtenderet, fuiſſe quoque inter Graecos duces celeberrimis inter Romanos pares, legentibus Cornelium facile patebit, qui et cum Schlegelio iacturam non leuem exiſtimabunt, partem operis Corneliani alteram, de excellentibus, inter Romanos imperatoribus, iniuria temporis periiſſe. Inter codices manuſcriptos Cornelii, nondum a Criticis comparatos, cum haud vltimum mereri videatur locum Codex, quem Excellentiſſimus Comes *Otto de Thott* poſſidet, et multae lectiones, quae a libro Variantum Cel. Fiſcheri noſtri ſatis accurato ac diligenti abſunt, in eo occurrant: operae pretium viſum eſt Schlegelio, iſtum Codi-

cem Thottiarum his verbis deſcribere: „Eſt pergamenus, „et conſtat 72 foliis forma quaternionum, omnes in eo vi„tae continentur integrae, praeter Catonem et Atticum. „Scriptio eſt nitida, et ad amuſſim exarata, ita vt quaeuis „pagina 26 verſibus abſoluatur, et altera reſpondeat alteri. „Literae initiales ſunt pulchrae, ductus ipſarum proprii au„rati, intertextis viridi, albo, et rubeo colore ornamentis, „ſerti formibus. Textus facilis eſt lectu, ſcripturae quidem „compendia admiſcet, ſed non adinodum difficilia; ẟ ſigni„ficat *enim*, ß *ſed*, hre *habere*, *ae* exprimitur per *e* cum cauda „in ſiniſtram producta, in fine ſemper ponitur ſ longum. „His aliisque multis indiciis adductus credo, ſcripturam „huius codicis cadere in ſeculi XIII. initium. Vitae nullis „quidem literarum interſtitiis diſtinguuntur, in oculos ta„men cadit ſeparatio partim per literas initiales, partim „etiam breui titulo, literis maiuſculis rubro colore perſcri„pto, huius formulae: de Miltiade, de Themiſtocle, de Ari„ſtide, de Dionem etc.“

Quum vita Attici nec in hoc, nec in aliis multis codicibus manuſcriptis reperiatur, et I. Alb. Fabricius primum hanc vitam comparere in editione Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum Romana anni 1490. per M. Eucharium Silber, alias Frank, exiſtimaſſe videatur: Cl. Schlegelio ab Exc. Comite de Thott data eſt copia inſpiciendi quatuor libros, vitam Attici continentes, illa editione Romana antiquiores. Horum alter, praeter vitam Attici complectitur Ciceronis Epiſtolas ad Atticum, Brutum, et Quintum fratrem, a Nicolao Ienſonio 1470. Venetiis curatas quas commemorauit quidem Maittairius in Annalibus Typographicis, ſed nulla vitae Attici mentione facta; alteri, inſunt *Virorum Illuſtrium vitae, ex Plutarcho graeco in latinum verſae, ſolertique cura emendatae*, per Nicolaum Ienſon Gallicum, Venetiis impreſſae 1478. At reperiuntur quoque in Bibliotheca Thottiana duo Codices anni indicio deſtituti, qui Vitas Plutarchi continent,

vnus 304 alter 466 foliis conſtans. In hac poſteriori Vitarum Plutarchi editione, et in Ienſoniana anni 1478. editione, vita Pomponii Attici, e graeco ſermone in latinum per Cornelium Nepotem verſa atque translata dicitur: ex quo apparet, primos Vitae Attici editores, aut inſcios, aut, quo auctore ſcripta fuerit, dubios fuiſſe, ita tamen, vt hae editiones alicuius momenti eſſe videantur, cum iis qui in recognoſcenda et emendanda vita Attici verſari velint, tum etiam qui cum Plutarchi graeco conferendi laborem in ſe ſuſcipiant. Ceterum vita Attici, vt et Catonis, quo anno ceteris ſint adiectae, quamuis haud pro certo dici poſſit: tamen in editione Petri Comeri, quam Saxius Mediolani, Heuſingerus ad minimum 1496. impreſſam coniicit, Fiſcherus autem ad Sec. XVti annum vltimum refert, conſpici ſatis conſtat. Quum de commentationibus Cornelii, et de quatuor recentioribus editionibus *Auguſtini van Staveren, I. M. Heuſingeri, I. F. Fiſcheri, Theoph. Chriſt. Harleſii*, paucis egiſſet Vir doctiſſimus: conſilium ſuum de edendis autoribus claſſicis ita aperit, vt primum optaret, velletque, in frequentiſſimis editionibus textum modo exhiberi, accurate impreſſum, ſine vllis annotationibus, ſed typis nitidis, quales eſſent Seculi XV. exeuntis, et XVI. incipientis editiones: fundamenti dein loco poni iuberet editionem ampliorem, et criticam, quae varias lectiones ſeparato libello, non textui ſubiectas, exponeret: Annotationum vero, vt tria eſſent genera ſuaderet, cum breuiſſimae, ſine verborum aut eruditionis luxuria adoleſcentibus deſtinatae, tum breuiores, citatis libris, quos adire poſſint qui plura edoceri volunt, tum quoque prolixiores in eorum gratiam, quibus non eſt libros rariores adeundi copia. Neque vero ſibi perſuadet Vir doctiſſimus fore, vt omnes iſta approbent: ſperat tamen inſtare tempus, quo, reiectis nugis, arti criticae genuinus reddatur vſus, et per artem criticam ſuus reſtituatur diſciplinis philologicis ſplendor.

 At

Digitized by Google

At, quae breuiter commemorentur laudenturque, digniſſimae videntur obſeruationes, inter quas principem locum tenent criticae ac philologicae. In Cornelio reperiuntur lacunae in vita Lyſandri c. 2. et in vita Eumenis c. XI. ex quibus Cl. Schlegelius recte colligere videtur, periiſſe omnes ab antiquitate relictos Codices, praeter vnum, quem Aemilius Probus deſcripſerat Theodoſio exhibendum ex quo omnes editi fluxerint. Errorum quoque Cornelii in laudando Homero, cum memoret Pylaemenem a Patroclo interfectum, qui a Menelao occiſus eſt Il. E. v 579 doct. Schlegelius mentione facta, locos dari ambiguos in Nepote docet, ita vt pro vera lectione in vtramque partem diſputari poſſit; v. gr. Milt. V, 3. *arbores rarae* et *ſtratae*, quod poſterius praefert Vir doct. Themiſt. IV, 2. *fama* et *flamma*: Pauſan. IV, 1. *laceravit* et *laxavit*. In obſeruationibus antiquariis primo laudantur ea, quae ex Lipperti Dactyliotheca ad Cornelii imperatores illuſtrandos pertinent, (Miltiades ſcilicet ter occurrit Chiliad. II, n. 326, 327. Suppl. II, 124. Themiſtocles bis Ch. II, n. 330. et 331. Ariſtides II, 328. Alcibiades II, 333. Epaminondas 335. Phocion 334.) dein Gynaeconitidis cauſa Vitruuius lib. VI, c. 10. et propter Poecile locus Aeſchinis aduerſus Cteſiphontem, afferuntur, ex quo poſteriori docetur, tabulam, qua pugna Marathonia fuerit deſcripta, Miltiade adhuc viuente, et libero, eſſe confectam. Statua Chabriae I, 2. a Winkelmanno et Leſſingio illuſtrata eſt, et doctiſſimus Schlegelius narrat, in arce Charlottoburgenſi effigiem gypſeam conſpici gladiatoris, vel diſcoboli, vel potius iudice Winkelmano militis, qui virtute ſua ſtatuque, quo hoſtis impetum excepit, ſtatuam meruerit. Nec difficultatibus geographicis cum careat Nepos, de his quoque tollendis ſollicitum fuiſſe Schlegelium V. Cl. vidimus, ita vt Alcib. IV, 4. *Pactyen* in Cherſoneſo ad Propontidem commemorari, Conon. I, 1. *Pheris* cum Meurſio inſulam *Theram* dictam,

San-

Santorin ſubſtituendam, Leucosyrorum nomen non de omnibus Cappadociae populis, ſed de incolis Ciliciae Cappadociaeque finitimis capiendum; *Coroneam* a *Chaeronea* Ageſ. IV, 4. in Boeotia breui itinere diſtare oſtenderet.

Cornelius tandem innumeris fere locis ex aliis auctoribus, pari aut maiore fide dignis, cum ſuppleri vel etiam emendari poſſe videatur: id quoque vt demonſtraret, Cl. Schlegelius, ſui officii eſſe duxit. Tanta in vita Miltiadis eſt diuerſitas, ſi Cornelium comparare velis cum iis, quae Herodotus libro IV. et VI. expoſuit, vt haec disquiſitio amplam diſſertationem ſcripturo materiam praebere poſſe videatur. Themiſtocles Corcyraeos fregiſſe narratur: nullius tamen belli Corcyraei cum Athenienſibus geſti Herodotus, omnia bella enumerans, mentionem fecit; imo Thucydides I, 136. Themiſtoclem ad Corcyraeos exulem confugiſſe memorat, quod de illis bene meruerit. Pauſaniam Cornelius I, 2. prodit, apud Plataeas *haud ita magna manu* Mardonium Graecia fugaſſe ſcribit: ſed ſi Herodoto fidem habemus libr. IX. p. 597. exercitus Graecorum vndecim myriadibus minus mille et octingentis conſtitit. Celebre ad Mycalen preldium non commiſſum eſt poſt illud ad flumen Strymona, et poſt Amphipolin coloniam conſtitutam nec in iſto prodio dux fuit Cimon, vt ex Cornelii Cimone c. 2. colligas, ſed dux Graeciae communis in hoc prelio fuit Leontichides, dux Athenienſium Xantippus vt Herodotus ſub finem operis ſui tradit.

At commemorandae quoque videntur obſeruationes chronologicae, ne lectores noſtros vllo horum defraudemus, quod Cl Schlegelius multo ſtudio magnaque cura congeſſit. Quamuis temporis rationes apud Graecos ab eo anno ducuntur, quo a ludis Olympicis numerare coeptum eſt, qui praecedit Aeram noſtram annis 776. ſaepius tamen, annos veros ſolares perquirentes, anno vno vel duobus, cum Athenienſes anno lunari vterentur, eumque ad ſolarem re-

ducere conarentur, adiecto nonnunquam menſe intercalari, fallamur neceſſe eſt. Hinc ſcriptores Graeci antiquiores raro Aera Olympiadum vſi reperiuntur, eamque non adhibuit *Marmor* illud *Parium*, quod nunc Academiam Oxonienſem exornat. Ex hoc monumento doct. Schlegelius notauit Epochas, quae ad Cornelium illuſtrandum pertinerent. Cornelius nonnunquam annos ex interuallis (Eumenis vita c. 1. et 13.) computat, interdum per Conſules Romanos, in vitis Hannibalis Catonis et Attici, annos deſignat. Minus difficultatis habere videtur ratio annos numerandi ante Chriſtum natum: memoriae tamen iuuandae aptior atque conuenientior putatur eſſe ea computandi ratio, qua certa temporis interualla definiuntur per res prae ceteris memorabiles. Circumſcribi inde poſſe videtur omne illud tempus, quod in vitis ſuis Cornelius attigit, 482. annorum ſpatio, ab eo anno, quo Miltiades inclaruit, qui eſt annus 514. ante C. n. vsque ad Attici mortem, quae incidit ante Aeram noſtram 32. Hoc temporis ſpatium in ſedecim Periodos diſtinctum eſt, quae capite decimo tertio, eodemque et vltimo, conſpiciuntur. Ex his igitur omnibus ſatis, vt nobis quidem videtur, apparet, hanc de Cornelio Commentationem non indignam eſſe, quae in manibus eorum verſetur, qui cum fructu Cornelium legere, eundemque ita intelligere velint, vt non modo elegantiam ſtili admirentur, imitenturque, ſed etiam rerum graecarum romanarumque accuratam exactamque cognitionem inde hauriant. Quare etiam optamus, vt numen ſummum Cl. Schlegelium diu rebus humanis intereſſe iubeat, vt Vniuerſitas literaria Hafnienſis, ex eius doctrina atque diſciplina largos vberesque fructus capere poſſit.

IO-

Digitized by Google

IOANNIS TOBIAE KREBSII, ILLVSTRIS MOLdani Rectoris, opuſcula academica et ſcholaſtica, denuo recognita.

Lipſiae, apud Frid. Gotth. Iacobaeer et fil. MDCCLXXVIII. 1 Alph. 12 plagg. in 8.

Etſi harum diſſertationum ea eſt argumentorum grauitas, ea rerum tractandarum ſubtilitas, ea denique orationis latinae forma, vt doctrinam exquiſitam, imitationem ſcriptorum Ciceronis feliciſſimam, et vſum rerum in homine triginta amplius annos muneribus laboribusque, a ſcholae magiſtro ſuſtinendis, exercitato, prorſus agnoſcamus, tamen eae iunctim editae vix fuiſſent, niſi caſus et fortuna voluntatem Cl. Auctoris ad eas denuo recognoſcendas adegiſſet. Fuerunt autem, qui nonnullas ex iis, quae olim ſcriptae fuiſſent, veluti de Decuriis Iudicum Romanorum diſſertationem, et alias quasdam requirerent, in tabernis librariis fruſtra, quin etiam ab ipſo Auctore per literas peterent, quorum precibus nec is tamen propter inopiam exemplarium ſatisfacere poſſet. His igitur atque ceteris doctrinae antiquae cupidis, et librorum, quibus ea ineſſe iudicatur, amantibus, gratiſſimum erit, vna eademque opera et illarum, quas deſideraſſent, et reliquarum omnium ſibi copiam factam eſſe, quas inde ab triginta, et quod excurrit, annis, Cl. Auctor diſputationum et proluſionum nomine ediſſet. Illarum quidem numero ſex ſunt. I) Diſputatio de Ephetis, Athenienſium iudicibus. II.) Commentatio de Stelitis Athenienſium. III.) diſputatio de Iudicum Romanorum Decuriis. IV.) Commentatio de Praefecto vrbis Romano. V.) Commentatio de Prouocatione d. Paulli ad Caeſarem. VI.) Elogium M. Henr. Auguſti Schumacheri, quinquaginta fere annos Rectoris ſcholae elector Grimanae meri-

ritiſſimi. Hae autem, proluſiones, quae ab ipſo per adminiſtratum adhuc Rectoris munus in natalitiis conſtitutae ſcholae anniuerſariis ſcriptae ſunt, quatuordecim numerantur. I.) De finibus Grammatici regundis. II.) De Scholis bene conſtitutis Eccleſiae et Reipublicae ſeminariis III.) De prudentia diſciplinae ſcholaſticae regundae. IV.) De magna vi neglectae educationis liberorum domeſticae in diſciplinam ſcholaſticam. V.) de feſtinato Iuuenum diſceſſu e ſcholis. VI.) De docendi ratione Socratica, inſtitutioni Iuuenum in ſcholis perquam accommodata. VII.) De malitioſo Luciani conſilio, Religionem chriſtianam ſcurili dicacitate vanam et ridiculam reddendi. VIII.) De argumentis pro veritate et praeſtantia Religionis Chriſtianae e Iuliani reliquiis. IX.) De Felici Theologiae et Literaturae connubio X.) Proluſio qua lectio Auctorum Veterum e Baſilii M. diſciplina commendatur. XI) Proluſio, qua renouata Conſtitutio ſcholaſtica parentum curae in diſciplina domeſtica commendatur. XII.) Proluſio qua decretum Byzantiorum, factum in honorem Athenienſium, emendatur et illuſtratur. XIII.) Vannus Critica in inanes paleas Operis Clementaris Baſedoviani. XIV.) De ratione Noui Teſtamenti e moribus antiquis illuſtrandi minus caute inſtituta. — Dubitandum non eſt, quin, qui ſingulas quasdam Commentationes et Proluſiones fauore ac plauſu ſuo exceperunt, nunc ceterisquoque in collectionem redactis eundem, cum ipſis, tum litteris quas tractant et explicant, Graecis atque Latinis, honorem ſint habituri. Nomen Auctoris, vnius ex optimis diſcipulis magni Erneſtii noſtri, et iam dudum aliis ſcriptis ad Graecos auctores intelligendos, et Noui Teſtamenti orationem illuſtraudam pertinentibus, clari tum etiam pii et reigioſi, et ab eorum, qui nouis ſententiis vel prodendis, vel probandis delectantur, vitio alieniſſimi, multos eis ac cupidos conciliabit lectores, quos ſpe andum eſt vberem ac amplam vtilitatem ex iſta lectione habituros. Quid enim? Qui

Digitized by Google

Qui argumenta e Graecorum Romanorumque veterum monumentis apte et commode explicare ſtudet, ei priores quinque Commentationes exemplo eſſe poterunt, quomodo hoc conſilio optimi fontes ſint indagandi, ad vſum prudenter conuertendi, et quid vel alii inde hauſerint, ſuo calculo comprobandum, quid omiſerint ſedulo addendum, quid denique peccauerint, vel leniter, vel ſeuere, pro ratione delicti, corrigendum ſit. Nec tamen alienum ab inſtituto facturus fuiſſet Cl. Auctor, ſi in eiusdem argumenti Commentatione elaboranda, Drakenborchii diſertam et elegantem *de Praefecto Vrbis* diſſertationem, nec admodum paratu difficilem, ad manus habere curaſſet. Quodſi quis cognoſcere cupit, quantum requiratur ad nomen Grammatici, et Interpretis veterum Graecorum Latinorumque ſcriptorum, ſiue, quod eodem redit, idonei ſcholarum magiſtri, iure tueri et ornare volit, is expendat verba vocesque Proluſionis de finibus Grammatici regundis, et tumido laudis amore animo, vanaque ſcientiae opinione inflato, obuertat teſtimonium quod de ſe Auctor in fine dicit ingenue: „illud „mihi ſine arrogantiae impudentiaeque opinione dicere poſ„ſe videor, ex eo inde tempore, quo vitae ſcholaſticae — „totum me conſecrare conſtitui — omne ſtudium meum, „omnem operam, curam, diligentiam, mentem denique „omnem direxiſſe eo, vt aliquando boni Grammatici, at„que adeo boni ſcholae magiſtri doctrinam aſſequerer, hoc„que honorificum Grammatici nomen, ſcientiae varietate „dignitateque ſuſtinerem. Quam longe autem adhuc a „boni Grammatici perfectione abſim, ego ipſe, qui ingenii „viribus metiri me didici, omnium optime ſcio." Eundem etiam proluſio, in qua decretum, quod Demoſthenis oratione de Corona continetur, Byzantiorum, illuſtrat, cui ſcribendae voces quorundam faſtidioſorum, aliquid docti et quidem eiusmodi, quod Graecas literas attingat, in iſtis proluſionibus legi ſe cupere dicentium, cauſſam dederunt,

eum

Digitized by Google

eum igitur, quem diximus, docere poterit, quanta ſit opus doctrina, exercitatione, et cautione, in locis, librariorum culpa corruptis, integritati ſuae reſtituendis. v. c. χάριας pro *commodis, meritis, beneficiis*, non agnouerant qui χαρέτας induxiſſent, cum ſit in Decretorum formulis vox fere ſolemnis, altera vero gloſſematis locum teneat. Scholarum magiſtris, diuturno rerum vſu nondum exercitatis, vel etiam ad tale munus aliquando gerendum adſpirantibus, aliquid adiumenti et commodi, legenda proluſione tertia ac ſexta, parabitur. Adoleſcentes, quos litterarum et doctrinae ſtudia recte ordinare, et inter haec ipſa mores regere ſcire iuuat, monitis, proluſione quinta datis, paruiſſe non poenitebit. Parentes, nimis magna et fauorabili de liberorum ſuorum ingenio et indole opinione capti et occoecati, qua arte, qua ſapientia teneros liberorum animos ſalubri diſciplina domeſtica fingere et praeparare debeant, vt cum in ſcholam recepti ſint, poſita feritate miteſcant, et culturae patientem praebeant aurem, quarta et vndecima proluſione inſtruuntur et excitantur. Futuri Theologi, quibus perſuaſum eſſe debet, interpretationem ſcripturarum SS. maximum eſſe et grauiſſimum ipſorum munus, e ſeptima, octaua, nona, decima et vltima proluſione, magnam vtilitatem trahent, quae ab eorum ineptiis cauendum eſſe demonſtrat, qui verba et formas dicendi ab ſcriptoribus diuinis vſurpatas, ad aliquem ſubinde ritum antiquum reuocant, vbi minime opus eſt, cum tale nihil ab ipſis ſpectatum aut cogitatum fuiſſe euidentiſſimum ſit. Quotus enim quisque aliquem morem et conſuetudinem, vel certaminum, vel ludorum, vel ſacrificiorum explicauit vnquam, quin illico vnum aut alterum locum Noui Teſtamenti exinde illuſtrandum cenſeret.

Superiores proluſiones fere ita ſunt diſtinctae locis Platonis, Ariſtotelis, Baſilii M. Quinctiliani inprimis alio-

rum.

rumque, vt tota oratio, iis veluti fulcris, nitatur, et declaraſionem pluribus comprehenſam verbis referat. Nec ſolum eosdem locos iisdem verbis repetitos legimus, v. c. de munditie et elegantia cultus et veſtitus p. 145. et 453. ſed etiam Erneſtinarum diſſertationum, nominatim eius, quae eſt *de diſciplina chriſtiana.* quosdam vſurpatos nouimus. Sicut autem haec nullam reprehenſionem habent, niſi forte eorum, qui puſilli ſint animi, atque maligni; ſic haec eximiam laudem merentur, quae contra celebrium nuper quorumdam philoſophorum, de *profanitate*, opinionem, cum alibi paſſim, tum p. 378—383, p. 391. autem et ſq. grauiter et efficaciſſime diſputat: „Eſt aliquis, velut diuinitus „excitatus, ſagax, perſpicax, et felix in definiendis et conſti„tuendis fatorum euentibus, quae in Apocalypſi Ioannaea „Eccleſiae chriſtianae predicta ſunt: per me fruatur inge„nio et otio ſuo, — — — modo non alios litteratos, de „alio quodam doctrinae genere immortaliter meritos, con„temnat, aut ſtipites prae ſe, fungosque habeat, aut Gram„maticos et Criticos, vt homines, de *Profanitatis* aut „*Atheiſmi* crimine ſuſpectos, quauis occaſione exagitet at„que explodat." Iſtis forte aliquis faſtidioſus lector offendatur, quae p. 376. occurrunt: „Vae igitur tibi Paulle, qui „in tradendis chriſtianae doctrinae capitibus, Arati, Menan„dri, et Epimenidis, hominum profanorum, auctoritatibus „vſus eſt!" ſcimus eorum verbis vti Paullum, in adhortando et commonendo, nec tamen in docendo. Tum vero inter tot iuſtas de barbaris Noui Teſtamenti interpretibus, miſſis tum alibi, tum p. 456. querelas, inſcius, in id ipſum, quod deteſtaretur, vitium incurrit, in *Comm. de Prou. Pauli ad Caeſ.* p. 158. ſcribens, Paullum in 2 Epiſt. ad Timotheum conqueſtum fuiſſe, ſe ab omnibus *Fratribus* fuiſſe deſtitutum, cum fratris vocabulum non ſic dicatur, vt pro chriſtiano vſurpari poſſit, quod venit ex Hebraiſmo. Igitur ab omnibus *ſuis*, ab omnibus, ſaltem pleris-

 que,

que, *amicis chriſtianis* ſe queritur deſertum. Caeterum veriſſime optamus, vt V. Cl. et inchoata perficiat, et adhuc alia plura ad emolumentum et decus litterarum profutura, ſaluus et ſoſpes quam diutiſſime, prodat.

ALBERTI SCHVLTENSII COMM. IN IOBVM, in compendium redegit, obſeruationes criticas atque exegeticas adſperſit, GEORG. IO. LVD. VOGEL A. M. TOM. I.

Halae 1773. 8.

Cum editor hunc librum, et in praeſtantiſſimis poneret, et multis aliis, tum in Iobum, tum in libros ſacros commentariis anteponendum cenſeret: operae pretium ſibi facere viſus, eſt ſi, quantum in ſe eſſet, efficeret, vt ab omnibus legeretur harum litterarum amantibus. Et profecto eſt hic, quo et adiuuentur eorum ſtudia et dirigantur, annitente viro olim inter mortales doctiſſimo, cui ſummae laudi vertitur, quod optimas quasque Arabum litteras, quaſi ſpolia, opima legerit, et opes, quae e Golio ſolo petuntur, dederit plebi diripiendas. Abſit tamen, ſummum virum ab omni vitio immunem exiſtimare, atque vnquam ſuo iudicio lapſum negare: conſtat ſatis excellenti eius ingenio et doctrinae exquiſitae et ſummi acuminis laus, ſi quod verum eſt praedicamus, illum in hoc opere praeſtantiſſimos earum rerum ſcriptores non ſolum aequaſſe, ſed etiam ſuperaſſe. Collectis optimorum interpretum, et diligenter perpenſis ſententiis, facile, ſi animum aduertant, iudicandi facultas acui-

acuitur legentium, quae libri non exigua dos eſt: eam ſimul ob cauſam inſignis, quod graecis litteris Hebraeas illuſtret, propoſitis vetuſtiſſimis quibusque ſcriptoribus, quorum inter omnes gentes oratio ſibi inuicem ſimillima eſt. Quae res multis quidem conſtitit, non tamen ducta eſt in exemplum, vt pauci in eo genere cum Schultenſio conferendi videantur: nam multi, qui ex eius Schola prodierunt, origines verborum e Golio euoluerunt, Graecas litteras non tetigerunt. Sed vt ad editorem reuertamur, is, cum videret tabernas Bibliopolarum hoc libro prorſus vacuas eſſe, et multos pretio deterreri, quo minus emant: vtrique conſulere voluit, tum adornando nouam editionem, tum librum ipſum in ſummam redigendo, quae, dum nihil omitteret neceſſarii, omnem rem multo ſuccinctius exponeret, relectis explicationibus myſticis, et errorum quorundam refutationibus, quae ſalua reliqua tractatione abeſſe poſſent. Atqui non pauca addidit e ſuis copiis, et textum Hebraeum cum Verſionibus contulit, notata vbi diſcreparent diuerſitate. Quamquam multa hoc modo inuenta diſcrimina nihil fere aliud indicent, quam varie intellecta eſſe loca, in quibus diſſentiunt interpretes; ſibi tamen deprehendere nonnullas viſus eſt, quibus textus ſacer recte emendari poſſet: cuius et a libro manuſcripto, qui Berolini ſeruatur, diſcrepantiam, paruam eam quidem, et a Murſinna notatam, indicauit. Vbi conſideret meliora ſe prolaturum, quam quae Schultenſius tradidiſſet, loca aliter expoſuit atque ab illo factum erat; ſimul adhibuit verſionem Michaelis, et Boulierii obſeruationes miſcell. in librum Iobi. Notiſſimo illo loco Iob. XIX, 25. cum Schultenſio exiſtimat, de reſurrectione mortuorum non agi, neque illum in eam rem intelligi poſſe: quodſi id in animo habuiſſet, autori ſcribendum fuerat: מעפר יקימני. Verſu 26. nihil niſi ſpem reſtitutionis in integrum ſignificari, eiusque alteram partem vix aliter poſſe intelligi: eſſe enim, Deum videre, idem ac frui eius

Digitized by Google

que, *amicis chriſtianis* ſe queritur deſertum. Caeterum veriſſime optamus, vt V. Cl. et inchoata perficiat, et adhuc alia plura ad emolumentum et decus litterarum profutura, ſaluus et ſoſpes quam diutiſſime, prodat.

ALBERTI SCHVLTENSII COMM. IN IOBVM, in compendium redegit, obſeruationes criticas atque exegeticas adſperſit, GEORG. IO. LVD. VOGEL A. M. TOM. I.

Halae 1773. 8.

Cum editor hunc librum, et in praeſtantiſſimis poneret, et multis aliis, cum in Iobum, tum in libros ſacros commentariis anteponendum cenſeret: operae pretium ſibi facere viſus, eſt ſi, quantum in ſe eſſet, efficeret, vt ab omnibus legeretur harum litterarum amantibus. Et profecto eſt hic, quo et adiuuentur eorum ſtudia et dirigantur, annitente viro olim inter mortales doctiſſimo, cui ſummae laudi vertitur, quod optimas quasque Arabum litteras, quaſi ſpolia, opima legerit, et opes, quae e Golio ſolo petuntur, dederit plebi diripiendas. Abſit tamen, ſummum virum ab omni vitio immunem exiſtimare, atque vnquam ſuo iudicio lapſum negare: conſtat ſatis excellenti eius ingenio et doctrinae exquiſitae et ſummi acuminis laus, ſi quod verum eſt praedicamus, illum in hoc opere praeſtantiſſimos earum rerum ſcriptores non ſolum aequaſſe, ſed etiam ſuperaſſe. Collectis optimorum interpretum, et diligenter perpenſis ſententiis, facile, ſi animum aduertant, iudicandi facultas acui-

Digitized by Google

acuitur legentium, quae libri non exigua dos eſt: eam ſimul ob cauſam inſignis, quod graecis litteris Hebraeas illuſtret, propoſitis vetuſtiſſimis quibusque ſcriptoribus, quorum inter omnes gentes oratio ſibi inuicem ſimillima eſt. Quae res multis quidem conſtitit, non tamen ducta eſt in exemplum, vt pauci in eo genere cum Schultenſio conferendi videantur: nam multi, qui ex eius Schola prodierunt, origines verborum e Golio euoluerunt, Graecas litteras non tetigerunt Sed vt ad editorem reuertamur, is, cum videret tabernas Bibliopolarum hoc libro prorſus vacuas eſſe, et multos pretio deterreri, quo minus emant: vtrique conſulere voluit, tum adornando nouam editionem, tum librum ipſum in ſummam redigendo, quae, dum nihil omitteret neceſſarii, omnem rem multo ſuccinctius exponeret, relectis explicationibus myſticis, et errorum quorundam refutationibus, quae ſalua reliqua tractatione abeſſe poſſent. Atqui non pauca addidit e ſuis copiis, et textum Hebraeum cum Verſionibus contulit, notata vbi diſcreparent diuerſitate. Quamquam multa hoc modo inuenta diſcrimina nihil fere aliud indicent, quam varie intellecta eſſe loca, in quibus diſſentiunt interpretes; ſibi tamen deprehendere nonnullas viſus eſt, quibus textus ſacer recte emendari poſſet: cuius et a libro manuſcripto, qui Berolini ſeruatur, diſcrepantiam, paruam eam quidem, et a Murſinna notata m, indicauit. Vbi conſideret meliora ſe prolaturum, quam quae Schultenſius tradidiſſet, loca aliter expoſuit atque ab illo factum erat; ſimul adhibuit verſionem Michaelis, et Boulierii obſeruationes miſcell. in librum Iobi. Notiſſimo illo loco Iob. XIX, 25. cum Schultenſio exiſtimat, de reſurrectione mortuorum non agi, neque illum in eam rem intelligi poſſe: quodſi id in animo habuiſſet, autori ſcribendum fuerat: מעפר יקימני. Verſu 26. nihil niſi ſpem reſtitutionis in integrum ſignificari, eiusque alteram partem vix aliter poſſe intelligi: eſſe enim, Deum videre, idem ac frui eius be-

beniuolentia; et eodem ſenſu eius ſpei ſignificationem fieri verſu 27. vbi ſibi haec omnia vel in hac vita euentura dicat Iobus: his adde, quod dicat impetrato auxilio: videt oculus meus dominum c. XLII, v. 5. Vt ne ab eo capite diſcedamus, v. 24. exiſtimat in ועפרת, ו loco ב vitio ſcribentium irrepſiſſe: ſic enim omnis difficultas tollitur, ſi veritas: In plumbo. צור, ſaxum, quid his ſibi velit valde diſſentiunt interpretes: Schultenſio eſt cippus: at vir doctus exiſtimat, autorem, ſi id voluiſſet, alio verbo indicaturum fuiſſe. C. I, v. 13. Syrus et Arabs vini verbum non expreſſit, nec illo improbante omiſit: nam pro gloſſa habet, inde orta, quod ſaepe alias cum bibendi voce copuletur eo ſenſu, vt ſignificet multum vini potare, qui hic alieniſſimus ſit, quod edentes et bibentes ſimul ponantur; quo nexu in aliis locis nec יין cum שתה nec לחם cum אכל poni moris ſit: forte librarius credidit vitio omiſſum, aut Gloſſator margini appoſuit; nec dubitat vir doctus, quin illud verbum et hic, et verſu 18. vbi Graecus omittit, delendum ſit. Sequenti verſu Schultenſius laborat in verbis על ידיהם, quae fere redduntur: pone illos, aut a latere eorum, et ab aliis aliter; editor in vulgari explicatione acquieſcit. Schultenſius videtur haeſitaſſe, quod ſuffixo maſculino non conueniat cum terminationibus foemininis vocum רעות et אתונות: at nec aptum eſt cum priore חרשות, quare pro hoc, חרשים legendum eſſe putauit editor, ſic enim conuenire cum maſculino בקר, et cum ſuffixo maſc. vocis ידיהם exiſtimauit. V. 21. verba אשוב שמה, quae mire torſerunt interpretes, recte explicantur. Cap. II, v. 3. habes אל־עבדי, pro ex poſitura eſt cap. V. 8. על; vtrum eorum rectius dicitur? Praelatum eſt אל, quod Cap. XXXIII, v. 14. eadem locutio recurrit, vbi אל legitur. V. 10. videtur Graecus interpres legiſſe מיד אלהים pro מאת, vertit enim *ἐκ χειρὸς κυρίου*. Cap. III, v. 5. כ ante מרירי locum impeditum reddit, qui diuerſe ideo expoſitus eſt: ex quo colligi poſſe

exi-

exiſtimat autor, illud ב abfuiſſe ab interpretum exemplis. Schultenſius c. V, v. 18. lectionem הרפינת operoſſe defendit: ſed diuerſiſſimis inter ſe רפה et רפא verbis, et hoc, non vero illo, hic locum habente, cenſet editor hic errorem librarii non eſſe diſſimulandum, ſed הרפאנה legendum. Saepe Vir clariſſimus lectionem textus Maſorethici contra verſiones tuetur: quae vbi ab illo diſcedunt, ſuſpicatur loca diuerſe intellecta eſſe: nec niſi raro aliter ſtatuit, vt C. XVI, v. 4. vbi forte lectionem אבחירה, quam Syrus et Arabs ſecuti ſunt, alteri אחבירה praetulit. Nam Cap. VIII, v. 16. varie vertitur vox גִּבְתּוֹ, vt inde diuerſas lectiones elicere poſſis non prorſus improbabiles: at Vir doctus has omnes Maſorethicae lectioni poſthabuit: ſed verſu 20, pro עַֽד, עוֹד legere non dubitauit. Cap. VI, v. 16. ipſi ſuſpectum eſt verbum קדרים: ex nexu huius verſus cum ſequente iudicat legendum eſſe קרחים, a קרח gelu, eo ſenſu, vt ſit: congelati, gelu concreti. Cap. XIII, v. 28. veteres interpretes רקב vtre verterunt, id quod melius quadrare iudicat quam ſignificatum putredinis, tum ob reliqua verba, tum ob ea quae proxime ſequuntur. Cap. XV, v. 13. Schultenſius et Cocceius lectionem הוצאת amplectuntur, cum in aliis exemplis הוֹצֵאתָ ſit, quod illi antepoſitum eſt, conſentientibus in eam rem verſionibus antiquis. Cap. XVII. credit כלכם, omnes vos, pro כלם legendum eſſe, ob nexum ſubſequentium verborum, et ob illam, probabilitatem, quae ab Verſionibus antiquis, Syriaca, Arabica, et Latina accedit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXXV.

LEX VIRIVM IN MATERIAM DOMINATRIX illuſtrata, et ad phyſicas inſtitutiones accommodata, a CAROLO VITALE S. I. nuper Sacerd. Phyſ. Profeſſore in Collegio Braidenſi.

Mediolani apud Ioſeph. Marellum: Superiorum permiſſu, MDCCLXXV. in 8.

Edidit illuſtre coeli aſtronomici decus, *Boſcowichius*, Ao. 1758. Vindobonae, *Theoriam Philoſophiae naturalis ad unicam legem virium redactam*, quae mox Venetiis recuſa 1763. prodiit. Nacta fuit, quod quidem plerisque inuentis accidere ſolet, aduerſarios potentes, aeque ac validos apologetas, quorum facile anteſignanus eſt eruditiſſimus *Carolus Vitalis*, cuius defenſio omnia ea momenta

complectitur, quae legem Boſcovichianam in ſumma luce ponere queant. Notitiam Libri, cuius titulum ſupra poſuimus, debemus *Knörichio* V. pl. reu. atque doctiſſimo, vni ex Capellanis electoralibus, qui, qua eſt erga nos beneuolentia, ignorare nos praeclari Operis dotes noluit.

Argumentum huius legis in ſequentibus potiſſimum capitibus cernitur: *vt vires punctorum* (ita nominat P. Boſcovichius materiae ſimplicia componentia) *in minimis diſtantiis ſint repulſiuae, atque eo maiores in infinitum, quo ipſae diſtantiae minuuntur in infinitum, ita vt pares ſint extinguendae cuiuis velocitati, vtcunque magnae, cum qua punctum alterum ad alterum poſſit accedere, ante quam eorum diſtantia euaneſcat; diſtantiis vero auctis minuantur ita, vt in quadam diſtantia perquam exigua, euadat vis nulla; tum aucta diſtantia mutentur in attractiuas, primo quidem creſcentes, tum decreſcentes, euaneſcentes, abeuntes in repulſiuas eodem pacto creſcentes, decreſcentes, euaneſcentes, denique iterum migrantes in attractiuas, atque id per vices in pluribus diſtantiis, ſed adhuc perexiguis, donec vbi ad aliquanto maiores diſtantias ventum ſit, incipiant eſſe perpetuo attractiuae, et ad ſenſum reciproce proportionales quadratis diſtantiarum, atque id, vel vtcunque augeantur diſtantiae, etiam in infinitum, vel ſaltem donec ad diſtantias deueniatur, omnibus planetarum et cometarum diſtantiis longe maiores.*

Atque haec eſt illa lex, cuius defenſionem et explicationem A. laudabili conatu in ſe ſuſcepit; in quo quidem non admodum infelicem ſucceſſum expertus eſſe videtur. Eſt apud P. Boſcovichium curua quaedam circa axem ſuum circumplicata, abſciſſis et ordinatis propriis, imperfectam quaſi quandam legis ſimplicis imaginem exhibens, quaeve vel ipſo acuto defenſore ſignificante, ad elegantiam potius theoriae virium nouae, quam ad eius ſubſtantiam pertinet.

Ta-

Digitized by Google

Talem vero ſibi quiuis matheſeos ſublimioris non prorſus rudis, valore legis intellecto, facile confinxerit: quod tamen attinet curuam Boſcovichianam, in hac abſciſſae, duorum punctorum diſtantias, ordinatae ab axe ad curuam perpendiculariter ductae, mox repulſiuas, mox attractrices vires exprimunt, ſpectant videlicet vel ſuperiorem, vel inferiorem partem axis. In punctis vero axi arcuique curuae communibus, vis omnis exſpirare contenditur, denique ordinatarum longitudo maior vel minor, ad ſignificandam maiorem vim, vel minorem, in tali punctorum diſtantia exercitam, ſatis apta eſt. Porro brachia extrema plane ſunt aſymptotica, quorum primum cum aſymptoto, et abſciſſa infinitum ſpatium complectens, vires exhibet, quae impediant, ne puncta materiae vlla finita velocitate adigi queant ad contactum, et compenetrationem. Vltimum vero brachium exhibet Neutonianam fere attractionem, debetque ideo vel maxime aſymptoticum haberi, vt grauitas omnes ſuperet limites, quod etiam nullatenus repugnare veriſſimum eſt.

Notionem virium celeberrimus Vitalis in eo poſitam eſſe ait, vt ſint variae determinationes punctorum, modo ad mutuum acceſſum, modo ad receſſum, pro varietate diſtantiarum, inquiritque in originem harum virium, ita vt doceat, elementa materiae nec in ſe ipſas, nec inter ſe mutuo agere, neque vel natura ſua, aut ab ente quodam creato, ad motum determinari. Diſputat haec inprimis aduerſus *Antonium Genuenſem*, et philoſophos paganos aeque ac chriſtianos, qui de vi corporum propria, inſita, naturali, et eſſentiali, non dubitant, tandemque concludit, Dei voluntatem Vniuerſi creatricem, et conſeruatricem, eſſe immediatam cauſam omnium eorum effectuum, qui in theoria virium Boſcovichiana deſignantur. A conſilio eiusmodi placita refutandi quamuis alientiſſimi ſimus, vix tamen nobis perſuademus, fore, vt rationum ab auctore allatarum ponde-

ri cedat quiſpiam, niſi forte Malebranchii, aut cuiusuis alius myſtici philoſophia male ſana infectus fuerit. Ad auctoritatem philoſophorum in re tam graui confugere, ſolenne ſane ei non eſt, quin improbat potius talem diſputandi rationem, vt adeo mirum videri debeat, quod hic ad Neutonum, quaſi quendam iudicem competentem confugiat. *An rite philoſophemur*, ſunt verba ipſius, *diiudicet inter nos Neutonus, qui ait: Philoſophiae naturalis id reuera officium eſt, et finis, vt ex phaenomenis, ſiue fictis hypotheſibus, arguamus, et ab effectis ratiocinatione progrediamur ad cauſas, donec ad ipſam demum cauſam primam perueniamus.* Attamen quis credat, hic Philoſophum docere, Deum eſſe immediatam cauſam omnium effectuum eorum, qui in theoria Boſcovichiana virium deſignantur?

Mittimus vero haec, quae celeberrimus Vitalis magis acuminis forte, quam vtilitatis et veritatis cauſa, intertexuit: potiora ſunt libri momenta alia, reique pertractatae magis propria. In hoc ſcilicet omnis cardo verſatur, vt intelligant lectores quidquid proprietatum, affectionum, aliarumque in materia obuiarum modificationum, obuium ſit, hoc omne vnica lege Boſcovichiana facile, diſtincte, ac ſolide explicari poſſe; atque hoc ſi praeſtiterit auctor, rem paene omnem confeciſſe merito profecto cenſendus eſt. Orditur ergo ab impenetrabilitate corporum, in qua manifeſta elucet opportunitas et neceſſitas theoriae Boſcovichianae, qua vim repellentem, ab arcu primo aſymptotico repraeſentatam. *Nam ſtatim atque*, ait, *in minimo quodam interuallo, inter bina quaeuis puncta vigent vires repulſiuae, quae imminutis porro diſtantiis creſcant in infinitum, vti accidit ordinatis ad primum curuae arcum aſymptoticum, profecto nulla finita vi vnquam fieri poterit, vt diſtantia penitus euaneſcat, quod ad punctorum compenetrationem requireretur. Igitur ſolus naturae auctor, non quidem vim infinitam exſerens, ſed exceptio-*

ceptionem pro lubitu faciens in lege virium, a ſuo nutu pendentium, poterit compenetrationem corporum efficere. Profecto ſingularis plane et concinna obtinet analogia, inter augmentum repellentium virium, ſuperans ſignatum quemuis limitem, et ordinatas in infinitum creſcentes; verum tum demum obtinere videtur, poſtquam parallelismus inter compenetrationem, et euaneſcentem omnem plane punctorum diſtantiam demonſtratus eſſet; quam tamen demonſtrationem ſolertiſſimus auctor, prudens, an inſcius, ſuppreſſerit, non conſtat. Certe a punctorum compenetratione ad euaneſcentem horum diſtantiam omnem, oppido cummaxime tranſitus patet, non item adeo tamen expeditus eſt ab euaneſcente punctorum diſtantia ad eorum compenetrationem tranſire conanti.

De vera corporum extenſione doctiſſimus apologeta hoc modo philoſophatur: *ſi materiae puncta in minimis diſtantiis ita ſe repellunt, vt refugiunt contactum, neceſſe eſt, vt ſi plurima ſint, per ſpatium triplici menſura patens diſtribuantur. Cum autem huiusmodi complexio punctorum ex lege virium ita ſit comparata, vt nullum aliud corpus intra ſe admittat, vt lucem reflectat, vt tangenti reſiſtat, ceteraque exhibeat phaenomena, quae ſub ſenſus cadunt; nihil ipſi deerit, quo minus appelletur, et ſit corpus phyſice extenſum.* Ita vigore legis Boſcovichianae conſtituta extenſio, reuera continua non eſt, nec teſte Vitali vlla eſt ratio, cur eam quis admittat, cum nec ſenſuum teſtimonium ſit ſatis tutum. Ea enim corpora, quae, inquit, primo intuitu continua apparent, diligentius inſpecta ſuas exhibent in ſuperficie interruptiones quae oculo videntur nusquam interrupta, aſſumto microſcopio ſulcos et poros occultare neſciunt. Et erit aliquis tam imprudens, qui ex teſtimonio ſenſuum velit de extenſione continua iudicare? Atque in his, quae ita diſputantur de vera materiae extenſione, legi Boſcovichianae con-

uenienter concipienda, non apparet, cur, ſi plurima ſint elementa, neceſſario diſpergantur per ſpatium triplici menſura patens, quod nimirum nuſpiam oſtenderit, theoriam virium Boſcovichianam non coniungere extenſionem veram, niſi cum corporibus, quanquam non eſt cur auſum talem, vtpote inutilem, a quoquam expectemus. Qui extenſionem elementorum continuam inducunt, putantque fieri non poſſe, vt extenſa ſit materia, niſi elementa ſeſe contingant, hos ab extenſione corporum infinito interuallo abeſſe, aſſerit argumento non tam facile ſoluendo. *Huiusmodi* inquit *elementa, vtpote quae ſpatium occupant in infinitum diuiſibile, erunt et ipſa in infinitum diuiſibilia, conſtabunt igitur partibus diuina tantum virtute ſeparabilibus. At iſtae partes neque finitum numerum habent, ne exhauriatur diuiſibilitas, neque habent indefinitum, quia quidquid creati exiſtit definitum eſt; habent ergo infinitum numerum. Iam vero ſingulae partes aut aliquam habent extenſionem, aut nullam: ſi quam habent, vtpote infinitae, debent extenſionem efficere infinitam; ſi nullam habent, etiamſi infinitae, nullam efficient extenſionem. Ergo elementa eiusmodi vel erunt infinite extenſa, vel nullam habebunt extenſionem, et in contactu poſita nullam efficient; atque adeo, qui elementa continue extenſa, et contigua inducunt, ii diſtant infinito interuallo ab explicanda corporum extenſione, quae vtique finita eſt.*

Diuiſibilitas corporum in infinitum, teſte Fortunato a Brixia, inſolubiles complicat nodos, et male ſemper vexauit Philoſophorum ingenia. Has omnes difficultates feliciſſime expedit ſyſtema virium Boſcovichianum. Eſt enim in hoc numerus punctorum corpus conſtituentium finitus, vnde pronum eſt ad intelligendum, nullum corpus, vtcunque magnum, niſi in partes numero finitas, diuidi non poſſe. In locum huius omnem limitem ſuperantis diuiſibilitatis, ſubſtituit Vitalis componibilitatem in infinitum, quae potiſſimum in eo cernatur, vt intra datum ſpatiolum is pun-

Digitized by Google

punctorum numerus collocari poſſit, qui diſtribui tandem queat per ſpatium vtcunque amplum, adeo vt in eo nullum ſit ſpatiolum cubicum maius dato quocunque vtcunque paruo, penitus vacuum, et quod in ſe non habeat numerum punctorum vtcunque magnum. Atque hanc doctrinam, ſuis rationibus confirmatam. Antonio Genuenſi A opponit. Sic ergo pergit: maximum illud ſpatium datum exigua illa maſſae datae ſpatiola continebit quodam numero virium vtique maximo, finito tamen, et determinato in ſe; poterit autem data maſſa diuidi in tot minores particulas, quot exprimit is numerus, ſingulisque ſpatiolis deſtinari poterunt ſingulae particulae, quae iterum poterunt diuidi quantum libuerit, vt parietes ſpatioli ſui conueſtiant, atque interſecent, vt ſpatiola vacua ſint quouis dato minora. Tandem vero, quomodocunque determinentur conditiones circa anguſtias dati ſpatioli, circa amplitudinem ſpatii implendi, circa punctorum denſitatem; erit nihilo ſecius requiſitus punctorum numerus finitus. At in quolibet ſpatio minimo, quiuis punctorum numerus commode diſtribui poteſt; neque enim vnquam eſt finis inferendi puncta in medio aliorum, quae ſe non contingunt, neque vero etiam infinitus punctorum numerus, ſi dari poſſet, quantulamcunque ſpatii partem impleret. Ita profecto, qui rata habet haec paradoxa, vltro dabit, fieri quoque poſſe, vt Deus totum mundum corporeum, absque vera compenetratione, redigat ad ſpatium quouis dato minus, potuiſſeque eum initio ſtatim creare in ſpatiolo vtcunque minimo eum punctorum numerum, qui tandem apte diſtribueretur ad omnia terreſtria et coeleſtia corpora efformanda. Id ipſum vero Antonio portentoſum, mirum quod non etiam abſurdum, videbatur. Ex lege quidem extenſi continui ſua veluti ſponte haec omnia fluunt, qui vero ex Roſcovichiana procedant, reuera non patet, cum priori aduerſetur, nec maſſae puncta vnquam ad contactum redigantur, compenetrationis euitandae cauſa.

In

In doctrina de attractione celeb. Vitalis contradictionis arguit Neutonianos, ſtatuentes, vigere attractionem in exigua vtcunque diſtantia, minimam vtcunque, finitam tamen, quae ad contactum vsque ſequatur rationem aliquam inuerſam diſtantiarum, quae ſit vel ſimplex, vel duplicata, vel triplicata. Oſtendit nimirum, admittere eos debere vim in contactu infinitam, quam tamen ratio ſana reiiciat. *Enim vero, ita philoſophatur, ſint diſtantiae duarum particularum D, d, Vires V et v; in hypotheſi rationis ſimplicis inuerſae eſſet* $v : V = D : d$, *hinc, ſi in contactu euadat* $d = o$, *ſequeretur analogia* $v : V = D : o$ *itaque* $V = \frac{v\,o}{D}$ *aut* $v = \frac{V D}{o} = \infty$. *Nimirum, ſicuti diſtantia finita ad diſtantiam nullam in contactu rationem infinitam habet, ita vis attractiua in contactu rationem habet infinitam ad vim attractiuam in aliqua diſtantia finita. Si ergo in hac diſtantia attractio non ſit infiniteſima, vel nulla, erit in contactu infinita.* Tandem P. Friſii argumentis oſtendit, cohaerentiam nullo modo per attractionem quamlibet, quae in contactu vigeat, explanari poſſe. Si nimirum cohaeſio corporum ex attractione duntaxat oritur, ſane ſine viribus attractiuis materies, et materiei partes ſingulae, in infinitum eſſent fluidae, imo attractiuis iisdem viribus materiei primitus additis, partes ſingulae figuram ſphaericam induiſſent, quae ſola omnium virium aequilibrium tueri poteſt. Primo igitur ex attractione in ſolidos globulos abiiſſet omnis materies, qui aut contigui, aut ſeiuncti fuiſſent inter ſe. Si ſeiunctos fuiſſe dicant patroni attractionis, oportet aſſignent cauſam cur fuerint, et qua ad contactus mutuos peruenire non potuerint. Deinde vero etiam ex globulis a ſe diſſitis non alia coaluiſſent corpora, niſi fluida. Quodſi contiguos velint globulos, rurſus ab ipſis requirendum erit, vtrum attractrices globulorum vires inſenſibiles prorſus fuerint, an potius ſenſibiles et magnae. Si primum affirmetur, minima etiam

iam vi adhibita potuiſſent globuli a ſe inuicem diuelli, et corpora ex globulis coalita adhuc fuiſſent fluida. Si alterum, ſimul coniungi, et ex pluribus vnum componi, quinimo vnum ex omnibus oportuiſſet, quippe in ſola figura ſphaerica, vt dictum eſt, obtinetur virium aequilibrium. Ita v. c. gutta aquae, aut mercurii, aut alterius cuiuscunque fluidi, ſiccae ſuperficiei alicuius corporis affuſa, ſphaericam formam induit, et duae guttae ſibi contiguae vniuntur ſimul, et tertia, quae propius admouetur, ſtatim adiungitur, et ſ. p. omnesque ſimul figuram ſphaericam, quantum natiua grauitas permittit, retinent. Quocunque ergo ſe vertant attractionis patroni, cum attractionis legibus cohaeſio corporum minime componi poteſt.

Phyſica omnis, communicationem motus ſemper in difficillimis explicatu poſuit, imo Alembertus Philoſophos compellans, ecquis inquit eſt, qui *intelligat, quomodo haec commutatio fiat?* fidenter ad haec celeb. Vitalis reſpondet: *ego, et quotquot Boſcovichianam theoriam intelligere poſſunt et volunt.* Quam quidem confidentiam ei facile condoraturos credimus Neutonianos, perlecta demonſtratione ab illo tradita, quae adeo luculenter hoc communicationis phaenomenon ex lege Boſcovichiana deducit, vt planiorem quisquam in phyſicis rebus tam abſtruſis vix deſideret. Nos certe ingenuae confeſſionis adeo non pudet, vt potius aperte fateamur, perlectionem libri fructuoſam nobis fuiſſe, atque iucundam, nec tamen extinxiſſe omne deſiderium. Theoria profecto illuſtris Boſcovichii adeo remota eſt a punctorum contactu, vt qui hunc defendat longiſſime abſit ab eadem; quamobrem oportet fundamenti velut loco ſubſternere demonſtrationem impoſſibilitatis eiusmodi punctorum contactus, quam tamen celeb. Vitalis ex arcu primo aſymptotico tantum illuſtrauit. Quemadmodum enim in vniuerſa dynamica, lineae virium vice funguntur, ita fieri eodem

dem iure poteſt, vt ordinatae arcus primi repellentes punctorum vires repraeſentent; an vero haec functio liberalitate Boſcovichiana his lineis conceſſa, tam ſit valida, vt omnem verum contactum impediat, id ipſum reuera ex creſcentibus in infinitum ordinatis vix quisquam intelligat.

IO. AVG. ERNESTI OPVSCVLA PHILOLOGICA Critica, multis locis emendata et aucta. Editio ſecunda multis partibus locupletior.

Lugduni Batauorum apud Samuelem et Iohannem Luchtmans, Academiae Typographos, 1776. Alphab. 1. plag. 4. in 8.

Genus ſcriptorum *Erneſtii*, Summi rerum diuinarum humanarumque ſcientia Viri, nemo non admiratur, nec quisquam eſt, quem non vel capiat et in legendo retineat, vel incendat et inflammet ad concipiendum litterarum amorem, ad mentis aciem et orationis elegantiam excolendam et perpoliendam. Quae ſeparatim quondam per varias occaſiones, et diuerſis temporibus ab eo ſcripta fuiſſent, tam cupidos lectores repererunt, tantoque feruore excepta ſunt, vt nonnullorum ſolum repetitis editionibus officinae, e qua primum prodiſſent, opus eſſet, ſed etiam externorum ſtudia in iis colligendis, et vno volumine coniungendis, eminerent. Batauorum quidem fauor iam dudum declaratus eſt, ex quo de Gloſſariorum Graecorum indole, rectoque vſu ad interpretationem diſſertatiunculam praeſtantiſſimi Auctoris, priori volumini Heſychii, ſui praemiſit inſertam, eruditiſſimus Alberti, et in Heluetia docti re-

repetierunt in iis quae Tempe Heluetica nominantur. Caetera vero, ex quo primum Lugduni in Batauis, anno huius ſaeculi ſexageſimo quarto, atque adeo ante hos tredecim annos, in vnum redacta corpus ſunt publicata, quam prolixam nacta ſint legentium voluntatem ex eo apparet, quod nunc iam poſt perbreue tempus, repetita eorum in eadem officina prodit editio. Quae quidem fortuna libello contigit ſuo merito. Quid enim argumentorum delectu grauius? quid rerum tractandarum ſubtilitate artificioſius? quid orationis genere aptius? quid verborum ſplendore, ornatu, elegantia, exquiſitius? In quo eam curam adhibuit Auctor, vt in quibus ſibi ipſe non ſatisfeciſſe videretur, ea ſcripta ab horum collectione abeſſe iuberet; ea vero quae inſigne haberent exemplum, argumenti ad aliquam partem litterarum atque doctrinae vel explicandam, vel illuſtrandam pertinentis, non ieiune et ineleganter explicandi, quod a iuuenibus ad elegantiam doctrinae explicandae adſpirantibus non inutiliter cognoſceretur, ea igitur, quamquam iam in Excurſus Suetonianos relata, vel redacta in compendium claui Ciceronianae inſerta, in hunc praeſentem numerum recipere non dubitaret. Quo e genere de Negotiatoribus Romanis, quam nuper etiam quidam in vernaculam linguam, vt mercatores ſcilicet noſtros aliquo munere bearet, tranſtulit, et de Actis diurnis, ſunt diſputatiunculae. Quae vero in Excurſus eſſent Callimachios illatae, de *Eriſichtone Callimachio et Ouidiano*, deque *Epigrammate Arati* diſſertationes, eas aeque ac iam memoratam *de Gloſſariis* ſcriptiunculam, vna eademque de cauſſa ſuſtulit. In his autem multa ſunt, quibus Iuris legumque vel ſtudioſi, vel periti, iuuentur, multa, quibus Grammatici, et veterum librorum interpretes, carere non poſſint, multa denique, quibus ſtudioſi ſacrarum litterarum optamus vt incitentur, quo nulli labori parcant, tandemque feliciter eo perueniant, vt et Criſin legitimam modeſto

exercere, et ſenſum verum, per Graecarum et Hebraicarum omniumque humaniorum litterarum auxilia, ſolerter indagare, et ſic veritatis coeleſtis vel explicandae, vel defendendae, rationem reperire diſcant. Quo pertinet inprimis ſpecimen Caſtigationum in Io. Iac. Wetſtenii editionem Noui Teſtamenti, cum ceteris vel Proluſionibus, vel diſputationibus, de Difficultatibus N. T. recte interpretandi: de difficultatibus Interpretationis Grammaticae N. T.: de Origene, Interpretationis Grammaticae Librorum SS. auctore, et reliquis, quarum omnium enumerationem et recenſionem repetere, nec commodum eſſe, nec neceſſarium putamus, quum praeſertim eam nos agere meminerimus tum, cum primae editionis in his Actis danda eſſet notitia. Nam ſicut antea elegantioribus litteris, ita paullatim procedente tempore ſalubria ac frugifera eſſe coeperunt Theologiae quoque ſtudiis, Erneſtii noſtri Programmata. Quem etiam ordinem hoc in corpore tenent. Illud autem reticendum non eſt, ad ſuperiorum diſputationum numerum, vt arbitramur viginti, quinque acceſſerunt aliae, in quibus non ſolum ſunt, quae praefatione, nimirum antiqua, quae nunc remanſit, negantur ineſſe quae de Ioſepho ſcriptae ſunt, cum ad argumentum Archaeologiae pertinentes, tum ad ſtili, ſiue orationis indolem; quas vtinam libuiſſet vel licuiſſet Viro S. R. abſoluere, vt proprium volumen explerent: ſed etiam quae poſtea per academicas rationes ſcriptae ſunt. Sequuntur igitur hoc ordine: XXI. Exercitationum Flauianarum prima, de Fontibus Archaeologiae. XXII. Exercitationis Flauiana I. Corollarium, de Ioſephi ſtilo. XXIII. Exercitationis Flauianae I. Corollarium alterum, de Odio Iudaeorum Vett. aduerſus litteras Graecas. XXIV. Dom. Magnani ſententia de anno Chriſti nati examinatur. XXV. De Paſchate Chriſtianorum cum Iudaico concurrente. Ac Ioſephi quidem libris accurate legendis cognoſcendisque, et cum Hebraicis ſcripturarum ſacrarum,

tum

Digitized by Google

tum etiam Graecis, quos imitando expreſſiſſe reperitur libris, comparandis, iam dudum ſe dederat Vir Eximius, Ioh. Georgii Graeuii, vt arbitramur, exemplum ſecutus, cui cum hoc ſcriptore magnum vſum et familiaritatem interceſſiſſe, vel in Luciani de Soloecismis dialogum notae demonſtrant Ea igitur opera legendi Ioſephi apparuit, plurimas quaeſtiones ad illuſtrandum eum valituras conſtitui poſſe, et ipſa verba paſſim, etiam poſt recenſionem Hauercampianam, non eſſe ſatis emendata. Placcuit tandem rem aggredi, et quidquid eo pertineret, ex conſilio Deylingii, magni nuper nominis Theologi, per Exercitationum Academicarum formam edere. Diſputatur in primis de fontibus Archaeologiae, et defenditur Ioſephum ſua non ex Graeca Alexandrinorum verſione, ſed ex Hebraicis librorum SS. verbis hauſiſſe. Idem idoneis argumentis probatur, primum ipſa Ioſephi profeſſione in procemio, deinde diſcrepantia a verſione Graeca et cum Hebraicis conſenſu, quo etiam pertinet, quod Hebraismos bene graece expreſſit, quod facere non poterat, ſi ſola fultus verſione parum Graeca, et Hebraicae linguae ignarus fuiſſet. Tum porro contemtu iſtius verſionis apud germanos Iudaeos, in Iudaea degentes, vt obſeruat Caſaubonus Exercit. ad Annal. Baron. II, n. 19. Quibus omnibus vt les cauſſae admonitiones adſperguntur. Nec iſta refelluntur a conſenſu Ioſephi cum Alexandrina verſione. Nam ſi vel libri N. T. ad iſtius verſionis verba interpolati ſunt, quid mirum ſi idem factum ſit a librariis in Ioſepho. Idque dupliciter, cum in rebus, tum in verbis. Illius generis interpolationis exemplum inſigne memoratur A. I, 3. 3. collatis locis A. VIII, 3. 1. et contra Apion. I, 2. in numero annorum, qui ab origine rerum et hominum ad Noachicum diluuium, et ab Semo vsque ad Abrahami notales effluxerunt. Huius autem, quae in formis loquendi cernitur, ex eadem verſione diſputatiuncula, ſeu corollarium, de *ſtilo* Io-

 ſe-

Digitized by Google

ſephi, ex Hebraiſmorum in eo veſtigiis demonſtrat. An hauſerit omnia ex libris ſacris Ioſephus dubitatur, quum habeat quaedam quae in iis, quibus nos vtimur, non habentur. Tenendum autem eſt, primum, libros diuinos fuiſſe quondam qui interciderint, nec relati in Canonem fuerint. Tum alios inter Iudaeos extitiſſe, ſimiles Maccabaeorum Commentariis, quos X, 6. 6. ἀρχαῖα βιβλία, Ἑβραίων βίβλους, vocat. Ex vtriusque generis libris eum hauſiſſe patet, quamquam in altero; humanos libros comprehendente, ad delectum non ſatis attentus fuiſſe, nec omnem reprehenſionem effugere poſſe videtur. Additamenta autem iſta ſunt vel in narrationibus, vel in exornatione, (quam *Ex aedificationem* dicit Cicero de Orat. II, 15. qui omnino comparandus.) Illas, veluti II, 9. 23. de Ianne et Iambre, nihil abſurdi habet dicere, ex iisdem hauſiſſe fontibus quibus Paulus, 2 Tim. 3; 8. hae autem non ſunt corrumpendae aut interpolandae veritatis, ſed virtutis et artis demonſtrandae; adhibitae ab praeclaris hiſtoricis, nec meram Annalium confectionem dediſſe contentis. Neque vero de fide Ioſephi tanta dubitatio fuiſſet, niſi iudices habuiſſet, propter ignorantiam purae, exquiſitae, et elegantis Graecitatis, cuius eum ſtudioſiſſimum fuiſſe ſcimus, parum idoneos. In numeris conciliandis ea quoque ratio valet, vt vterque numerus verus eſſe poſſit; alter rotundus, alter exactus, conſulendi quoque MSS. Hebraici et Codicis ſacri editiones Ante-Bombergianae. — Hac breui delineatione accuratiſſime ſcriptae diſſertationis, exiſtimari poterit, quo iudicio, quaue diligentia reliquae etiam, quas priori collectioni acceſſiſſe memorauimus, ſint elaboratae. In his alterum illius corollarium, de Odio Iudaeorum Vett. aduerſus literas Graecas; cui ſcribendo occaſionem dedit in vicina Academia Halenſi paullo poſt ſequente anno 1757. edita diſputatio, *de Auctoritate Archaeologiae, ad Exercitationem Flanianam. Lipſienſem I. Spicilegium Critico-Theologicum,* praeſide *Iohanne Salomo-*

ne

Digitized by Google

ne Semlero Sacrarum litterarum Doctore et Profeſſore in Alma Fridericiana Publico Ordinario etc. a *Dauide Godofredo Gerhard* defenſa. De quo lectores noſtros admonere voluimus, vt facultatem haberent ipſius cauſſae cognoſcendae melius et diſceptandae.

DE SEPTIMIO ET S. EPIPHANIO DISSERTAtiones duae Theologico-criticae, in quibus Anthropomorphiſmo neutrum laboraſſe oſtenditur, auctore IOSEPHO ANTONIO CANTOVA, Mediolani in Braydenſi Vniuerſitate S. I. S. et Theol. Prof.

Mediolani 1773. octonis.

Anthropomorphiſmi ea videtur origo, quod homines, in rebus quae non ſub ſenſus cadunt, ingeniis ſuis indulgerent: et eſt ſane facilius, res quas ſenſuum ope percipias cogitare, quam mente pura id concipere, quod nec videas, nec tangere poſſis, maxime cum notio naturae infinitae ita comparata ſit, vt a mente noſtra capi non poſſit: ſed ſi qua eius nobis ineſt, ita informatur, vt potius qualis non ſit, quam qualis illa ſit ſentiamus. Caeterum ea leuitas vix in homine rudi ferenda, multo minus in Philoſophis fuit. Apud Cic. de Nat. Deor. I, 1. quidam ait: „Quodſi omnium animantium formam vincit hominis figura, Deus autem animans eſt, ea figura profecto eſt, quae pulcerrima ſit omnium.“ Praeclara Philoſophi oratio, quae paulum differt ab illis, qui deum „hunc mundum eſſe voluerunt eundemque rotundum, quod ea forma vllam neget eſſe pulcriorem Plato. At mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel

py-

pyramidis videtur eſſe formoſior." Mature iam is error emerſit inter Chriſtianos, eos praeſertim, qui procliues eſſent ad fanaticismum, adeoque de rebus diuinis multa abſurde commenti ſunt: cui cum ſe opponeret Origenes, inuidiam ſibi conflauit eorum hominum, qua non minori et eius diſcipuli flagrarunt. E Patribus Saec. II. Melito Sardium epiſcopus, et Tertullianus, ob hanc rem notati ſunt: quorum ille, quia difficile eſt certi aliquid definire, a multis abſoluitur; hic, quod ex eius ſcriptis multa in hinc rem trahi poſſunt, magis eſt ſuſpectus: eodem crimine et Epiphanius male audiit. Autor huius libri, Cantova, quorum facilior eſſet defenſio, eorum cauſam ſuſcepit, Epiphanii et Tertulliani, maxime quod hac diſputatione hiſtoria Anthropo morphitarum illuſtraretur. Quod ad hunc attinet, quae huc facerent ex eius ſcriptis omnia collecta ſunt, et ita explicata, vt, ſi fieri poſſet, culpa liberaretur; deinde loca Auguſtini et aliorum, quibus eius erroris arguitur, excuſſa ſunt et confutata: qui cum ad Optatum c. 4. dicat, non eſſe mirandum hoc (de anima materiali) ſomniaſſe Tertullianum, qui etiam Creatorem Deum non eſſe niſi corpus opinetur, ita eſt repreſſus, vt omne crimen diluatur. Ait enim Cantova, quid inter eruditos alter de altero ſentiat non eſſe quaerendum, loca potius inſpicienda, quibus alterius de altero iudicium nitatur: quamquam ob reuerentiam Auguſtini haec ideo dicta eſſe contendit, vt ſumma illius viri autoritas imminueretur, nec haberent quo ſe tuerentur, qui animum humanum corporeum eſſe fingerent. In Comment. in Geneſ. ad litteram, ait, Tertullianum ſcripſiſſe Deum eſſe corpus, quia timeret, ne nihil eſſet ſi corpus non eſſet: at hic diligentius quaerit Auguſtinus, qua cauſa inductus ita ſenſerit; quare illum in libro contra Haereſ. abſoluit, quod Deum, ſubſtantiam permanentem, ſic dicere potuiſſet, et ipſe eodem ſenſu, in Ep. 190. (al. 157.) ad Hieronymum, animam corpus nuncupauit. Sed vt ad id acceda-

damus, in quo tota res vertitur, nimirum vt ipſius Tertulliani loca inſpiciamus, quae autori inuidioſa fuerunt; iam eius rei dabimus exempla, vt de reliquis locis facilius iudicari poſſit Contra Praxeam C. VII. legas quod Anthropomorphiamum ſapere videatur; ſed ſi quis ea conſideret, quae vel antecedunt hunc locum, vel conſequuntur, et cogitet, haec Praxeae opponi, qui vnam in Deo perſonam, et λόγον Θεȣ̃ patrem eſſe loquentem contenderet, facile perſpiciet, corpore hic nihil niſi veram ſubſtantiam ſignificari, cum ſcribit Tertullianus: „quis negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim eſt corpus ſui generis, in ſua effigie. Sed et inuiſibilia illa, quaecunque ſunt, habent apud Deum et ſuum corpus, et ſuam formam, per quae ſoli Deo viſibilia ſunt etc.„ Fac iam corpus hic ſenſu vſitato ſumi, qui dicere potuiſſet, quis negabit Deum eſſe corpus? Sic aliquando non materiam, ſed rem exiſtentem corporalem dicit; more ex N. T. petito, vbi σῶμα et σκιὰ ſibi opponuntur. Alio loco c. Hermogenem ait: „quaelibet ſubſtantia corporalis dici poteſt, cum ſubſtantia corpus ſit rei cuiusque: et de carne Chriſti c. XI.„ omne quod eſt, corpus eſt ſui generis; nihil eſt incorporale, niſi quod non eſt. Simili modo Phoebadius locutus eſt contra Arianos, a nemine propterea haereſeos damnandus. Ceterum Tertullianus ſpiritibus et Deo ea tribuit, quae nullo modo in corpora cadunt. Eadem ratione locus alius vindicatur c. Hermogenem C. XVIII. iisdem paene verbis expreſſus. L. II. c. Marcionem C. XVI. ſic Deus deſcribi videtur, quaſi animo et corpore et veris ſenſibus artubusque praeditus ſit, iisque a noſtris ita diuerſis vt humanum corpus a diuino: legitur enim: „quanta erit diuerſitas diuini corporis et humani, ſub iisdem nominibus membrorum tanta erit et animi diuini differentia, ſub iisdem licet vocabulis ſenſuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas ſubſtantiae humanae, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas

ſubſtantiae diuinae. His Tertullianus Cantouae nihil aliud dicere videtur, quam quod in ſacris litteris legimus, eodem modo quam illae explicandus: atque id liquere ex eodem libro, vbi diuina imago non in corpore, ſed in animo humano ponatur, ſiue vt ipſe dicit: in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animae ad formam Dei ſpondentis, et arbitrii ſui libertate et poteſtate: igitur qui haec ſcribat, Deum non ſibi fingere hominem. Ad accuſandum Epiphanium eius de Haereſibus opus fecit, quo nomine Socrati et Sozomeno male audiit. Laudat enim Audaeum, qui Anthropomorphitarum caput fuit, nec acerbe nimis de eius errore iudicat: peccaſſe enim virum in re minima, ſcilicet verba: faciamus hominem ad inſtar noſtri, eum dure et incommode explicaſſe; inde eum viſum eſſe multis Deo corpus tribuere, exiſtimaſſe enim imaginem diuinam in corpore primi hominis conſtitiſſe. At ſi animum aduertamus, non videtur Deum corporeum credidiſſe Epiphanius, ait enim duram eſſe et ineptam hanc interpretationem, et Deum eſſe ſpiritum, adeoque ſine corpore, nec eum cerni poſſe, vt plura omittamus, quae Cantova laudat. Pag. 93. ſqq. ſimul p. 99. oſtenditur, quam parum doctores veteris Eccleſiae in explicanda imagine diuina conſenſerint. Socrates et Sozomenus, dum dicunt Theophilum Epiſcopum Alexandrinum amicitiam cum eo contraxiſſe, ſed antea ab eo diſſediſſe, quod Deo corpus tribueret, huius erroris illum accuſant. Sed eos iam Bellarminus et Baronius refutauerunt, quod vterque non ſatis fide dignus eſſet: ſaepe enim mentitos eſſe, et ſcripta eorum plena eſſe mendaciorum. Quod etſi Cantova verum eſſe fateatur, non tamen illi ſatis facit: ita enim reſponderi eorum obtrectationibus, vt propter quae potiſſimum abſolui debeat, ea omittantur. Plures eſſe ſcriptores eiuſdem aetatis, qui de Haereſibus, et nominatim de Anthropomorphiſmo ſcripſerint, velut Cyrillum Alexandrinum, eos ſilere, accuſaturos ſine dubio virum

rum

rum pluribus de cauſis, ſi huic ſectae deditus fuiſſet. Cantova igitur ſibi perſuadet, omne illud crimen ab Origenianis profectum eſſe, idque ex eorum ſcriptis hauſiſſe obtrectatores; ſimul multa eaque praeclara tradit, quae ad Origenianos, ad Theophilum, et Chryſoſtomum pertinent. Deinde Epiphanius, etſi Audaeum et ſocios non inter Anthropomorphitas refert, tamen illorum ſectam haereſin eſſe profeſſus eſt; quod neutiquam feciſſet, ſi ex eorum numero fuiſſet.

SAMVELIS FRIDER. NATHAN. MORI, GR. ET Lat. L. Prof. P. O. in Acad. Lipſienſi, de Nexu ſignificationum eiusdem verbi Commentatio.

Non iniuſtae ſunt eorum querelae, qui in linguarum ſtudio aut vnam memoriam, aut diutius, occupari dicunt. Audiendus ergo eſt, quisquis ſe habere profitetur, quo memoriam adiuuet, ſiue breuiorem, faciliorem, ac certiorem viam monſtret, ſiue doceat, quibus inſtitutis efficiatur, vt tum, cum memoria occupatur, iudicium quoque vim ſuam exſerat, atque adeo ii, qui diſcunt, et inſcii iudicio vtuntur, ſe eo cummaxime vti ſciant. Ita enim fit, vt non modo, praeter ſonum et ideam cum eo coniunctam, aliquid amplius cogitetur; ſed a diſcentibus etiam cognoſcatur, quid et quo modo ingenium, memoria, phantaſia, iudicium, agere ſoleant, ideoque vel tenerrima aetas, his animi facultatibus obſeruandis, dignoſcendis, atque moderandis, adſuefiat. Sed miſſis reliquis, quae de hoc genere accommodata ad educationem puerorum dudum praecepta ſunt, et hodienum iterari atque commendari ſolent,

Digitized by Google

lent, vnum in praeſenti eorum cauſa repetam, qui non tam facultate libelli alicuius intelligendi, aut vtcumque dicendi, fructum omnem ſtudii linguarum cenſent, quam hoc agunt, vt ſtudium illud cum philoſophia coniungant, hoc eſt, cauſas ſignificationum teneant. Eſt enim in promtu, ſi quis ſciat, quare aliquid ita potiſſimum adpelletur, quo modo plures eiusdem verbi ſignificationes cohaereant, qua ratione ex ſe inuicem fuerint prognatae, eum, quoniam memoriam iudicio adiuuet, rem multo facilius tenere poſſe, quam qui ita eſſe memoriae ſimpliciter inculcet.

Sed cauſae ſignificationum multiplici modo quaeri poſſunt. Nam alii origines verborum indagant, vel in primitiuis, vel in extera lingua: alii conſenſum plurium linguarum exponunt: alii indolem mentis humanae et vires, et viam, quam natura in inueniendis nectendisque rerum ideis perſequitur, obſeruant: alii, hiſtoria duce, viciſſitudines ipſarum notionum cum incrementis, cultu, ornatu, adfectatione, ſubtilitate et copia linguae, qua quaeque natio vſa eſt, comparant: alii in animaduertenda ſimilitudine ſoni et naturae rerum, ſono expreſſae, periclitantur. Nolo iam interpretari, quaenam harum rationum ceteris certior, et ad memoriam, de qua dicimus, fructuoſior videatur: nam palam eſt, omnes eſſe coniungendas, et, qui reliquis neglectis vnam tenuerint, hos multa aut plane non, aut difficulter, cum opinione ſua coniungere potuiſſe neque memoriam adiuuiſſe, ſed torſiſſe, ſuoque errore alios, qui multa deeſſe, multa ficta, multa item a vero aliena viderant, ad eam opinionem duxiſſe, vt nihil eſſe in his certi ſuſpicarentur, ſed dominari libidinem ingenii, opinionisque vanitatem. Quae quidem ſuſpicio vbi ſemel animum inuaſit, quis non veluti machinatione impreſſas memoriae verborum ſignificationes recipere malit, quam iſtius modi commenticiam

Digitized by Google

ciam cauſam diſcere? Ita vero fit, vt, quod opinionum huiusmodi auctores voluerant memoriae adminiculo eſſe, id eam magis etiam fatiget, et, ſi tirones linguae alicuius diſcendae neceſſitatem impoſitam ſibi ſenſerint, onus hoc inuiti et recuſantes ſubeant.

Liceat haec ſtudioſorum cauſa ipſius hiſtoriae auctoritate confirmare. Auctor Etymologici magni, quod Fridericus Sylburgius edidit, inter alia et hoc voluit efficere, (nam vnum hoc profecto non ſpectauit,) vt ſingulorum verborum veluti radicem inueniret. Quam operam vt in pluribus bene collocauit, tum praeſertim, cum prima graecae linguae vocabula vnius aut duarum ſyllabarum fuiſſe demonſtrat: [1]) (eſt enim veriſſimum, aliarumque linguarum ſimilitudine confirmari poteſt:) ita vehementer interdum argutatur, quoniam vbique, etiam tum, cum fieri nequit, praeſtare vult, et, vt praeſtet, pro arbitrio, nulla certa perpetuaque lege vſus, omnis generis figuras comminiſcitur, transpoſitiones, permutationes, coalitiones, eliſiones, adiectiones literarum vel ſyllabarum: vt exempla infra poſita declarant. [2]) Sed fuit haec illius aetatis conſuetudo, quae in Euſtathii quoque commentario Homerico, et Scholiis ineditis Homericis, quae in bibliotheca Paulina Lipſienſi adſer-

1) λῶ, δῶ βῶ, θῶ, τῶ, σμώχω, ψώχω, σεύω, σείω, σύω, σέω, σόω, et multa alia. Cf. Salmaſius de Helleniſt. p. 391. et Hemſterhuſius in multis animaduerſionum ad varios ſcriptores locis. Idem, ſed longe alia via, nuperrime in vernacula lingua tentauit Fr. C. Fulda, vir in primis doctus, edito hoc libro: Sammlung und Abſtammung germaniſcher Wurzelwoerter, Halae. 1776. 4.

2) Νήπιος, παρὰ τὸ ἤπιος. πλεονασμῷ τῦ Ν. ἢ παρὰ τὸ Νη ϛερητικὸν καὶ τὸ Εἰπεῖν γίνεται νηέπιος, καὶ κατὰ συγκοπὴν (add. νήπιος), ὁ μὴ δυνάμενος λέγειν. ἢ νήβιος, ὁ ἐϛερημένος τῦ βίυ· καὶ νήπιον, τὸ ἐϛερημένον τῶν βιωτικῶν φροντίδων. ἢ παρὰ τὸ Νη ἐπιτατικὸν, καὶ τὸ Πῖον, τὸ λιπαρὸν, ἢ Νέον πῖον.

ſeruantur, paſſim obtinet, [3]) videturque tum quidem haud parua pars reconditae doctrinae grammaticae fuiſſe, etymologias quocumque demum modo reperire poſſe, quaſi nulla pateret alia ad cauſas ſignificationum via: nam in omnibus grammaticorum veterum libris multa huius ſtudii veſtigia exſtant. Idem vereor, ne Iſidoro in Originum libris, et, qui hunc ſecutus eſt, Voſſio, in Etymologico latinae linguae, ſaepenumero acciderit. Rurſus, qui ſimilitudinem ſoni et naturae rei *vbiuis* quaeſiuerunt, vt inter veteres Plato, ii magnopere indulſerunt ingenio, et eorum, quae

Ἑτοιμάσατε, ἐκ τοῦ Ἑτοιμῶ· τοῦτο ἐκ τοῦ Ἕτοιμος. Παρὰ τὸ Οἶμος, ὃ σημαίνει τὴν ὁδὸν, καὶ τὴν Ἐπὶ πρόθεσιν, γίνεται Ἕποιμος καὶ Ἕτοιμος, ὁ ἐπὶ τὴν ὁδὸν ὢν παρεσκευασμένος, τροπῇ τοῦ Π εἰς Τ. ἢ παρὰ τὸ Οἶμα, ὃ σημαίνει τὸ ὅρμημα, καὶ τὸ Ἔθος, τροπῇ τοῦ Θ εἰς Τ γίνεται Ἕτοιμος, ὁ πρόχειρος εἰς τὸ ὁρμῆσαι καὶ πρᾶξαι. His addi poſſunt permulta. Nolim tamen haec a tironibus in contemtum huius libri trahi, qui in alio genere, praeſertim vbi gloſſarii locum tenet, perutilis, omninoque ad emetiendum graecae linguae ambitum neceſſarius eſt.

3) In his ſcholiis ad Iliad. I, 321. haec notantur: Ὀτρηρὸς γέγονε παρὰ τὸ Τρέω, τὸ σημαῖνον τὸ Φοβοῦμαι. Ὄνομα ῥηματικὸν Τρεερὸς, ὡς φαίνω Φανερὸς, καὶ κατὰ κρᾶσιν τῶν δύο ΕΕ εἰς Η Τρηρὸς, ὁ δειλὸς, ἐξ οὗ καὶ Τρήρων παρωνύμως, καὶ μετὰ τοῦ στερητικοῦ Α Ἀτρηρὸς, ὁ δραστικὸς καὶ μὴ δειλὸς, καὶ μεταβολῇ τοῦ Α εἰς Ο, Ὀτρηρός. Ἢ παρὰ τὸ Ὀρῶ, τὸ Ὁρμῶ. De verbo ἐπάσαντο ad Iliad. I, 464. ita diſſerit: Τὸ θέμα Πατῶ, ὃ σημαίνει τὸ Ἐσθίω· ὁ μέλλων Πατήσω, καὶ κατὰ συγκοπὴν Πάσω· ἐντεῦθεν γέγονε καὶ Φάτνη, ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἐσθίουσι τὰ ἄλογα. Τὸ δὲ Πατῶ, ὃ σημαίνει τὸ Ἐσθίω, γίνεται παρὰ τὸ Μάσσω, τὸ Μαλάσσω, ὅθεν καὶ Πάσσασθαι παρὰ τὸ Μασσᾶσθαι, τροπῇ τοῦ Μ εἰς Π, καὶ ἀναδρομῇ τοῦ τόνου, Πάσσασθαι. Ad Iliad. II, 219. Τὸ ἐπενήνοθε ἀπὸ τοῦ Θέω, ἐν ὑπερβιβασμῷ Ἔθω, ἀναδιπλασιασμῷ Ἐνέθω, Ἤνοθα, καὶ Ἐνήνοθα. Haec non inutiliter cum Etymol. M. conferentur. Ceterum vix opus videtur vt admoneam, multa alia, eaque longe vtiliora, in his ſcholiis contineri, ea praeſertim, quae de variis Homericorum carminum recenſionibus, et omnium Grammaticorum explicationibus, diligentiſſime et vtiliſſime dicuntur.

Digitized by Google

quae in hoc genere certa ſunt, (ſunt enim vocabula, rem ipſam ſono imitantia,) diſſimilia dixerunt. [4]) Aliud enim eſt, in verbis ἀλαλάζειν, ὀττοτοῖ, βόμβος, agnoſcere ſimilitudinem rei ac ſoni: aliud, in litera Rho celeritatem vel motum expreſſum ſentire. Recentiores etiam nonnulla conati ſunt. Non eos dico, qui in hebraicarum literarum figuris luſerunt, ſed qui nuper admodum, obſeruandis literarum ſingularum ſonis, eorumque vi ad ideas quasdam exprimendas, vernaculae linguae veluti ſtamina indagare coeperunt: quos vt admiror et magni facio, res enim eſt immenſi laboris, et inauditae conſtantiae, ita, quantum progredi liceat, tempus et doctrina Fuldae docebit. Qui vero rationem expedire conantur, qua humanus animus ab vna eiusdem verbi ſignificatione ad aliam tranſierit, vt in tropis, hi, etſi veram et experientia comprobatam ſententiam ſequuntur, tamen neque vltra cauſas deriuatarum ſignificationum progredi, neque ſemper definire poſſunt, quaenam omnium prima ſit, vnde initium ad ceteras deſcendendi iure fiat; cum propter ambiguitatem, tum quia multorum verborum primas ſignificationes intercidiſſe conſtat. Similitudo denique linguarum, quarum altera cum altera communicauit verba ipſa, (vt Dorienſes cum priſcis Italis,) verborumque ſignificationes, et in vita communi, et in

4) Notiſſima eſt Platonis ſententia, in Cratylo p. 54. ed. Baſ. (c. 19. ed. Fiſch.) expreſſa, qui cum ex Heraclito poſuiſſet, omnia moueri, nihil quiescere, hanc ipſam vniuerſi mundi legem omnibus linguae graecae verbis ſignificatam eſſe autumat, ſi quis ad eorum origines redire voluerit. Ita φρόνησις eſt φορᾶς καὶ ῥοῦ νόησις, vt, ſi componas φ et ρ et νόησις, efficiatur φρόνησις. Ita αἰσχρὸν eſt ἀεισχοῤῥοῦν, hoc eſt, τὸ ἴσχον τὸν ῥοῦν, *quod cohibet curſum vniuerſi*, ſiue legi naturali repugnat. Deinde, cum inſtrumenta loquelae vario motu varios ſonos efficiant, volubiles, preſſos, aſperos, quiritantes, concludit, in quibus verbis litera volubilis aut aſpera ſit, iis verbis rem volubilem aut aſperam ſignificari, p. 63.

in poeſi, aliisque artibus ac diſciplinis obuias, illa igitur conſenſio permultis indiget argumentis, ex hiſtoria populorum et artium petitis: de quibus ſi vel maxime conſtet, magna tamen in ſingulis moderatione opus eſt, ne conſenſionem hanc latius patere putemus, quaſi ii, qui linguam aliunde acceperint, nihil ipſi adinuenerint aut mutauerint: quod interdum difficillimum eſt intellectu. Quod ſi nulla ratio cauſarum quaerendarum per ſe ſufficit, manet hoc, quod poſui, omnia cauſarum inueniendarum praeſidia conquirenda eſſe.

Sed ſi quaeratur, quodnam horum praeſidiorum animum vberrime nutriat, hoc eſt, praeter id, quod memoria tenendum eſt, etiam ingenio et iudicio materiam conferendi, examinandi, et decernendi offerat, non dubitem illud praeferre, quod in nexu deriuatarum eiusdem verbi ſignificationum ineſt. Nam primo, qui hac via incedunt, a certis et vſu loquendi confirmatis ſignificationibus faciunt initium. Deinde ſimilitudinis et nexus omnia genera (relationes volo) intelligunt: quod quantam habeat vtilitatem, in metaphyſicis docetur. Rudiora porro antiquiſſimorum ingenia, ſucceſſu temporis exculta, mutatosque mores vident. Rurſus ipſa initia doctrinae et artium, ab aliqua gente ſuſceptarum, perſpicue animaduertunt. Quid illam ſuauitatem, an vtilitatem dicam, cum palam ſit, rerum honeſtarum vocabulis paulatim aliquid indignitatis, vilitatis, aut irriſionis haeſiſſe, contra vitiorum nomina ſubinde ad hilaritatem, facilitatem, lepidamque petulantiam tracta eſſe. Verum haec atque talia a multis ſaepe iam expoſita ſunt. Et quis tandem neget, ſi memoriae hoc modo ſuccurratur, multo certius ei infigi vocabula, quam ſi ſonum et ideam, temere quaſi et caſu nexa, arripiat quidem, ſed nullam habeat anſam, qua ea prehendat et teneat. Arbitrer etiam, linguas ita libentius atque vtilius diſci,

Ac-

Ac multi quidem multa verba hoc modo illuſtrarunt: Budaeus in commentariis linguae graecae, Stephanus in theſauro, veterumque ſcriptorum interpretes paſſim, Perizonius nominatim, I. Fr. Gronouius, Hemſterhuſius, Weſſelingius; negari tamen nequit, plura ſupereſſe, in quibus ingenium exerceri poſſit. Itaque vnum in praeſenti delegi, verbum λαμυρὸς, cuius varias ſignificationes nexas inuicem eſſe oſtenderem. In quo ſi quid dixero, quod iam ab alio dictum ſit, etſi mihi non innotuerit, feram libenter, ſi ad alium auctorem referatur, atque adeo, me ab eo, quem non legi, accepiſſe concedam.

Videtur ergo, *qui paulo liberius et audacius loqueretur*, ab antiquioribus dictus eſſe λαμυρὸς. Etenim Socrates, vbi amorem venereum contemtim deſcribit, et ad illiberalem humilitatem deprimit, ſe dicit impauide et liberrime iudicare (παῤῥησιάζεσθαι), adfatetur, vino ſe incenſum, et acriore liciti amoris ſtudio commotum, aduerſus amorem venereum vehementius dicturum: neque adeo mirum videri, εἰ λαμυρώτερον λέγῃ. [5]) Hoc, ſi verborum contextus ſpectetur, inprimiſque ſimile verbum παῤῥησιάζεσθαι, nihil aliud eſſe poteſt, quam: *ſi dixerit liberius, acrius, vehementius.* Seruauit hanc verbi vim, quamquam in alia re, et alio modo, Aelianus, [6]) vbi beſtiae cuiusdam indolem deſcribit, tam pronae illius ad voluptatem, et in ea quaerenda tam artificioſae, vt Medorum et Perſarum ritu [7]) viuere videatur. Quae comparatio beſtiae et nationis alicuius cum haud dubie paulo audacior ſit, ipſe Aelianus faſſus eſt, ſe haec

5) Xenoph. Sympoſ. G, 24. Huc arbitror Suidam reſpexiſſe, qui in λαμυρὸς, poſt alia multa, ſine interpretatione poſuit: Καὶ λαμυρώτερον. Niſi potius recentior manus hoc addidit.

6) de natura animal. 1, 14.

7) Hanc luxuriandi conſuetudinem deſcripſit Xenoph. Cyrop. 8, 8.

Fff

haec λαμυρώτερον εἰρηκέναι, *audacius dixiſſe.* [8]) Adparet ergo, propter aliquam notionum ſimilitudinem, vocabula ab alio ad aliud transferri: nam differt profecto libertas a.rius et vehementius diſputantis, quae in Socrate fuit, ab libertate ſcriptoris duriore tropo vtentis: tamen vtrumque eſt λαμυρῶς λέγειν. [9]) Iam vt audacia et durities, in his duobus locis deſcripta, nihil habet improbitatis et vitioſitatis: ita, cum eaedem in licentiam atque temeritatem facile degenerare ſoleant, coepit verbum inflecti ad impudentiam, temerariam fortitudinem, et aſperitatem ſignificandam. Plutarchus quidem conqueritur, [10]) non nullos crimen timoris et ignauiae ita effugere, vt vbique prae ſe ferant λαμυρίαν et θρασύτητα. Atque altero verbo, θρασύτης, *ferociam* indicari, palam eſt. Sequitur, vt in altero, λαμυρία, ſit *audaciae* vis, non honeſtae illius nec probandae, verum turpis et indecorae, adeoque *temerariae* et vanae: quae vſitatius τόλμα ἀλόγιστος dicitur. [11]) Inde auctor etymologici magni, et Phauorinus, λαμυρίαν interpretati ſunt ἀλόγιστον ἀνδρείαν. Quod autem λαμυρὸν eſſe dixi *impudentem*, id e Phrynicho infra oſtendam. Sed et haec aſperitatis ac ferociae ſignificatio ad plura transfertur, ac de rebus adſpectabilibus vſurpatur. In quodam loco Theocriti, [12]) vbi irritatus leo, iram et vltionem ſpirans, aperto rictu dentes λα-

8) Vid. Abreſchius ad Thomam Mag. p 568. ed. Bernard.

9) Idem valet in eo, quod Dionyſius Halicarnaſſenſis, Longinus, Demetrius Phalereus, aliique, grammatici et ſophiſtae, duriores tropos adpellant παρακεκινδυνευμένως λεχθέντας. Nam aliud eſt, παρακινδυνεύειν, aut παράβολον et ῥιψοκίνδυνον εἶναι, h e. *audacius ſe exponere periculo:* aliud, *in dicendo aliquid audere.* Tamen vtrumque dicitur παρακεκινδυνευμένον.

10) De diſcr. adul. et am. c. 37. ed. Krigelii, qui ibi vid.

11) Thucyd. 3, 82. Ita ergo λαμυρία et θράσος ſynonyma erunt, ſi recte monuit de verbo θράσος ſcholiaſtes ad Eurip. Med. 469. 470. et Ammonius (p. 71. ed. Valkenar.) iisque opponitur εὐτολμία.

12) Idyll. 25, 234.

λαμυροὺς oſtendiſſe dicitur, interpreter *aſperos, horridos.* Nam vidi, grammaticos, Heſychium nominatim, Suidam, et Phauorinum, λαμυρὸν interpretari καταπληκτικὸν, *terribile*: id quod Georgius Arnaldus [13]) loco Nicandri [14]) illuſtrauit, vbi de ſerpente eſt: Σμερδαλέον — ἐπί οἱ λαμυρὸν πέφρικε κάρηνον, *caput, at terrorem vsque horridum.* Itaque λαμυρὸν non tam eſt *terrificum*, (alioquin enim Nicander non potuiſſet addere σμερδαλέον), quam *aſperum, horridum*, hoc eſt, ab adiuncto *terrificum.* Traditur enim in illis gloſſariis non ſemper ipſa verbi ſignificatio; ſed ita, vt ſignificationi adiuncta idea, (conſequens, effectus, relatio, ſimilitudo, vel vlla quaelibet determinatio,) exprimatur: vnde ſaepius perquam lubricum eſt, gloſſariorum interpretationes pro ipſis verborum ſignificationibus habere. [15])

Hactenus effectum eſt, λαμυρίαν eſſe audaciam, aſperitatem, temerariam fortitudinem, et impudentiam: nec difficile fuit, horum omnium nexum, qui palam eſt, deprehendere. Sed longe ab his recedunt, quae nunc tractanda ſunt. Nimirum, qui liberius omnes adloquitur, a nemine refugit, ſed, quod cum ſingulis colloquatur, habet, qui adloquio et colloquio omnes capit et delinit, in

 quo

13) Lect. Gr. p. 89.

14) Theriac. 294. fluctuar ad hunc locum ſcholiaſtes, qui λαμυρὸν explicat λαῦρον, ἢ τραχῶδες, ἢ εὐκίνητον. Lonicerus *aſperum* vertit.

15) Ἀμφιλαφὲς non eſt κατάσκιον, vt Heſychius explicat, ſi ipſam verbi ſignificationem ſpectes; ſed *multum, copioſum:* tamen illud nemus, δένδρεσιν ἀμφιλαφὲς, *arboribus frequens, denſum*, quod Callimachus H. in Cer. v. 27. deſcribit, hanc ipſam ob cauſam, quia denſum arboribus eſt, idem eſt κατάσκιον, *vmbroſum.* Ergo κατάσκιον eſt adiunctum τῷ ἀμφιλαφεῖ, ſiue eius conſequens, neque ἀμφιλαφὲς, ſed δένδρεσιν ἀμφιλαφὲς eſt vmbroſum. Neque ἐπιπλήσσειν in Sophoclis Aiace (288) eſt *cohibere, impedire*, vt Scholiaſtes vult, ſed *obiurgare:* tamen qui obiurgat, cohibet alterum.

quo non eſt pudor ſubruſticus, qui neque in dicendo anxius eſt, neque in agendo moribus contortis, a venuſtate et elegantia liberali longe remotis, is graece dicitur *λαμυρός*. Nonne vero adparet, veterem illam ſignificationem liberioris audaciae, temerirtais atque impudentiae, paullatim ita immutatam eſſe, vt, ſublata vitioſitatis macula, omnino liberam, aut, ſi lenius dicatur, liberalem et blandam ac ſuauem viuendi rationem, (das freye ungezwungene Weſen,) recentiores verbo hoc exprimerent? Et nonne haec per rei naturam ita cohaerent, vt alterum cum altero opinione permutetur? Quae enim rudiori ac ſeueriori, fortaſſe etiam honeſtiori interdum, vetuſtati viſa ſunt audaciae ac proteruiae tribuenda, ea recentior aetas non numquam blanda, liberalia, hilaritatis atque facetiarum plena cenſet, Atque adeo, quae in pagis, oppidulis, ac terris, nullo magnopere cultu expolitis, ſtudioſe fugiuntur, ne quis immodeſtus, nimius, procax, intemperans aut petulans videatur, ea interdum in celebrioribus vrbibus, vbi omnia liberalitatem ſpirant, iudicantur eorum eſſe, qui ſciant, quo modo inter alios ſit viuendum, qui vincula inconditae verecundiae abiecerint. Itaque non mirandum eſt, ſi recentiores *λαμυρὸν* in meliorem partem dixerunt, de homine in ſermonibus et vita liberali ac venuſto, cum olim verbo eodem notatus eſſet is, qui ad licentiam ſermonum ac vitae progreſſus exiſtimaretur. Proinde Phrynichus [16]) veriſſime dixit: *Οἱ νῦν μὲν τὸν ἐπίχαριν τῷ ὀνόματι (λαμυρὸς) σημαίνουσιν, οἱ δ' ἀρχαῖοι τὸν ἰταμὸν καὶ ἀναιδῆ.* Sed age, exemplis haec videamus.

In vita Luculli, a Plutarcho ſcripta, [17]) mentio fit cuiusdam Praeciae, quae laude pulcritudinis et *λαμυρίας* Romae

16) Pag. 128. ed. Pauw. Hemſterhuſius qnidem ad Thomam Mag. p. 569. Phrynicho non multum tribuere videtur; ſed in hac quidem obſeruatione auſim Phrynichum defendere.

17) Cap. 6, vol. 3. p. 233, ed. Reisk.

Digitized by Google

mse floruerit, eadem tamen a meretricia turpitudine non afuerit. Sed *λαμυρία* eius in ſe non magis eſt vitioſa, quam pulcritudo, cum et *λαμυρία* et pulcritudo paulo poſt communi venuſtatis (*χάριτος*) nomine adpellentur. Quaenam ergo fuerit *λαμυρία*, ſic videtur reperiri poſſe. Scilicet Plutarchus narrat, Praeciam ea fuiſſe arte, vt ſpecie honeſtatis [18]) quemlibet in ſuam ſententiam trahe et, omniumque ſtudiis, blandiſſime ſibi conciliatis, e re ſua atque arbitrio vteretur; ea item gloriae cupiditate, vt quiduis ab ſe effici poſſe videri vellet. [19]) Nonne ergo *λαμυρία*, quae hanc artem et aſtutiam placendi dominandique multum adiuuit, blanda fuerit ſuadela, cum ſumma morum venuſtate (das Einnehmende), cui nemo facile poſſet reſiſtere? Sed veteres hanc dixerant *πειθώ*, cum in dictis, tum in factis, ad capiendas aliorum voluntates accommodatis. Itaque auctor etymologici magni, Suidas, Thomas Magiſter, Phauorinus, *λαμυρὸν* interpretati ſunt *εὐτράπελον*, et *λαμυρίαν* interdum volunt eſſe *ἡδύτητα*: Suidas etiam exempla ex epigrammatibus adiunxit. Similiter dicendi genus ornatum et exquiſitum dictum eſt *λαμυρόν*. Syneſius quidem, [20]) vbi dixerat, rem ab aliquo exquiſite ſcriptam eſſe, *σοφιστικῶς μετακεχειρισμένην*, ſic explicat, *τῦτ᾽ ἔστι λαμυρῶς καὶ δεξιῶς*, vt adeo liber plurimum haberet ſuauitatis, *πολλὴν τὴν ἀφροδίτην ἐπαγόμενος.*

Haec igitur ſuauitas in quaecumque vitia degenerare ſolet, dicacitatem, loquacitatem, [21]) ſurrilitatem, ea omnia hoc ipſo verbo exprimuntur. Perſpicuus eſt Plutarchi locus,

18) *Ἐχρῆτο τοῖς ἐντυγχάνουσιν αὐτῇ καὶ διαλεγομένοις πρὸς τὰς ὑπὲρ τῶν φίλων σπυδάς.*

19) *Σοβαρὰ καὶ πανηγυρικὴ καὶ δραστήριος.*

20 In Dione p. 25. ed. Turneb.

21) Vid. Hemſterhuſ. ad Thom. Mag. p. 569. vbi locum e lexico MS. Cyrilli profert.

cuſ, [22]) vbi Alcibiadis in adminiſtranda ciuitate rationem, *πολιτείαν ἄγαν λαμυρὰν* fuiſſe arguit. Cum vero, vt eſt in eodem loco, Alcibiades omnia retulerit ad captandum populi fauorem, omnibusque blandimentis, quibus ſe in animoe plebis inſinuaret, vſus ſit, atque adeo, modo populum ſibi conciliaret, ſcurrilitati et petulantiae indulſerit: ſequitur, in eius *λαμυρία*, quae huiusmodi ſignis ſe exſeruerit, in vniuerſum quidem fuiſſe ſtudium placendi, ſed cum ſtudium hoc nimium fuerit, *ἡ ἄγαν λαμυρία*, hoc eſt, adulatorium, humile, vitioſum, videtur in *nimia obſequioſitate* ponendum. [23]) Sed interdum, etſi illud *nimium* non additur, tamen verbum in deteriorem partem dicitur: quod et aliunde, et e gloſſariis antiquis intelligi poteſt. Heſychius enim *λαιθαρίζειν* interpretatur verbo *λαμυρῶσαι*, Suidas contra, apud quem *λαιθυράζειν* ſcribitur, eſſe vult *χλευάζειν*: ideoque cum Heſychius *λαιθυρά* [24]) explicet *λαμυρά*, eique tribuat omnes verbi *λαμυρὸς* ſignificationes, efficitur, vt *λαμυρὰ* interdum ſint *χλευαστικά*. In eodem gloſſario *λάτραβος* eſt *λαμυρὸς*, et *λατραβῶν*, *ἀλαζονευόμενος*: vnde cogi videtur, *λαμυρὸν* etiam dictum eſſe *iactatorem*. [25]) Sed de his non niſi dubitanter dici poteſt, donec ſcriptorum loca, ad quae gloſſariorum auctores reſpexerunt, reperta fuerint. Quam ipſam ob cauſam non ſuſtineo indagare, qui factum ſit, vt Phauorinus *λαμυρὸν* interpretaretur *multum*, *copioſum*, et Thomas Mag. *καθαρὸν*, quamquam *πηγὴ λαμυρά*, quam ille dicit *καθαρὰν*, (*limpidum fontem*), eſſe poteſt *blanda*.

Sed

22) In comparatione Alcibiadis et Coriolani init. Vol. 2. p. 161.

23) Hemſterhuſ. l. e codice auctiorem locum etym. m. profert, quo haec confirmantur: *Λαμυρὸν πολίταν, τὸν ἀναιδῆ καὶ λάβρον* (*λαβραγόρης*. Homer. Il. 23, 479.) *ἤγουν τὸν μεγαλόβουλον καὶ θορυβώδη*. Ac talis fuit Alcibiades.

24) Non videtur hoc differre ab *λαιθρά*, *λαιθυρά*, *λαιθαρά*.

25) Suſpicor, in eo loco, vbi Heſychius *λατραβίαν* eſſe dicit *λαμυρίαν μετ' ἐρυθριάσεως*, intelligi *inuitis extortam iactationem*.

Sed eſto cuiuis liberum, vtrum tam diuerſas eiusdem verbi ſignificationes, ſine omni nexu, diſcere velit, an cogitando coniungere. Quod ſi in ipſa vita communi haec ita coniuncta reperiuntur, vt, qui liberrimi ſint, interdum ad impudentiam vſque, tamen ab aliis liberales exiſtimentur, vt liberales ſint faceti, faceti porro dicaces, dicaces rurſus loquaces, loquaces denique ſcurrae, et haec omnia, ſuo quodque modo, his illis placeant: quidni etiam linguae vſu coniuncta eſſe obſeruemus? praeſertim cum coniunctio in ipſa re haud dubie fuerit occaſio, vt loquendo exprimeretur, et, vti mores mutati fuerant, etiam verborum vſus mutaretur.

IOH. ERNESTI FABRI ARCHAEOLOGIA HEbraeorum: PARS PRIOR.

Halae Magdeb. 1773. octonis.

Agit iſte liber de diuerſis mortalium habitandi modis, ſeptem diuiſionibus: 1) de manſione ſub dio; 2) de habitatione in ſpeluncis, et 3) ſub tentoriis; 4) de tabernaculis et ſeptis; 5) de ſpeculis et excubiarum ſignis, vigilumque ignibus; 6) de oppidis, pagis, et vicis; 7) de aedificiis Hebraeorum. Eruditiſſimum Auctorem fatis conceſſiſſe, non ipſius ſolum, ſed litterarum etiam cauſa dolemus: carebimus enim poſteriore huius libri parte, qua reliquam omnem materiam complexurus erat. Quis enim Golio adiutus, reliquis autem auxiliis deſtitutus eiusmodi opus moliatur? Is enim veluti terminus litterarum orientis ſacer haeret, quem vltra ſapere eſt nefas. Qui res antiquas Hebraeae gentis ſcripſerunt, fere citra eas, quae ad ſacra et religionem pertinerent, non euagati ſunt; ſic quidem

Digitized by Google

dem ſcriptores ſacros ab ea parte illuſtrarunt, quae minime obſcura eſſe debuit, ſed et reliquum genus explicandum erat; quo etſi non ita ad vitae cultum adiuueris, vt Graecorum Romanorumque inſtitutis: multum tamen proficies in locis ſcriptorum ſacrorum et cognoſcendis, et perſpiciendis, quae, quamuis religionis cauſa non legas, intelligere tamen tua intereſt, ne te forte ignoratio earum rerum in errores capiat graues interdum et pernicioſos. Quid? quod grata mente ampleſtimur labores virorum doctorum, qui res antiquas aliarum gentium eruunt: ſed hae quid quaeſo ad illas? Immortalem igitur gratiam habemus viro iam ipſi immortali, quod ſacros libros, hac potiſſimum opera, illuſtratos et explicatos voluerit: duitque fortuna harum litterarum, vt magno conſenſu has partes ſibi relictas credant eruditi, et rem feliciter inſtitutam perpoliant. Quodſi a rerum deſcriptarum ambitu libro impoſitum eſſet nomen, rectius Archaeologia Orientis erat vocandus: ita non ſolum res Iudaeorum complectitur, ſed et Graecorum caeterorumque populorum explicat inſtituta; id quod et autor praefatus eſt, cum ait ſe velle finitimarum Hebraeis, et conſanguinitate iunctarum gentium mores illuſtrare, ne, quantum ſacras litteras illuſtrent, obſcurae ſint. Nec inde orditur vnde plurimi, ab eo ſcilicet tempore, a quo res Iſraelitarum peculiaris extitit; ſed ab incunabulis generis humani, ipſis originibus vel e Paradiſo petitis: de cuius ſitu diſputauit, ſimulque vocem explicuit, quae, vt vulgo exiſtimant, Perſica eſt, rectius vniuerſi prope Orientis habenda, vſu tamen apud Perſas in vulgus notiore; cuius rei ſi iuſtam notionem informaueris, de Paradiſo Adami rectius conſtabit Optimos quoſque fontes adiit autor, nihil omiſſum, quod vnquam ab eruditis hominibus in eam rem docte diſputatum eſt; ſimulque ſe ſcientia linguarum Orientis non leuiter imbutum probauit. Saepe, quaſi relicto alueo, in alias partes deuoluitur oratio, non minus iucundas, velut vbi agitur de lapidum cultu, de turre Babylo-

lonia, de Palaeſtina iure debellata, de lithoſtroto Pilati Ioh. XIX, 13. de Hieroſolymis e usque partibus etc. Non ſuperuacaneum fuit docere in deſcriptione cultus ararum et columnarum, rudem vetuſtatem talia commenta pro ſignis deorum et Heroum coluiſſe, arte ſculpendi nondum adinuenta. Sic Cybele, quae Peſſinunte Romam aſportata eſt, lapis oblongus fuit: Liuius ſacrum lapidem vocat. Id ſi non ſatis tenemus, in errores facile incidimus, quod autori accidit: putat enim, ob inſignem lapidum honorem, Muhamedem dixiſſe: antea ſe a nullo lapide ſalutatum, Meccam venientem, at vix interpretem Dei factum, cum nullum lapidem arboremue praetereat, quin acclamet: ſalue Dei interpres. Vbi ad habitationem in ſpeluncis venit autor, nihil non congeſſit, quod ad earum vſum pertineret, et totam rem ſedulo illuſtrauit. Troglodytae prae caeteris inſignes viſi, gentes, quae in eiusmodi receptacula ſe abdiderunt. Cum extra Arabiam, Syriam, finitimosque tractus, non euagetur, omnibus librorum ſacrorum locis lumen afferre tentat quibus eorum mentio fit: non tamen offeciſſet, ſi, qui in Diodoro occurrunt Aegyptii et Aethiopii ſpeluncarum habitatores, adducti eſſent, vbi in Nomadum numero habentur, eorumque vitae genus deſcribitur. Trogloditae ſenſim ſenſimque ad ſpeluncas tabernacula poſuerunt, mox inde domos ſtructuri. Id cauſam eſſe ratus eſt autor, cur, cum proprie, id eſt origine Arabica, *Ir*, ſpeluncam ſignificet, ſimul vrbem indicet. Inde Geneſ IV, 17. vbi Cain fertur vrbem condidiſſe, Hanoch filio cognominem, ex Autoris ſententia nihil aliud, quam primus ſibi ſuisque domicilium in ſpelunca paraſſe traditur, nec de vera vrbe cogitandum eſſe. At quomodo apte haec cohaereant cum verbo *banah*, non apparet; nec potuit illud in ea re ſatis commode adhiberi. Id longe aliter habet, ſi cum Perizonio in Originibus Babylonicis ſedes fixas intelligas, quas Cain idoneo loco ſibi ſuisque collocaſſe dicatur, perpetui erroris taedio, qualiscumque demum ille locus fuerit,

Ara-

Arabic verbi origine non ſatis valida ad probandum. Nec ipſe adſtipulatur Michaeli, cui Enakim Troglodytae ſunt, quod ea vox apud Arabes tales indicare poſſe videatur, qui ſe murium agreſtium ritu, in cauernas immittant. Cum multi paſſim ſint profani homines debellationem Palaeſtinae cauillati, tum Anglicani, tum e noſtris Edelmannus, faciendum duxit Autor, vt protereret has calumnias, atque contunderet. In eam cauſam deductus eſt, quod Michaelem ſecutus Iſraelitas Nomades fuiſſe cenſeat, cuius tamen argumenta minus probat, ſuorum robore vnice confiſus; quae an ſe magis probatura ſint eruditis non ſatis ſcimus. Omnis eius rei diſceptatio eo fere redit, vt primo contendat, Iſraelitas nihil feciſſe, quod non et aliae gentes feciſſent, in eadem neceſſitate conſtitutae: deinde illos contra ius quod natura omnes docuit hic non egiſſe; nihil enim niſi vim et iniurias iuiſſe repreſſum: neque vllum enim populum a terrarum orbe prohibendum, et eiectis nouas ſedes quaerendas eſſe, ſin minus a volentibus concedantur, vel ab inuitis extorquendas. Iſraelitis fas piumque fuiſſe nouas ſedes quaerere in Palaeſtinae ſolo, inde oriundis: haec enim patria, huius, maiorum erroribus quaſi vindicatae, iure ad poſteros delatam poſſeſſionem. Nec denique tam cruentam fuiſſe illam vindicationem, nec mitiori conſilio inſtituendam, vt tum erant tempora; nec tot mortales pecudum more in lanienam datos, vt vulgo exiſtiment; nec dubitandum eſſe, quin maxima pars inquilinorum fuga ſibi conſuluerit, eſſe enim eius rei veſtigia in Procopio etc. Sed haec omnia Iſraelitis conſultantibus in mentem veniſſe, et iure pro eorum cauſſa allegari poſſe, non adducimur vt credamus. Nam cum in Aegypto degerent, multum aberant a vago illo hominum cultu, quippe certis ſedibus adſcripti, atque etiam in vaſtiſſima illa Arabiae ſolitudine: nam ſtatiua habuere, et ſignum profectionis ab ipſo Deo datum eſt, in ordines diſtinctis, varioque magiſtratus genere, temperatis: ideo vere populus habendi. Caeterum, ſi quis

haec

haec ductu et imperio diuino facta eſſe neget, nihil eſt quod contra eum diſputemus, nullam fidem ſacris litteris habentem; hoc enim conceſſa, res aperta eſt, nec in dubitationem cadit, iure egiſſe Iſraelitas. At ne ignoraremus vnde orta ſit haec diſputatio, de iis mortalibus egit auctor qui ſub tentoriis degunt, graeco nomine ſcenitis appellatis. Quem vitae cultum fuſe expoſuit, et ſimul oſtendit, poſſe homines non incommode eiusmodi habitaculis vti, nec rem plane fieri non poſſe. At quorſum haec omnia in medium prolata ſunt ab homine erudito? quis enim rem, de qua certo conſtat, et quam apparet fieri poſſe, multis argumentis demonſtret? Iuuat tamen omnes ſcrupulos euelli, cum, ſi noſtro vitae habitu aliorum cultum metiamur, aliqua dubitatio oriri poſſit. Deinceps A. ad Hycſos Manethonis deflexit, quos e Babylonia arceſſit, quorum tamen origo non tam ex aliqua regione, quam ab ingenio Manethonis petenda videtur Pag. 75. laudatur locus e Pſalmo LXVIII. Fatetur autor eſſe hunc difficillimum omnium Pſalmorum, nec ſibi conſtare interpretem, qui, diſſimulata eius difficultate, vniuerſum ſe intelligere profeſſus ſit; nec ipſum Michaelem, quae viri docti modeſtia eſt, aliud prae ſe ferre. Verſum 23 omnium obſcuriſſimum eſſe; nec ſibi liquere, quis locus ſit nomini Baſan, quod ipſi alienum videatur pro Cuſchan forte illatum. Sequantur, licet, antiquae verſiones alteram lectionem; interpreti enim Baſan facile notior fuit quam Cuſchan, haec tamen exquiſitior eſt, et verſu 32 niti videtur. Quicquid de tentoriis conſtat, quibus in oriente vſi ſunt et vtuntur homines, ſcilicet de eorum forma, partibus, ſtructura, et materia, magna cura, et luculenter expoſuit autor. Pari induſtria de tabernaculis egit, ab his, quamquam inter ſe confunduntur, diuerſis, nec ſatis vſu loquentium diſtinctis: vtrumque enim graeco nomine σκηνή ſignificatur, at Latinis contigit diſcernere; nec autor nobis ſatis cauiſſe ab hoc vitio videtur, in inſtrumento peregrinantium tabernacula ponens; in tentoria enim deuertebant,

 vbi

vbi ſubſiſtendum aut pernoctandum eſſet: interim hic in vniuerſum nihil certi definire poſſumus. De turre Babylonia nouo more tradidit autor, abiectis aliorum ſententiis; non enim ipſi ſatisfecerunt quae de fine operis produntur: exiſtimat, verbum Schem numen aliquod indicare, et verba quae explicamus, ne diſpergamur, ſic vertit: ne per vniuerſum terrarum orbem inundemur: quare ſibi perſuaſit, priſcos illos homines, in faſtigio turrium ſignum cuiusdam numinis collocaturos fuiſſe, quod ſua ſede prohiberet vndas, ratos, ſibi hic praeſidium fore contra tale diluuium, quale pars paulo ante viderat, eo tutius, quo maior maieſtas loci et religio praeſentia numinis efficeretur. Quae opinio ne argumentis deſtitueretur, varia congeſſit e veterum ſcriptis, quibus aut ſpecioſam, aut omnino probabilem redderet: at in eo laborauit vir doctus, quod dicatur: per omnem terram: cuius rei cauſam in preſſa Moſis oratione quaeſiuit eo ſenſu, vt ſi forte terra denuo inundaretur, ne illis, tanta aquarum mole hauſtis, pereundum foret; quae inconcinna nobis videtur atque obſcura explicatio. Primum enim non eſt, vbi Schem, niſi nomen diuinum appoſitum ſit, Deum ſignificet; deinde ea verba, ne diſpergamur per omnem terram, tam arcte copulata ſunt, vt niſi loco aperte vim afferas, neutrum ab altero diuellere poſſis. At quod omnem nodum ſoluat in fine poſitum eſt: ita hinc diſpulit Deus in omnes mundi plagas: vbi ab Hebraeo adhibitum eſt idem illud verbum, cui autor inundandi ſenſum tribuit. De veterum turribus agenti, multa adhuc dicenda fuiſſent, quibus ſacrae litterae illuſtrandae erant, vt Matth. XXI, 33. Luc. XIV, 21. etc. Pag. 246 poſtquam de nocturnis vigilum ignibus egerat, qui in ſpeculis conſpiciuntur, ad illam diurnam et nocturnam ſpeciem deuenit, quae Iſraelitis per Arabiae ſolitudines preſto fuit: quam, an natura ſuapte vi, ſuoque halitu obtulerit ſpectantium oculis, vt quidam viri docti exiſtimant, diſquiſiuit; rationes Caluoerii et Lilienthalii, quibus illam diuina opera effectam eſſe euincunt, diſcuſſit,

Digitized by Google

cuſſit, nec ſatis firmas eſſe deprehendit; neminem tamen impietatis poſtulauit, qui hanc ſpeciem, quacunque cauſa ortam, dummodo praeſentiſſimi numinis teſtem, ſaluamque Moſis autoritatem exiſtimat: ipſe tamen pro re plane diuina habuit. Nec aliter poterit in mentem venire legentibus: qui enim primum incidit in ea loca, quibus ea res traditur, ſtatim de re quadam diuina cogitet neceſſe eſt. De vrbibus et pagis agenti non ſatis diſtincte, quibus haec inter ſe diſcernantur, proditum eſt. Quis enim credat, muros tantum vrbes a pagis diſtinxiſſe, nec potius ab hoſtium incurſionibus tutatos eſſe? Quid? quod maximae ciuitates apud veteres muris caruere, velut Spartana res ſemper, et Athenae vsque ad Themiſtoclis tempora: nec Niniuen, vaſtiſſimam vrbem, Ionae temporibus, vllis moenibus inſtructam fuiſſe, probabile eſt; nec Germani, niſi ſero, oppida fabrili opere cinxere. Omne igitur illud diſcrimen in magnitudine poſitum eſſe loci, vel in quibusdam ciuium inſtitutis, videtur. Si quis omnia cupit, quae de lithoſtroto vnquam dicta ſint, vel ſcripta, cognoſcere hic quod ſua ſcire intereſt inueniet. Res adeo perplexa viſa eſt quibusdam interpretibus, vt eius exitum inueniri poſſe deſperauerint; nec autor in rem magis dubiam incidit in omni hiſtoria Chriſti, nec exiſtimauit a quoquam verum ſitum huius loci, et exploratum, et certo definitum eſſe Pag. 321. Xyſtum fuiſſe putauit, illum cuius a Ioſepho mentio fit: at parum refert, vbi fuerit. Locus fuit vbi Procuratoris tribunal eſſet; et probabile eſt illud in amplo loco conſtitutum fuiſſe; qui enim multitudinem capere potuiſſet? nec quemquam vox Gabatha moretur, non enim locum praealtum fuiſſe indicat; cum nihil aliud ſit quam locus ſuperior, in quo magiſtratus ſellam poſuit et quod tribunal appellatur. Pag. 223. ſententiam Schulzii amplexus eſt Autor, qui palatium Herodis regis, in Sione monte ſitum, Praetorium Pilati fuiſſe exiſtimat: quae res non praeter conſuetudinem eſt magiſtratuum Romanorum; ſic enim Syracuſis re-

 giam

giam Hieronis occupauerant. Philo in legatione ad Caium, ait Pilatum in domo Herodis clypeos aureos ſuſpendi iuſſiſſe; cuius rei narratio per ſe ſpectata, nihil autori huc facere, at alio Philonis loco, quo id in Praetorio factum eſſe proditur res ſatis luculenter euinci viſa eſt. Sed omnis in autore dubitatio orta eſt ex narratione Philonis, qui nullas imagines in clypeis fuiſſe refert, errore a multis aliis et a Scaligero refutato, ad Euſebii Chron. p. 338. Clypei, in quorum honorem ſuſpenſi ſunt, eorum imaginem expreſſam referebant, nec tamquam ſigna alieni imperii, vt apud nos fit, loco edito affixi ſunt: quae enim cauſa fuiſſet Iudaeis illud deprecandi, cum ſatis ſe alieni iuris eſſe ſcirent? Vltimo loco de aedificiis Hebraeorum, deque eorum materia, actum eſt; quae diſputatio multis ſacrorum librorum locis lumen affert, nec in Oriente homines multum a priſco aedificandi more receſſerunt, quare ab eorum conſuetudine antiquas illas res illuſtrauit. At cum arduum ſit de architectura veterum tradere, paſſim hic errauit autor: caeterum magna cura, ſingula quae huc facerent conquiſiuit.

PLVTARCHVS περὶ Δυσωπίας καὶ περὶ τύχης, *Graece et Latine nunc primum ſeparatim prodiit, cum Animaduerſionibus Reiskii, Salmaſii, et Xylandri. Varias lectiones duorum Codd. MSS. Moſquenſium, et ſuas animaduerſiones adiecit* CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI, *Vniuerſitatis Caeſareae Moſquenſis Profeſſor. Accedunt Plutarchi fragmenta quaedam.*

Moſquae 1777. 7 pll. in 12.

Item:

Item:

PLVTARCHI LIBELLVS DE SVPERSTITIONE,

et Demoſthenis oratio funebris in laudem Athenienſium, qui fortiter pro patria pugnando caeſi ſunt ad Chaeroneam. Graece et Latine, cum integris notis Reiskii, Sallieri, Taylori, Wolfii, et Xylandri. Denuo recenſuit, varias lectiones trium Codd. MSS. et ſuas animaduerſiones adiecit CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI, literarum Humaniorum in Vniuerſitate Caeſarea Moſquenſi Profeſſor Publicus Ordinarius.

Moſquae in typogr. acad. 1778. 9 pll. in 12.

Ex quo tempore Moſquenſis Vniuerſitas nacta eſt Matthaeum, virum doctum, acrem, et induſtrium, ornandique muneri ſuo indefeſſa cura ac ſtudio inuigilantem, e bibliothecis, quae adhuc latuerant, ſingulis propemodum prodeunt annis, non tantum in iuuentutis Moſquenſis vſum, verum etiam ad multorum aliorum, qui litteris delectantur, emolumentum. Nec tamen idem eſt, aut eſſe poteſt, celeritatis modus et diligentiae; quam ſi quisquam ſcriptor alius, Plutarchus certe ſummam deſiderat. Captus autem Plutarcheae orationis ſuauitate, quam olim, cum Lipſiae doctores Academiae ſpecimina quaedam eius interpretantes audiret, cognouiſſet, de ſingulis quibusdam eius libellis, ex eorum, qui moralibus adnumerantur, genere, bene mereri decreuit. Cumque ſibi videret virium et ingenii periculum faciendum eſſe in eo ſcripto, quod nondum eſſet ab alio ſeparatim editum, et de libello de diſcrimine amici et adulatoris edendo cogitaret, praeuenit eum ſubito Cl. Krigelii in eodem explicando labor, et a conſilio reuocauit. Qua-

pro-

Digitized by Google

propter ad eos, qui non minori quam caeteri arte ſcripti eſſent, qui ſingularem viri in attendendo ad ingenia et facta moresque hominum ſollertiam demonſtrarent, qui ſenſus graues et eximios lectores ſuſcipere et alere docerent, hisque omnibus de cauſſis ſumma cum vtilitate legerentur, ſua cura expoliendos animum adiecit. Subſidiis quibusdam criticis fuit inſtructus a collatione duorum Codicum, in membranis Saeculo decimo et vno, duodecimo que ſcriptorum, quam olim rogatu Reiskii, Plutarchi Moralia edituri, inſtituerat. Seruantur Moſquae in bibliotheca Sanctiſſimae Synodi eccleſiae Orthodoxae Graeco Roſſicae. Fuit ei ad manus editio Francfurtana Xylandri, cum variarum lectionum ei adiectarum notatione, e qua graecam orationem Plutarchi cum latina verſione reddidit. Aldi quidem editione carebat; at Baſileenſem anni 1542. diligenter denuo ſe comparaſſe memorat. Reiskii animaduerſiones integras, ex eius ſecundo volumine animaduerſionum ad Graecos Auctores, iisque admixtas Salmaſianas, de quibus ibidem is docuit p. 125. ſq., hic iterauit, cuius quidem doctrina, ingenio, et diligentia, vehementer ſe adiutum fuiſſe fatetur. Inter has tamen copias, Plutarchi ſalus admodum periclitabatur. Praeſidia iſta nondum erant idonea, ad vulnera ei ab librariis inflicta perſananda. Codicum enim auxilium, ad quod omnes Plutarchi ſoſpitatores vnice adſpirant et reſpiciunt, parum firmum habuit. De quorum valore et indole ita relatum legimus in praefatione: „In vtroque ſunt errores haud pauci, ſaepiusque, vt ille ait, θαύματα ἐ ῥήματα „adferunt. Ibi tamen, vbi cum editis conſentiunt, vulgatae „lectioni pondus quoddam addunt. Non nunquam tamen, „ſed in hoc libello rarius, lectiones probabiliores ſuppeditant. „Animaduerſionibus et emendationibus Reiskii multo ſunt „inferiores.“ Quapropter tanto liberius coniecturis ſibi vtendum, et excuſatius ſe peccaturum putauit, confiſus indicaſſe ſuſpecta loca, et praeeundo tentandoque, de commoda emendatione lectores admonuiſſe. Senſit ergo demum, quam

Digitized by Google

quam periculoſum opus eſſet Plutarchi moralia edere, quam faſtidioſi lectores, quibus, modo tarditatem, modo temeritatem accuſantibus, nec cauendo, nec audendo facile ſatisfiat. Quodſi, vt eſt, haec coniecturalis ratio, ſiue ſponte, ſiue Reiskii admiratione et aemulatione ſuſcepta, anceps et lubrica videbatur, ſupererat alia, non parum ad Plutarchi praeſtantiam vindicandam, et ad lectores erudiendos accommodata. Operoſum fortaſſe commentarium ſcribere nolebat; ſed indaganda tamen erant et indicanda, quae paſſim eſſent citata et prolata veterum ſcriptorum loca et teſtimonia, vt, vtrum ex editis, an ex ineditis eſſent libris petita, conſtaret; placita et decreta ex philoſophorum veterum ſententiis explicanda; fontes ſignificationum verborum et formularum, in Poetarum maxime veterum Platoniſque et Thucydidis libris demonſtrandi, vt nihil dicamus de iis, quae ex Chronologia, et Hiſtoria, et Geographia vetere erant illuſtranda. De caeteris parum vel nihil adnotatum, formarum autem dicendi, verborumque poteſtates, ex recentioribus fere ſcriptoribus petitis exemplis declarantur.

In emendata lectione cetera fere niti et fulciri omnia fatemur; neque tamen probas lectiones ſubito corrigendi impetu ſollicitandas eſſe cenſemus. Ad quod genus referenda quaedam, quae ſubiecimus, viſa ſunt.

Περ. Δυσωπ. §. 7. ὡς ἔλεγε Βροῦτος, οὐ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς τὴν ὥραν διατεθεῖσθαι τὸν πρὸς μηδὲν ἀρνούμενον· Sana ſunt. Quomodo ergo ſuadet Vir doctus, legendum aut τῷ δοκεῖν αὐτῷ κακῶς omiſſo οὐ, aut ὥστ' οὐ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς? Quae certe multo magis, ſi quid videmus, implicant et obſcurant verborum ſententiam.

Ibid. §. 9 extr. ὥσπερ βαφὴν τὴν φυλάττουσαν ἀπιστίαν μαλαχθεῖσαν αἰσχύνῃ προϊέμενος Satis patere arbitramur, vel e verbo μαλαχθεῖσαν, non eſſe repudiandum vocabulum βαφὴν, pro quo Moſq. 1. βαφῇ non male prorſus, neque temere arripiendum λαβὴν aut ἀφὴν, quod vtrumque cum

 ver-

verbo *μαλάττεσθαι* conſociari nequit: *βαφὴ* ergo eſt tinctura, color, quem pannus aqua maceratus et madefactus, dilui et diffluere ſinit. Sic autem vertimus: *ſi cuſtodricem incredulitatem tanquam colorem maceratum dilabi permiſeris.* Moſquenſis cod. lectionem *ὥσπερ βαφῇ — μαλαχθεῖσαν* ſic intelligamus: *tanquam intingendo — maceratam.*

Ibid. §. 25. *καὶ πόλεις πόλεσι καὶ φίλοι φίλοις διαφερόμενοι τἀλάχιστα δρῶσί τε καὶ πάσχουσιν.* Non ita nouum *ἐλάχιστα*, quam etiam lectionem codd ſeruant, pro *extrema, ignominioſa, deterrima*, recentioribus praeſertim, qualis Plutarchus eſt, ſcriptoribus, vt eo eiecto legendum ſit *τὰ ἔσχατα*, vel *τὰ κάκιστα*, vel *τὰ αἴσχιστα*, quae quidem gloſſematum magis loco ſunt. Alexandrini Interpretes Iobi 30, 1. *νυνὶ δὲ κατεγέλασάν μου ἐλάχιστοι nunc me rident viliſſimi quique et contemtiſſimi.* Paulus 1 Cor. 15, 9. *ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων.* An fortaſſe non aeque de rebus ac de hominibus dicatur? At cf. Matth. 2, 6. et ibi Keuchenius in Annotatis p. 6.

Libro *περὶ Τύχης* §. 2. extr. *ὥσπερ ὑπὸ πνεύματος πολλοῦ.* Clariſſ. Editori illud *πολλοῦ* adhuc, vt languidum et frigidum vocabulum diſplicet. Forte, ait, *σφοδροῦ, λάβρου*, aut aliud quid ſimile. At non eſt opus. De vento et procella *πολύς, πολὺς ἄγαν*, frequens admodum apud Graecos, ita vt ventus *πολὺς πνεῖν*, imber et fluuius *πολὺς ῥεῖν* dicatur. Omninoque *πολὺς* in quibusdam formis cum magna vi et efficacia ponitur: vt *πολλὰς χεῖρας τανύειν* apud Callimachum, *πολλοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς περισκοπεῖν*, vel *βλέπειν*, apud Heliodorum et Ariſtaenetum. Vid. Erneſti ad Callimach H. in Dian. 27. *πολλὴ ἀφροδίτη, acris, vehemens.* Valkenar. ad Eurip. Hippol. p. 214. *πολλὴ χάλαζα* Philo 1. de vita Moſ. p. 620. Neque vero *λάβρος* ſemper de nimio vento; de anhelitu autem ex anxietate vel cupiditate altius ducto, eſt apud

apud Longum Paſtoral. lib. I. extr. p. 28. ed. Moll. καὶ αὐτὸν τὸ πνεῦμα ποτὲ μὲν λαβρὸν ἐξέπνει καθάπερ τινὸς διώκοντος αὐτόν. At Ariſtaenet. Ep. II, 7. dixit idem his verbis: θερμῷ δὲ καὶ πολλῷ τῷ τοῦ πνεύματος ῥεύματι.

Περὶ Δεισιδαιμ. §. 3. κατεπείγει καὶ συντείνει τὸν λογισμόν. De verbo συντείνειν, an verum ſit, dubitandum non erat. Eſt autem *incitare, comitare.* Philo de vit. Moſ. III. p. 678. ὅσα συντείνει πρὸς εὐσέβειαν. Neutraliter ſignificat *feſtinare.* Idem de vit. Moſ. I, p. 628. συντείνων ἠπείγετο. Item συνεκτείνειν, idem de Legat ad Cai. p 1024. Saepe permutari a librariis cum συντέμνειν docet Fullerus Miſc. Sacr. III, 9.

Ibid. §. 6. πηλώσεις, καταβορβορώσεις. Duo haec vocabula gradu differunt, ita vt per prius minus, per alterum maius denotetur. Ergo nihil ταυτολογικὸν habent. Nec admittenda eſt Viri Cl. coniectura πηρώσεις.

Ibid. ad §. 5. in nota p. 19. οὓς καὶ πάλλους καλοῦσιν. Legendum eſt οὓς κ. γάλλους κ.

Ibid. §. 11. λιθοξόοις καὶ κηροπλάσταις. Nobis videbatur κοροπλάσταις legendum, vel κοροπλάθαις, e Thomae Mag. et Moeridis praeceptis.

Ibid. §. 15. αὐτικα τὸ ξίφος μεταβαλεῖν, καὶ τὼ χεῖρε συνδῆσαι παρασχεῖν. Hic μεταβαλεῖν τὸ ξίφος ferri poſſe negat. Enimuero, ſi ea notione accipiatur, qua §. 8. eſt, δεσπότην μεταβάλλειν, ferri poſſe videtur.

Nam quemadmodum hoc eſt *mutare dominum*, ſiue a domino parum aequo ad leniorem ſe conferre, ſic illud, *enſem mutare cum vinculis* i. loco enſis pati manus conſtringi.

Demoſthenes cum Plutarcho vt iungeretur, caſus effecit. Nec tamen is ſolus, ſed etiam quia huius quoque orationis inter MSS. Moſquenſes copia erat. Cui illuſtrandae cum omnis apparatus Reiskianus adhibitus ſit, erant quoque lectores de ſubſidiis criticis, quae is contineret, ex eius in Demoſthenem praefatione, vel breuiter edocendi. Quod neglectum, difficultatem iſtas notas intelligendi parit, aut neceſſitatem maioris editionis habendae. In qua oratione §. 12. cum legatur *καὶ γονεῖς οἱ τούτων περίβλεπτοι γηραιτεροφηθέντες*, nec ea verba ſollicitarint ſuperiores interpretes, miramur, ſcripſiſſe Cl. editorem, *γηροτεροφηθήσονται Moſq. quod retinui.* Immemorem eum fuiſſe oportet eorum, quae obſeruaſſent Bachius et Erneſtius ad Xenoph. Apol. Socr. ſ. 26. Fiſcherus Animaduerſ. ad Gramm. Vuell. p. 344. Hemſterhuſius ad Thomam Mag. p 852. Pierſonus ad Moerid. p. 367. nempe, paſſiue tempus hoc medium apud Atticos vſurpari. Quod autem in Mſto, reperitur tribuendum librariis. Nec ad atticam formam ſatis attentus, ad Plutarchum *περ. Δεισιδαιμ. ξ. τὴν βοηθειν* raro in Lexicis occurrere monuit. Cur non potius apud ſcriptores, niſi Atticos: vid. autem Koenius ad Gregorii libellum de dialectis p. 21.

IO. IAC. HOTTINGERI, PROF. ELOQV. IN Acad. Turicenſi, de nonnullorum in oppugnanda religione ineptiis ac malis artibus, maxime in Francogalli cuiusdam libro, qui Syſtematis Naturae nomine fertur, conſpicuis, Libri duo.

Lugd. Bat. 1774. pl. 8. in 8.

Cum fere omnium temporum homines Philoſophiae crimini darent, quod infeſta eſſet religioni, eique maxime periculoſa; atque illa quo quem magis imbutum crederent, eo alieniori ab hac animo exiſtimarent: eadem, ſi nec no-

noſtra aetate deſiit ſimili inuidia laborare non magnopere mirandum fuit. Praeſertim quod in tanta illuuie ſcriptorum Gallicorum, pars, etſi rectius poterat religionem Chriſtianam Philoſophia ſuſtentare ac confirmare, et quam bene alteri cum altera conueniret demonſtrare; tamen, vt plus aliis ſapere videretur, maluit vana ingenii oſtentatione, commentis ſuis Philoſophiae ſpeciem praetexendo, inanem aliquam glorioſam aucupari. Igitur autor, tum quod vanitatem iſtorum hominum perſpexiſſet, et ſatis ab iis copiis inſtructus eſſet, quibus omnis Philoſophia illuſtratur; tum quod religioni bene cuperet, eamque, quantum in ſe eſſet, defenderet atque ornaret, et ſimul Philoſophiam ab infamia liberaret: conatus eſt eorum petulantiae ſeſe opponere et maleuolorum impetum excipere. Ne tamen aduerſus ſingulos periclitandum eſſet, et quot hoſtes tot proelia ineunda, debellare ſibi viſus eſt, ſi librum illum aggrederetur, quem Syſtema Naturae vocant, in hoc genere maxime inſignem, quod corraſis omnium aetatum erroribus, aſſertis ineptiſſimis quibusque, (velut rerum omnium neceſſitate, aeternitate mundi, compoſita animi noſtri natura, de iure ſibi ipſi mortem conſciſcendi,) eaque non demonſtrando ſed decernendo, non perſuadendo ſed iubendo, inſequentium ſtultitiae paene omnem locum ademit, certe campum, vbi euagari eorum libido poſſet, circumſcripſit. Cui rei cum intentus eſſet Hottingerus V. C. quod iam alii ante ſe, vtili opera, veſtigia Galli preſſe ſecuti, erroreseius impugnaſſent, defungi ſibi viſus eſt, ſi, non niſi quibusdam locis decerptis, oſtenderet, quam incondita eſſent et inepta, quae autor cum ſodalibus in religionem conieciſſent. Primus igitur error quem refutauit, arx reliquorum, de natura corporum fuit, eorumque motu; hunc enim perhibuit illa neceſſario comprehendi: quae ſententia, ſublato Deo, omnium rerum neceſſitatem introduxit. Nam cum praeter hanc rerum vniuerſitatem, quicquam neque eſſe poſſit, neque animo concipi, ſequi inde, vt motus ad ipſam vim et naturam corporum

 per-

pertineat, eiusque rei rationem in extenſione poſitam eſſe, quae ſine grauitate nulla eſſe poſſit, adeoque ex hoc omnem motum oriri; quae tamen omnia precario ſumta, neque idoneis argumentis ſuffulta, miram in homine leuitatem arguunt: motum enim non extenſione corporum inuoluimus ſed illius vim huius magnitudine metimur. Qui enim fit, vt omnia corpora quaſi naturali quodam niſu acta, deorſum ferantur, cum quaqua verſus ſatis pateat ſpatii, quo prono impetu, ſi qua vagandi libido ſit, excurrere poſſint: neque eſt in hac rerum natura, quod, niſi ad te ipſum, ſiue hominis ſtatum referas, vel ſuperum vel inferum dicere poſſis. Neceſſario igitur corpora, in aliquam partem acta, vi et impulſu cuiusdam cauſae mouentur, ab ipſis diverſae: quam vt iis tribuamus, efficit iudicium illud naturae ipſius, quo, omnium rerum rationem eſſe, animis noſtris infixum eſt, adeo firmum et neceſſarium, vt ſublato eo, omnis philoſophandi ratio e medio ſublata eſſe videatur. Quare concedamus, oportet, eſſe aliquam naturam, abhorrentem a craſſitudine corporum, motricem omnium rerum; quam a Deo diuerſam fingere ineptum foret. Aduerſus haec ſi qua adferri ſolent, ea optime confutata ſunt; velut, non eſſe de Deo laborandum, poſſe haec rectius intelligi ex ordine quo abſolutiſſimo omnia inter ſe conſpirent: vbi, ſublato Deo, ſimul et illum tolli oſtenditur; neque aliter poſſe dubia ſolui, quae, ſi quis in ſententia de Deo nutet, innumera oriuntur. Corpora, quia illorum ortum animo informare non poſſumus, nec qua fabrica ſingula ab architecto huius mundi effecta ſint, concipere; ne de cauſa eorum laboraret Gallus, aeterna eſſe maluit, quam rectam rationem ſequi: nec ſatis habuit ipſe haec ſomnia prodere, ſed et alios in ſuas partes traxit. Qui enim ſcriptores, in ſacras litteras commentati, creandi verbum etiam ornandi et componendi ſenſu acceperunt, hos, imperatoria calliditate complexus, eorumque fidem obteſtatus, et tamquam optimos commilitones prenſans, ad ſigna ſua duxit. Sed

vt,

vt, etiam Hottingero non improbante, ברא ſignificationem habeat rem ornandi ac componendi, qui potuerit hoc arripere non videmus. Quod Deo remoto, aeternaque corporum natura, aduerſus illius ſententiam, illa vis animi noſtri, qua ſimpliciſſima eſt, neque vllis partibus conflata, ſtare videbatur, quanam arte callidius illam eluctari potuit, quam ſi totam conficeret, et animum omnino tolleret? Quare, qua noſtri parte homines ſumus et caeteris animalibus praeſtamus, eam vt deprimeret et nobis auelleret, nihil niſi quandam corporis facultatem eſſe voluit, partium inter ſe reſpectu effectam. Quibus Hottingerus dum ita aduerſatus eſt, vt oſtenderet, ſe Leibnitiana placita de monadibus, primis corporum elementis, ſequi, optime ſimplicem animi naturam euicit: falſa enim hac de monadibus ſententia, neceſſario animum noſtrum extenſum eſſe, neque adeo vnitatem in numeris ita ſimplicem relinqui, quin ipſa quoque numerus ſit. Caeterum de ſenſu corporum deliria ita poſſim ſunt exploſa, vt nullius iudicii, velut aegri ſomnia, appareant eodem ratione qua ſimplicem animorum naturam euicit, et eorum libertas aſſerta eſt, neque ad eos vindicandos aliud telum ſtringendum fuit. Haec de priore libro.

Sequitur alter, ea complexus, quae autor, quocum ſibi certamen eſſe voluit Hottingerus, de natura Dei prodidit; primumque de origine opinionis mortalium, eſſe aliquam praeſtantiſſimae mentis naturam, Dei ſeu deorum nomine inſignem, vel vt nos loquimur, de origine cognitionis, quam genus humanum habet de veritate et natura Dei. In qua Galli diſputatione, illud quod a veterum quibusdam decantatum accepimus: „primus in orbe Deos fecit timor,“ vtramque paginam facit; qui tamen error ita eſt excuſſus et denudatus, vt eius temeritas ipſa luce clarior facta ſit. Quod attinet ad ipſam naturam Dei, ſic praeclarus Syſtematis Naturae autor: „quaecunque de Deo praecipiuntur ita comparata ſunt, vt partim ab eo, quod et hominum eſt, vel auellas vel longiſſime remoueas; partim ea quae vtrisque communia

munia ſunt, intelligentiam, ſapientiam, benignitatem et iuſtitiam, illi quantum potes maxime tribuas; hoc Deum hominem effici, illo omnem eius notionem confundi ac perverti. Quod enim, cum ſit, nullis ſit limitibus circumſcriptum, illud neque eſſe, poſſe neque animo concipi. Ad haec Hottingerus perquam appoſite: illos plane ignorare, qualem infiniti notionem informemus, quibus ea res moleſta ſit, eos enim non videre, negantem rem infinitam eſſe poſſe et abſolutam, nihil aliud dicere, quam non poſſe fieri, quin res ita comparata ſit, vt ad eius vim nihil accedere poſſit, neque ipſa maior meliorue euadere. At ſi contendant, nos rem infinitam mente complecti non poſſe, quia hoc nihil ad eam rem, morem ſe gerere hominibus: multa enim eſſe, quae, quod eſſent, nemo dubitet, etiamſi, qualia eſſent, ignoret. Ad alterum vero quod attineat, quo Deo, detracta diuinitate, humanam naturam induamus, ſi, quae et hominum ſint, huic quoque attribuamus, velut praedicata eius benignitate et intelligentia: merito ſe ridere obtrectatorem, eumque in tironum conuenticula ablegare. Periculum enim eſſe, ne, ignorato diſcrimine, quod inter genus eſt eiusque partes, praeclarus ille rerum cenſor, homines capite diminutos in claſſem pecudum deprimat, aut vice verſa, has libera capita eſſe iubeat, vtrisque enim multa inter ſe eſſe communia. Sic Gallum quoque de benignitate Dei ambigere, quam eius immenſam eſſe contendimus, ſic de iuſtitia, ſic de lenitate: ita vt plane appareat, omnes in homine notiones eſſe confuſas ac perturbatas; neque totius fabulae alium finem aut exitum inueniri poſſe. Nos, quia inter academicos libellos mira paucitas eſt philoſophicorum, imprimis ſi doctos eos atque elegantes requiras, nec rudi ſermone confectos, hanc ſcriptiunculam commendamus litterarum et religionis amantibus; et diſcentibus ſpondemus, illos non exiguos fructus ex eius lectione percepturos eſſe.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXXV.

GASPARIS ALOYSII ODERICI, PATRIC. GEnuenſis, Academici Etruſci, de marmorea didaſcalia in vrbe reperta, Epiſtola ad Caietanum Marinium, Tabular. Secret. Vatic. praefectum.

Romae, Io. Generoſus Salomonius publica excudebat facultate, 1777. pl. 7. in 8.

Inter antiqua Graecorum monumenta, quae ad noſtram aetatem admodum pauca, per hominum negligentiam, et temporis iniuriam, ad noſtram aetatem venerunt, referenda ſunt ea, quibus actae commiſſaeque a Comicis et Tragicis fabulae recenſebantur. Fuerunt enim, qui tempus, quo fabulas ſuas Comici Tragicique docuiſſent ſiue dediſſent, et quo Archonte, quaue anni tempeſtate ſingula quaeque dramata acta fuiſſent, in litteras diligenter referrent. Ariſto-

teles ipſe, itemque diſcipulus eius Dicaearchus, Callimachus, cum aliis quibusdam, huic argumento tractando operam dediſſe perhibentur, vt docuit Fabricius B. G. Lib. II. c. 19. Horum nihil amplius exſtat, praeter ea quae in libris ſcriptis et editis antiquorum Poetarum vnicuique fabulae praefiguntur ad eius notitiam pertinentia, quae διδασκαλίαι dicuntur quia περὶ διδασκαλων, ſiue de rebus ad fabularum ſcriptores pertinenbus, tradunt.

Sed illa quoque monumenta perierunt, quae in marmor inciſa referebant veterum fabularum tempora, auctores, victorias ſiue praemia, et cetera memorabilia, quas marmoreas didaſcalias vocare licet E quo genere eſt, quam Cl. Oderieius exiguo hoc, ſed lectu digno libello, explicare aggreſſus, luculentis obſeruationibus inſtruxit. Poſſeſſor eius eſt is, ad quem epiſtola ſcripta fuit, Cai. Marinius. Conſtat e tenui fruſto graecae inſcriptionis, Maffeiorum in aedibus Romae reperto. Alius tamen quoque mentio fit, quam ad calcem *Sylloges* Odericianae Camaldulenſes monachi ediderunt, quae non ad athletas, vt eorum interpretes cenſuerunt, ſed ad Comoedos ſpectare, et alteri ita prorſus ſimilis eſſe dicitur, vt non pro diuerſis aut duobus, ſed pro vno vtrumque monumentum haberi debeat.

Iam vero explicationem ipſam vtriusque, vel ſi mauis vnius fragmenti, quo ſtrictiorem et expeditiorem haberemus, placuit praemittere quaedam vniuerſa, ad hiſtoriam fabularum recte intelligendam ſcitu neceſſaria. Igitur de Tragoedorum et Comicorum certaminibus dicere exorſus, quo primum tempore inſtituta, quibus anni diebus, quibusue legibus acta, quod victori praemium propoſitum fuiſſet, quaeſiuit. Neque tamen omnia quae dici poſſint, aut quae a Caſaubono, Seldeno, Pridoſio, Petito, Meurſio, Corſino, Bentleio, et aliis, quos memorat ad Demoſth. c. Mid.

Tay-

Taylorus p. 264. quos tamen nec omnes adhibuiſſe videtur, dicta fuiſſent, complexus eſt, ſed praecipua rerum capita perſtringens, ea tantum, quae vel neceſſaria, vel non nimis aliena viſa fuiſſent, ſubiecit.

Enimuero in ſingulis his, de origine, de tempore, de more, de praemiis committendarum fabularum, quaeſtiones non admodum quidem graues, nec tamen ſpernendas, ſcite magis acuteque motas, quam liquido compoſitas aut diſceptatas, arbitramur. A digreſſionibus quidem, ne quid forte perſpicuitati obeſſet, abſtinuiſſe videmus. At coniecturas audaciores, in Heſychianis inprimis quibusdam locis, vt ſententiae conceptae defendendae magis fauerent, factas, minus probamus. Quae demum auctoritas *Λίμναια*, feſtum Baccho ſacrum, pro *Λήναια* legere cogit? aut vnde iſtius vocis vſum obtinuiſſe apparet? In Limnis, in loco a paludibus exſiccatis appellato, acta Bacchi ſolemnia; nihilominus, vt eſt in Heſychii verbis, quae p. 34. tractantur, *λήναια* recte vocabantur. Audiamus Stephanum Byzantinum. *Λιμναία κώμη τῦ Ἄργυς· τὸ ἐθνικὸν Λιμναῖος.* Et mox voce *Λίμναι — καὶ ἕτερος τόπος τῆς Ἀττικῆς, Λίμναι καλύμενος, ἔνθα ὁ Διόνυσος ἐτιμᾶτο, καὶ οἱ Λιμναῖοι χοροστάδας ἦγον ἑορτάς.* In quibus vltima ſunt Callimachi, cuius nomen in illis, *καὶ οἱ,* latere ſuſpicatur Hemſterhuſius ad Callimachi fragmentum CCLXXX. p. 538. cui addendus eſt Valkenarius ad Euripid. Hippolyt. p. 187. Limnaeorum tamen nulla mentio, quamuis eorum aeque ac *ληναίων* commemorandorum opportunitas erat.

Vetus opinio ac ſententia eſt, *τὰ κατ᾽ ἀγρὺς Διονύσια* eadem eſſe ac *Λήναια*, ſiue minora Bacchi ſolemnia, Poſideone menſe celebrata, atque adeo auctumno: vid. praeter Caſaubonum ad Theophr. char. c. 3. Taylorum ad Demoſthenis Midianam p. n. 265. Fiſcherus in indice Theophraſteo

ſteo v. Διονύσια. Eam quoque pluribus tuetur in hoc libello Vir doctus. Ruhnkenius, in Auctario emendationum in Heſychium, quae altero volumine Albertinae editionis tenentur, diuerſa putat, quamquam non ſatis idoneo, vt videtur, argumento.

Eadem autem fuiſſe Lenaea et Antheſteria, quae etiam ἐπὶ Λίμναις dicta, de quibus, vt omnino Bacchi ſolemnibus, poſt Meurſium in Graecia Feriata et Athenis Atticis, ad Stephanum quaedam notat Berkelius p. 512. 516. a Ruhnkenio, loco iam dicto, extra omnem dubitationem poſitum eſſe demonſtratur. At acriter negat auctor huius epiſtolae, et menſem Antheſterionem ab Lenaeone diſcernit, quem pro eodem habendum eſſe pugnant qui alteri opinioni fauent. Nempe Antheſterion dictus ab Atticis menſis eſt, qui Lenaeon ab Ionibus vocaretur. Antheſteriorum partes ſiue generis formae quaedam ac ſpecies πιθοίγια, χόες, χύτροι, eaedem quae Lenaeorum. Et quamquam alicubi a Lenaeis diſtincta reperiuntur, veluti apud Alciphronem 2, 3. Aelian. H. A. 4, 43. Diogen. Laert. 3, 56. tamen, niſi hoc placet, praeter iſtas tres formas, quartam adhuc, Lenaea per eminentiam quandam dicta, fuiſſe; has igitur formas, ſiue dies ſingulos totius ſolemnitatis potuiſſe diſtingui vt partes a toto, ſalua ſententiae cauſſa, facile intelligitur. At menſium et temporis diſcrimen repugnat. Antheſteria enim ineunte vere, Lenaea autumno acta. Illa in vrbe, haec extra et quae ſunt reliqua, quae in vtramque partem diſputantur. Quaſi vero in his non de nomine magis, quam de re certetur, et Lenaeorum nomen, cum omnibus, quae in honorem Liberi ſeu Bacchi habeantur ſolemnitatibus, aeque ac Dionyſiorum nomen, de quo nemo dubitat, communicari non poſſit. Sane Lenaeorum nomen magis conuenire Ruralibus et autumnali tempori Virgilii quoque verſu Georg. II, 529, *Te libans Lenaee*

vo-

vocat — intelligere licet; neque tamen inde conficitur, illa voce ſolos ruſticos, non etiam vrbanos, ac quauis tempeſtate, homines in inuocando Baccho vſos fuiſſe.

Aliae in ceteris, quae auctorem attigiſſe memorauimus, capitibus, opiniones ſtruuntur, quas ponderaſſe vel cognouiſſe neminem poeniteat; nos vero illud quoque male habuit, quod negligentes ſaepe in exprimendis Graecis operas experti ſimus. Adeo non tantum in leuibus, ſed etiam in grauioribus aberratum eſſe vidimus. Mendoſe referuntur Petiti verba p. 22. ex eius ad Leges Atticas p. 46. et p. 117. nouae editionis, Commentario depromta: locus autem ſic legendus: *Eſt igitur mendum in his* ἐν Πειραιεῖ: *quare reſcribendum putamus* ὅταν ἡ πομπὴ ἡ τῷ Διονύσῳ ἦν Πειραιεῖ (non item ἐν Πειραιεῖ) καὶ οἱ κωμῳδοὶ etc. Et eam emendationem ad Demoſth. c. Mid. §. 3. p. 268. iam Taylorus repudiauit.

Ac iſta quidem fere de priori parte epiſtolae dicta ſunto. Nunc de altera, ad marmoris ipſius explicationem pertinente videamus. Singulis hic lineis quaedam obſeruantur, quae huius lapidis litterarii verba recte legere et intelligere, lacunasque detriti et truncati fruſti ſupplere doceant. Ad Comoedos ſpectare frequens Comoediarum, etiam nondum in indices Comoediarum veterum, quas videre licet apud Fabricium B. G. II, c. 22, relatarum, et Comicorum ipſorum mentio monet. Qui quidem indices ſex fabulis iſtis, quae, quod ad praeſtantiam lapidis intelligendam plurimum valet in eo commemorantur, Σιδηροῖς, Κατακχήναις, Ἀυταυμοναίσω, Κολεοφόροις, Ἀμπρακιώτιδι, atque Ἀντέρωτι, augeri poſſunt. Obiter p. 71. obſeruatur, *Lyſippum*, quem Fabricius B. G. l. c. inter Comicos referat, Vrſinus Tragicum fuiſſe arbitratus ſit, non niſi Chorodidaſcalum fuiſſe, ſiue magiſtrum et praecentorem chori, neque

tamen eosdem interdum poetas et carminis canendi auctores fuiſſe negat, de quibus Dalenius ad Marm. et Antiquitt. diſſ. VIII. diſſeruit, quem is Wandalium dicit corrupte. Alios autem itidem inter Comicos relatos, *Pronomum*, *Lyſiadem*, *Charilaum*, *Carchidamum*, chorodidaſcalorum loco fuiſſe cenſet. Simul etiam Archontum eponymorum nomina ac tempora adnotantur, et lapidis, tum in hiſtoria et annis, quibus actae iſtae fabulae fuerunt, computandis, tum in re critica vſus demonſtratur. Sic in vulgatis Diodori libris XII, 34. Antilochides quidam Archon Olympiadis 86. anno ſecundo memoratur, at in MSS., regio et Coisliniano, Ἀντιοχίδης Weſſelingius reperit, vtroque vero codice antiquior hic lapis, qui etiam ipſe ſic habet, hanc veram eſſe lectionem demonſtrat. Hinc et alius Archontis *Morichidis* verum nomen eſſe cognoſcitur, quo etiam apud Diodorum XII, 29. eſt, et Petitus, qui *Myrichidem* vocatum probat, refellitur.

Caeterum, acuent iſta ſtudioſorum diligentiam in marmoribus antiquis ad legitimum vſum conferendis.

NOVI COMMENTARII SOCIETATIS REGIAE Scientiarum Goettingenſis TOMVS I. II. III. IV. ad annos 1770. 1771. 1772. 1773.

Goettingae et Gothae apud Ioan Chriſt. Dieterich 1771. in 4.

Exhibet Tomus I. 14. fere argumenti hiſtorici, philologici, phyſici, et mathematici propoſitas commentatio-

tiones, auctorum illuſtrium, Halleri, Kaeſtneri, Heynii, Meiſteri, Michaelis, Valchii, atque Murrai Qui rebus oeconomicis conſtituendis et regendis peculari ſtudio intenti ſunt, multa profecto in ſuos vſus transferent, de quibus ill. Hallerus fuſe ſatis, in *commentatione de pabularibus plantis* perſecutus fuit; quas vero idem auctor obſeruationes de vento Rupenſi euulgauit, ad curioſos naturae mirabilium potiſſimum ſpectare videntur. Mira eius venti eſt conſtantia, cuius variationes, vim atque directionem, per 18. menſes ſtudioſiſſime obſeruauit auctor, adiecitque tabulam, ex qua intelligatur, ventum plerumque ex boreali plaga ſpirare, magis ex borea pleno, aut vento temperato, minus ex plaga boream inter et orientem ſolem: plerumque cum hoc vento conſpirare ſerenum coelum, quamuis, quod tamen rarius accidere ſoleat, turbidum ſit, aut pluat. Seligemus quaedam: ABRAH. GOTTH. KAESTNER *pro Ioh. Bernoullii Hydraulica contra Dom. d'Alembert obiectiones.* Superiore iam Saeculo nonnulli Italorum Mathematicorum de menſurandis aquae motibus, non ſine omni fructu cogitarunt, tandemque et Galli complures in cognoſcenda eius motus lege multum laborarunt. Quotquot ad hoc genus calculi perficiendum acceſſerunt, facta comparatione celeritatis per lumen vaſis aquae effluentis cum altitudine eius ſupra locum effluxus, ſtatuere, non alienam eſſe effluentis celeritatem ab ea, quam grauitate cadens corpus per altitudinem illi aequalem, quae eſt aquae ſuo vaſe contentae, obtineat. Inſtituta iterum iterumque repetita experimenta a Mariotto, Guilielmino, ac Poleno, non eandem prorſus aperiunt velocitatem, quin quadam ſui potius parte imminutam, ita tamen, vt ab obſtaculis nonnullis impediri videatur aqua, quo minus, quamuis conetur, effluendo legem conſtitutam ſequi poſſit. Fecere ergo operae pretium, qui leges has motus aquae effluentis, ex alio quam experimentorum fonte, hoc eſt e ratiociniis ex fluidi natura deductis, mul-

multo certius, ac latius, quam factum fuerit ante, eruere, et firmare conati ſunt, quorum princeps exſtitit Daniel Bernoullius, cuius Hydrodynamica eius rei luculentum ſatis teſtimonium exhibet, nixa principio conſeruationis virium viuarum. Iohannes vero Bernoullius, relicto hoc principio, ſuperſtruxit hydraulicam ſuam principiis primis, de quibus liquido ſemper conſtitit inter rerum mechanicarum peritos. Praebuit hoc opus occaſionem Dom. d'Alembert, reprehendendi multa in Bernullio, cuius in ſe defenſionem ſuſcepit illuſtris Kaeſtnerus.

Principii autem, quo Bernullius vtitur, poteſtas, in his potiſſimum momentis poſita eſt: aquam vaſe concluſam grauem exercere, in locum per quem effluit, preſſionem, et ſi fingendo haec grauitas tollatur, vrgeaturque aqua in ſuprema ſuperficie vi tanta, quae ſufficiat efficiendae preſſioni aequali ei, quae oriebatur ante a grauitate, futurum ita, vt eadem velocitate effluat aqua grauis aeque ac non grauis. Id ipſum eſt quod innuit Bernoullius ſua translatione virium motricium ſingulis aquae grauis ſtratis inexiſtentium, in ſupremum ſtratum facta Aſſerit ill. Kaeſtnerus, hoc quidem principium ab euidentia theorematis Pythagorici nonnihil remotum, approbari per omnia ea, quae in theoria de actionibus virium praecipiantur.

Putat praeterea Bernoullius, aquam in ſtrata horizontalia diuiſam ita, vt, quod nunc effluit ſtratum, velocius vtique moueatur omnibus iis, quae interea in priſmatico vaſe deſcendant, eſſe que eius velocitatis non aliam rationem, quam quae pendeat a comparata luminis anguſtia cum ipſo vaſe, ita nimirum obtineri, vt continua maneat aqua, ac tantundem affluat, quantum effluxerit, in quo quidem, ſalua lege continui, fieri non poſſe putat Bernoullius, vt velocitas aquae in vaſe ſubito abeat in illam, quin potius

tius in exigua diſtantia a fundo vaſis, aquam velocius velociusque moueri, donec tandem eius velocitas ad eam aſſurgat, qua effluat. Atque haec aquae pars ſenſim ſenſimque contrahitur ab amplitudine vaſis ad anguſtiam foraminis, ibique ad angulos vaſis immota quaſi conſiſtere concipitur.

Aquae ita effluentis velocitatem refert Bernoullius ad eam vim, qua aquae in vaſe contentae velocitas pedetentim accreſcit ad effluxus velocitatem, atque aequalem ponit hanc vim ponderi aquae in vaſe contentae. Diſſentit hic Dom. d'Alembert, atque aſſerit, fluidum ex amplioribus gurgitis locis in anguſtiora contractum, ſe ipſum in hoc ſpatio accelerare, nihil prorſus contribuente ad id grauitate; ob eam nimirum rationem fluidum ſui ipſius motum accelerare, quoniam iam ſpatium, per quod effluere debeat, anguſtius fit: ſed hoc ipſum effatum contradicit aperte theoriae motus, cum nullum corpus in ſuo motu quidquam mutare valeat, quinimo ſemper ab alio cogatur, quotiescunque aut tardius, aut velocius progreditur, aut a via deflectit.

Caeterum, fatente ill. Kaeſtnero, deſideratur in hydraulica Bernoulliana ordo ille, illa perſpicuitas, atque ingenii elegantia, quae in aliis eius Operibus ita inſint, vt voluptate diſcendi lectores adficiant: cuius rei rationem ponit vel in eo, quod crediderit, alios cum fructu laboraturos in ordinandis et illuſtrandis iis, quae inuenerat, ſiue etiam, quod ob aetate iam prouectiorem, diligentiam non tam acrem operi exornando adhibuerit.

M. ALBERT. LVDOV. FRID. MEISTER, *de aberratione attritus a lege inertiae.* In explicanda difficili et ſalebris pleniſſima doctrina, non mediocrem profecto animi contentionem ſumma cum laude adhibuit auctor Cl. vt etiam nonnullis

Digitized by Google

quantum argumenti intricati natura permitteret, rem prorſus confeciſſe videatur. Vſus autem fuit quatuor machinis diuerſis, ſatis tamen ſimplicibus, harumque motus exegit ad horologii vibrationes.

Prima vectis eſt, qui cum ipſo axe horizontali rotatur, et additis vtrinque iuſto libramento ponderibus, motum ſemel conceptum diu ſeruat. Axis a filo circumuoluto, et pondere appenſo, ad motum concitatus, poſtrema fili euolutione facta libere moueri, et diſcurſus alacres obire pergit, donec vires ſuppetunt, ab aeris et frictionis reſiſtentia ſenſim exhauſtae. Deſinit axis in cochleam marem, ſatis longam, in quam coniectus leuis vncinulus indicis loco eſt; nam rotationum numerum indicat numero ſpirarum, quas ipſe interea percurrit. Axis ferreus voluitur in aurichalco.

Secunda machina eſt axis ex aurichalco in peritrochio plumbeo; in ligno voluitur, ſed vt prior ope ponderis a filo ita circumpoſito pendentis, vt poſt vltimam reuolutionem filum mox a retinaculo defluat, et axem liberet. Axis conuerſiones in motu accelerato tot ſunt, quot fili circumducti ſpirae; et in motu retardato vel numerantur ſimpliciter, vel, ſi opus ſit, ab indice aliquo, vt in prima machina monſtrantur.

Tertia conſtat ex ferreo axe in peritrochio ligneo. Peritrochio impendet et innititur aſſerculus, ambitum illius atterens, et pondere impoſito vim frictionis, citra maſſae mouendae incrementum, in immenſum augens. Cetera ſe habent vt in ſecunda machina.

Quarta denique eſt cylindrus ligneus immobilis, in quem conicitur filum, ponderibus vtrinque graue, et in ſuper-

perpondii deſcenſu cylindri ſuperficiem valde atterens. Vbi hoc iterum obtinetur, vt frictionis vis reſpectu maſſae, et inertiae, in immenſum creſcere poſſit. Filo enim bis vel ter cylindrum cingente, ſufficit vel ſolum eius ponduſculum, ponderi praeter fidem magno, quod ex altera parte appenditur, ſiſtendo. Frictio ſcilicet longe ſuperare poteſt pondus ipſum, a cuius preſſione oritur, vt et in machinis quibusdam, modica preli et habenae coercitione, ingentes rotarum impetus compeſci, et terendo ſiſti videmus.

Experimentis ita conſtitutis, adiectae ſunt tabulae, vt comparatione facta phaenomenorum ratio diſtinctius poſſit intelligi; ac facile fuit inde deducere, quae ad naturam frictionis pertinent, quaeue ex eadem, non autem ex inertia conſequantur. Itaque auctor V. Cl. concludit: attritum vix ſequi legem inertiae, niſi concurrant aliae cauſae, quae illum in hunc quaſi ordinem cogant, fauere nonnunquam attritum motui magis accelerando, quam inertiam, ſaepius etiam ab ipſa motus velocitate fieri difficiliorem. Prius quidem obtinere eidem videtur in metallis ſaltem durioribus, vel ſpeciatim in ferro, cui atteritur aurichalcum. Ex conſtanti etiam obſeruatione artificum certum eſt, haec duo inter ſe commiſſa facilius moueri, et minora detrimenta pati. Forte et ad metallorum indolem accedunt alia corpora, quorum materia ex aequo digeſta, quaquauerſum pariter cohaeret. Poſterius contingit in materia ſtriata, ſciſſili, ex ramentis et foliis, intercedente quodam glutine compacta. Quod vero ad frictionem puram, ſeu mechanicam attinet, vt a ſola plani inclinati actione pendet, inertiam imitari videtur, mixta contra, ſeu phyſica, ita in diuerſum niti, vt vel aſperior ſit, vel mitior quam pura, prout materia vel cedendo ſenſim exaequat et aſcenſui faciliores reddit ſuperficierum cliuos, vel ſpinis quoque excitatis exaſperat.

Digitized by Google

Decreti Nicaeni de Paſchate explicatio CHRIST. GVILIELMI FRANC. VALCHII *Particula prior.* Multi quondam ſibi aliisque impoſuere, dum in decreto Nicaeno ſe canonem de tempore celebrandi Paſcha inueniſſe putarent, quorum nonnulli eo etiam proceſſere, vt contenderent, poenam adeo a Nicaenis conſtitutam fuiſſe illis, qui decretum eorum de Paſchate violarent; cuius aſſerti auctor Ludovicus Thomaſſinus refellitur. Canonem talem conditum fuiſſe a Patribus recte negat doctiſſimus auctor, affirmat autem, ſupereſſe alia rerum a Nicaenis geſtarum monimenta, quibus contineretur memoria decreti de Paſchate; atque horum triplex genus conſtituit. Ad primum refert tabulas quaſi publicas, quae auctoritate et exiſtimatione praeſtant, in quibus principem locum ſuo iure tenet epiſtola Synodica, quam Nicaeni ad Aegyptios dederunt, quaeue apud Socratem, Theodoretum, atque Gelaſium Cyzicenum legitur. Huic profecto epiſtolae nullum prorſus legis veſtigium ineſt, quin potius aperte de pacto quodam inter fratres inito refertur: quanquam ex eadem cognoſcatur, ex voluntate patrum Nicaenorum nonniſi binas Paſchatis celebrandi regulas fuiſſe ſeruandas, partim vt ne quis Iudaeos imitaretur, partim vt cum Romanis, Alexandrinis, aliisque conſentanea ſit omnium anniuerſaria Paſchatis religio.

Idem probatur ex litteris Imperatoris Conſtantini, datis ad eccleſias, earumque praeſules, qui a Concilio Nicaeno abfuerant. In his ſententiam Nicaenorum ita expoſuit: *vbi, quum de ſanctiſſimo etiam paſchae die quaeſitum fuiſſet, communi omnium ſententia decretum eſt,* (ita vertit Valeſius, melius reddideris *viſum eſt,*) *eam feſtiuitatem vno eodemque die ab omnibus vbique celebrari oportere.* Lectu digna ſunt quae porro Imperator monet: *conſideret quaeſo veſtrae ſanctitatis ſolertia, quam graue ſit, et indecorum, iisdem diebus alios quidem*

Digitized by Google

dem ieiuniis intentos, eſſe alios vero conuiuia celebrare, et poſt dies paſchae, alios quidem in feſtiuitatibus, et animorum remiſſione verſari, alios vero definitis vacare ieiuniis.

Producit tandem eruditiſſimus Valchius Canonem de paſchate celebrando, ex Concilio Antiocheno Ao. 341. celebrato, cui multi quoque interfuere, qui Nicaeae praeſentes fuerant. Canonis vero verba haec ſunt: *Omnes, qui audent diſſoluere decretum ſanctae et magnae Synodi, quae Nicaeae coacta eſt in praeſentia pietatis religioſiſſimi Imperatoris Conſtantini, de ſancto feſto ſalutiferi paſchatis, eſſe excommunicatos, et eccleſia eiectos ſtatuimus, ſi aduerſus ea, quae recte decreta ſunt, contentioſius inſiſtere perrexerint. Et haec quidem de laicis dicta ſunt. Si quis autem eorum, qui praeſunt eccleſiae, Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, audebit poſt hoc decretum, ad populorum ſubuerſionem, et eccleſiarum perturbationem, ſeorſim agere, et paſcha cum Iudaeis peragere, ſancta Synodus eum abhinc alienum eſſe ab eccleſia iudicauit.* Poſt Euſebii, Athanaſii, atque Sozomeni teſtimonia, ad Ambroſii epiſtolam XXIII. ad Epiſcopos Aemiliae peruenit, e qua locum difficillimum excutit, qui ita fere habet: non mediocris eſſe ſapientiae, diem paſchalis celebritatis definire, et Scriptura nos inſtruit, et traditio Maiorum, qui conuenientes ad Synodum Nicaenam, inter illa fidei, vt vera, ita admiranda decreta, etiam ſuper celebritate memorata, congregatis peritiſſimis calculandi, decem et nouem annorum collegere rationem, et quaſi quemdam conſtituere, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum enneadecaterida nuncuparunt, ſequentes illud, quod non debeamus vana quadam opinione ſuper celebritate huiusmodi fluctuare, ſed vera ratione comperta, ita omnium concurrat adfectio, vt vna nocte vbique ſacrificium pro reſurrectione Domini deferatur.

Putat itaque Ambroſius enneadecateridem a Nicaenis fuiſſe definitum, et commendatum; in quo quidem multi contendunt humani quid paſſum fuiſſe Ambroſium, et quae ſuo tempore eccleſiae vſu recepta erant, eadem ſine diſcrimine pro Nicaenis ſtatutis erronea ſententia habuiſſe, aut Euſebii de paſchate librum, Conſtantino oblatum, perperam concilio Nicaeno tribuiſſe.

Quod vero attinet ad ipſum de paſchate decretum; refert hoc eruditiſſimus Valchius ad tria potiſſimum capita, quorum primo Patres Nicaeni voluerunt, vt ſacra paſchatis ab omnibus vno eodemque tempore et die celebrentur; cuius rei teſtimonia ſumit ex epiſtola Synodica, Conſtantino, Euſebio, Athanaſio, Sozomeno, Ruffino, et Ambroſio. Mandarunt etiam, vt ne cum Iudaeis eodem die perageretur; atque tandem, vt eodem die haec ſacra in omnibus prouinciis fierent, quem illis ab antiquiſſimo tempore Romani, Alexandrini, aliique occidentis populi, et nonnulli orientales, conſecrare conſueuiſſent. Fuſe haec omnia ac doctiſſime pertractata, et ſi quis adiunxerit ad ea, quae commentationis huius poſterior particula pertractat, procul dubio pleniorem decreti Nicaeni hiſtoriam vix ac ne vix quidem deſiderauerit.

TOMVS II. Commentariorum, ad a. 1771. aeque continet eiusdem argumenti commentationes, qualem *Meiſteri* V. Cl. commemorauimus, Tomo I. inſertam. Idem auctor hic *de veterum Hydraulo* diſputat, diſputatione in 3. partes tributa. Indicabimus palmaria capita. Veteres fere omnes, quaeuis Muſicorum inſtrumenta ad organa retulerunt, quamuis, vt ex Vitruuio conſtat, nomen Organi abſolute ponitur de celebri illo inſtrumento empneuſto, quod hydraulicis machinis perficiebatur, intelligendum. In hydraulo vero ineſt ſimul aquae et fiſtulae nomen, poteſtque hydraulica dici quaeuis

æis machina, ad quam aqua et fiſtulae ita adhibentur, vt vel aqua inſeruiat vſibus fiſtulae, vel fiſtulae vſibus aquae: vſus tamen obtinuit, vt hydraulicum diceretur quidquid movendae, et ad neceſſitates, quin et voluptates noſtras dirigendae aquae, inſeruit, licet deſtitutum ſit fiſtulis.

Quemadmodum nomine Organi vnicum machinae genus deſignabatur, ita etiam nomen Hydrauli eidem machinae tributum fuit per excellentiam, atque nonnunquam priori iunctum, vt naſceretur nomen hydraulicum organum; quae res, obſeruante doctiſſimo auctore, non leuiter eos turbauit, qui res ex rerum ipſarum vocabulis aeſtimare ſolent. Cum enim complura apud veteres viderent organorum muſicorum genera, quae partim a corpore ſonoro, partim etiam a modo ſonum excitandi, nomen ſortirentur: videlicet 1) ὄργανα κρουόμενα a pulſando, 2) ἔγχορδα, ἔντατα, καθαπτὰ a chordis, earum tactu et tenſione, 3) ἐμπνευστὰ a ſpiritu, quo animantur; facile ſane fuit quartum quoddam ὑδραυλικῶν genus ita conſtituere, vt aqua vice animae, vel pleſtri aut mallei quoque, excitando ſono adhiberetur, erantque qui affirmarent, aquam ſuo per αὐλοὺς decurſu ſonum effeciſſe. Speciem haec abſurda ſententia mutuari poterat ab Athenaei verbis, qui litem de conſtituendo genere hydrauli ita dirimit, vt rectius dicatur ἐμπνευστὸν, ſiquidem ab aqua inflatur.

Secundum genus organi hydraulici auctor V. Cl. ita conſtituit, vt qualicunque motu aquae, rotae et tympana verſentur, quorum decurſionibus, et tactu prudenti, cuncta fiant iuxta tempora et modulationes carminis, vt agitatio follium, et tactus pinnarum, ſpiritum in tibias reſpondentes admittentium. Atque tale organum, quo minus eodem ſenſu hydraulicum dicatur, quo molendinum vento agitatum pneumaticum appellatur, nihil ſane obſtat. Et cer-

te non ignota ſunt in Italia, atque alibi quoque, talia automata organa, in hortis inprimis Principum exſtrui ſolita, quorumque motus ab aqua pendet. Iure vero dubitat auctor, veteribus notam fuiſſe rotam ſic dictam phonotacticam, nec eſſe, recte aſſerit, cur quis prouocet forte ad Heronem et Vitruuium, quandoquidem horum organa prorſus ab illis differunt. Etiam organum hydraulicum eſt, cui a qua ſpiritum ſubminiſtrat, vt ſibi mixtum deferat in peculiare aliquod receptaculum, vbi emergens ex aqua ſpiritus, fiſtulas animandas intrat, aqua vero effluens locum relinquit influenti iterum, et nouos ſpiritus aduehenti. Cteſibicam vero machinam, non inepte putat additam fuiſſe organo pneumatico, vt vehementi expreſſione aquae crebrum ſpiritum excitaret, atque communicaret.

Forte vſus aquae, ad organa perficienda adhibitus, in eo conſtitit, vt non tam excitaret afflatu ſuo ſonum, quam potius aliunde excitatum inflecteret, frangeret, criſparet, vel vtcunque peregrino aliquo cultu et colore ornaret. De alio vero hydrauli genere intelligendi ſunt, qui contendunt, ſumtam fuiſſe aquam, non flectendae aut frangendae vocis cauſa, quin in immenſum augendae potius. Atque in his primus eſt Iſaacus Voſſius, qui aſſerit, Organa, quae vtrium, aut follium beneficio animantur, non inaequalem tantum, ſed et imbecillem edere flatum, quae vero aquae beneficio inſpirantur, non aequabilem tantum, verum adeo robuſtum et ſonorum efficere ſonum, vt longuis, quam vel tuba, vel buccina, exaudiri poſſint. Nemo profecto mirabitur, celeb. auctorem hic longe recedere a Voſſio, qui organa follibus inflata oppoſuerit organis aquae beneficio inſpiratis, vt fere faciunt, qui tibias vel ipſa aqua, vel ſpiritu ex aqua nato, repletas fuiſſe contendunt. Neque vero etiam dici poteſt, aquae miniſterio intendi et robuſtiores fieri illos flatus, niſi ab ipſius vaſis, quod perflant, lateribus

be-

Digitized by Google

bene compactis, robur etiam accipere exiſtimentur. Nonnulli aquae, ad organum perficiendum, non aliam tribuunt virtutem, quam vt receptaculum ſpiritus, pro mole affluentis et per fiſtulas elabentis ſpiritus, ita mox augeat, mox coarctet, vt neque iuſto abundantius affluens fiſtulas ſtatim obruere, neque iuſto liberius effuſus, eas deficere poſſit. Ita putat Heron ſtatuens, aquam propterea addi, vt aerem abundantem loco cedens recipiat, contineat, et in futuram tibiarum neceſſitatem ſeruet; quam ſententiam etiam Vitruuio tribuere, nihil dubitat eruditiſſimus Meiſterus. Peraltus quoque autumat, Veteres aquae adiectione nihil aliud intendiſſe, quam aequalem aeris compreſſionem, quamuis dicat, eundem finem multo perfectius in organis noſtris obtineri ope follium, quae ſententia eum a caſtris Veterum longe ſatis remouet.

Profecto res eſt admiratione digna, potuiſſe Voſſium a ſe impetrare, vt hydraulicum diceret organum, ad quod aqua non ſecus vtebatur, quam quocunque alio pondere, neque animaduertiſſe, eodem iure etiam horologium dici debere, vel lapideum, vel hydraulicum, prout vel lapis, vel vaſculum aqua plenum, in Sacoma ei appenſum eſt; quamuis forte non ineptus plane ſit qui neget, hydraulo nomen ab aqua datum fuiſſe, cum fieri recte vtique potuerit, vt a Siphone potius hydraulico, vice follium adhibito, ita nominaretur; imo qui Vitruuii caput XIII. inſcripſit, de hydraulicis machinis quibus organa perficiuntur, magis reſpexiſſe videtur ad Siphonem Cteſibii, in vſus organi animandi traductum, quam ad aquae miniſterium. Ita vero aeſtimandum eſt, Cteſibium non reperiſſe rationes tibiarum ſyſtemata continentis organi empneuſti, ſed machinis tantum hydraulicis perfeciſſe. Poſtquam enim naturam aeris perſpexiſſet, varia excogitauit, et ſumma induſtria confecit inſtrumenta, quibus aeris vim vel demonſtraret, vel

 ad

ad vtilitates et voluptates hominum accommodaret, quorum facile princeps eſt Sipho contra incendia repertus, quem cum videret Cteſibius aquam validiſſime eiaculari, veriſimile eſt, eo ſucceſſu inuitatum voluiſſe experiri, quid in ſpiritibus expreſſione valeret. Offerebant ſe in experimentum fabrorum officinae, et organa pneumatica; aquam vero tum demum adiectam putat auctor, poſtquam animaduerterat Cteſibius, ſpiritum a ſiphonibus robuſtum quidem, verum non ita aequabilem, vt a follibus, exprimi, hinc opus eſſe receptaculo quodam variabilis magnitudinis, quod ſpiritum recipiat, et quaſi temperet, ante quam ſubeat fiſtulas, id quod aqua adiecta non tam hydraulicis, quam more recepto loquendi hydroſtaticis aequilibrii legibus praeſt are videbatur. Porro videtur a Siphonibus ſumſiſſe exemplar modiolorum aeri comprimendo aptorum, quibus loco toni ſic dicti inſtructae Catapultae aërotonarum appellationem acceperunt. Tandem hydrauli ſpecie extremis quaſi lineis adumbrata, ſingulas eius partes diſtinctius explicat auctor, vſus deſcriptione Heronis inprimis, Vitruuii etiam, quoties cum illa conuenit, diſſenſum vtriusque, atque interpretum ab vtroque, proprium quoque ſicubi diſceſſerit, dubitationes ſuas, et ſuſpiciones, ſubiectis notis indicat.

CHRIST. GVILIEL. FRANC. VALCH *de perſecutionum Chriſtianorum Romanarum cauſſis non ſolum politicis, ſed etiam religioſis.* Prodit haec commentatio inſignem rerum eccleſiaſticarum antiquarum peritiam, et ſingulare dubia a certis remouendi ſtudium, iunctum integerrimo amori veritatis. Conſtituit vero celeb. auctor duplicem Chriſtianarum perſecutionum fontem, quorum prior in cauſis politicis eſt, alter vero in cauſſis profeſſae religionis paganae.

Leges nimirum ab Imperatoribus Romanorum aduerſus Chriſtianos datas eo ſpectare omnes probat auctor, vt ne quis

quis Chriſtianorum ſacris nomen ſuum adſcriberet, neue conuentus religionis cauſa agerentur, vt ne cui liceret aut Chriſtiano, aut Chriſtianorum eſſe magiſtro, vnde conſequi putat; familiam Chriſtianorum reipublicae detrimentum adferre, ac ſaluti publicae perniciosam eſſe, credidiſſe, qui tales leges ſancirent; in cuius rei teſtimonium adducitur *Cornel. Tacitus*, antiquiſſimus eorum omnium, quorum monimenta de perſecutionibus Chriſtianorum ad noſtra tempora ſeruata fuere. Conſtat ex mente eius, non ferendos eſſe homines, qui ſiue Romanos ſolos, ſiue hos cum reliquis populis, hoſtili odio proſequerentur; et reipublicae intereſſe hos neci tradi. In hunc locum etiam adducuntur Tertulliani orationes, quibus oſtendit, Chriſtianos non eſſe hoſtes publicos; ex iis nimirum luculenter intelligitur, odii calumnia et iudices contra Chriſtianos fuiſſe vſos. Atque haec omnia obſcuca reuera ſunt, niſi, cur reipublicae Chriſtianos ſummum exitii periculum adferre Romani crediderint, intel i;atur.

Atque in eius rei cognitionem congrua ſatis ex hiſtoria eccleſiaſtica adferuntur. Quotquot nimirum ex Romanis ad ſacra Chriſtianorum tranſibant, relinquebant vtique patrios Deum colendi mores, leges violabant quibus illi imperabantur, et quibus putabant omnem reipublicae ſalutem contineri. Hinc deſolata templa, et intermiſſa ſacrificia apud Plinium Lib. X. cap. 97. Sua velut ſponte inde noſcebantur criminationes, quibus Chriſtianos impetebant Romani. Obtrectabant religionem chriſtianam, nouam vtpote, et contrariam Romanae, quam falſo credebant antiquitate commendari. Etiam contumelioſo ſuperſtitionis nomine ſaepiſſime eam traducebant, vt Plinius, qui, poſtquam per tormenta quaeſiuiſſet ancillas, nihil aliud ſe inueniſſe ait, quam ſuperſtitionem prauam, et immodicam. Tandm erudítiſſimus auctor, firmandae ſuae ſententiae, ad-

Digitized by Google

ducit peruagatam gentilium criminationem, qua inſignes calamitates quibus magna eo tempore pars Imperii adfligebatur, peſtem videlicet, bella, fluuiorum inundationes terrae motus, famem denique inde deriuabant, quod eſſent in Imperio Chriſtiani, qui deos non colerent, ſed contemnerent potius atque riderent. Oſtenditur id teſtimoniis deſumtis ex ſcriptis Cypriani, Arnobii, Tertulliani, Firmiani, ex inſigni denique Porphyrii per Euſebium ſeruato loco: *nunc mirum ulli videatur, ciuitatem hoc morbo tot iam annos conflictari, cum Aeſculapius caeterique dii hominum conſuetudini et conſortio ſe ſubduxerint. Ex quo enim Ieſus coli coeptus eſt, communem ac publicam Deorum opem nemo ſenſit.*

Praeterea his cauſis politicis adiungit celeb. auctor alium perſecutionum fontem, quem aperit oſtendendo, fuiſſe Chriſtianos non tantum impietatis in Deos, verum in Imperatores etiam, ſuſpectos, cuius criminis imputationes potiſſimum apud ſcriptores citatos, et cauſae deprehenduntur, quarum primam in hoc ponunt, quod Chriſtiani honores diuinos, appellationem *Domini*, imaginum adorationem, Imperatoribus tribuere recuſarent; ſecundam aiunt, quod pro horum ſalute nec vota facerent, nec ſacrificia diis offerrent; tertiam denique, quod per Genium Caeſaris iurare nollent. Caeterum auctor non negat, Chriſtianorum conuentus clandeſtinos, nocturnos, antelucanos conuiuia item agaparum nomine celebrata, habuiſſe ſuſpicionem periculi, quamuis vani, tranquillitati reipublicae metuendi. Huius enim generis congregationes legibus Romanis prohibitae fuere, quod vſu et exemplis didicerant, natas inde fuiſſe ſaepius coniurationes ſceleratiſſimas.

Ergo cum legibus eiusmodi latis, atque identidem repetitis, obtemperare nollent Chriſtiani, noua hinc criminandi cauſa nata fuit, pertinaces eſſe, immorigeros, et ad-

ver-

Digitized by Google

verſus magiſtratus obſtinato animo, genus hominum quod exterminari e republica omnis prudentiae ciuilis ratio ſuadeat. *Neque enim dubitabam*, inquit Plinius, *qualecunque eſſet quod faterentur, peruicatiam certe et obſtinationem debere puniri.* Omnibus ita perſecutionum cauſſis diductius explicatis, negat tamen celeb. Valchius, curam ſalutis publicae vnicam fuiſſe cauſam, cur Romani perſequerentur Chriſtianos, ſed ſuperſtitionem, amorem auitae religionis, ſtudium ſacra patria retinendi, ſi non omnium, multorum tamen animos ita occupaſſe, vt odium, quod a religione nomen habet, aduerſus Chriſtianos conciperent. Si quis enim inquit imperans alios a ſe in religione diſſidentes, omittere iuſſerit publicas caerimonias, cultusque diuini particulas, quas legibus inſtitutisque ſuae reipublicae aduerſari putet, aut vetuerit, ne dogmata de re diuina, quae periculi quid habere ipſi videantur, libere proponant, aut ciues ſuos ad mutanda ſacra priſtina perducant, is certe, ex ſolis prudentiae ciuilis rationibus omnia iſta velle poſſe facile creditur, eique, ſi vel ex noſtra ſententia male ſentiat, ob hanc excuſationem venia conceditur. Quodſi idem vero miſeros illos non ſolum ad deſerendas ſuas, quas veras eſſe ſibi perſuadent, de re ſacra opiniones, relinquendosque, quos diuinitus ſibi praeſcriptos eſſe exiſtimant, ſummum Numen colendi ritus, aut ad amplectenda ſacra, quae illi ſuperſtitioſa credunt, Deoque iniurioſa, eosque quos negant deos eſſe, diuinis honoribus proſequendos, vi cogit et ſuppliciis exquiſitisque tormentis compellit, is illa excuſatione nequit vti, ſed ſuperſtitionis in ſuam, odii in alienam illorum religionem, iure accuſatur. Maximum eſt diſcrimen inter religionis libere exercendae facultatem et libertatem conſcientiae: illam ciuibus adimere, prudentia ſuadere poteſt; hane iisdem denegare, et vt denegetur atrocius in eos ſaeuire, nihil ſuadere vnquam poterit, niſi immanis ſuperſtitio. Atque tali commotos fuiſ-

ſe Imperatores ad affligendos Chriſtianos, luculentis hiſtoriae monimentis egregie docuit Valchius.

IOH. PHILIPP. MVRRAY *de Britannia atque Hibernia, Saeculis a ſexto inde ad decimum, litterarum domicilio.* Inſignis huius commentationis, quae diffuſae rerum hiſtoricarum cognitionis, atque lectionis vaſtae documentum eſt, palmaria fere capita haec ſunt. Depingit primo faciem Britanniae antiquiſſimis temporibus, antequam nimirum Hiberniae illata eſſet religio Chriſtiana, atque ante aduentum Anglorum et Saxonum in Britanniam, qui Saeculo quinto contigit. Notantur hic, ſuisque officiis diſtinguuntur Druides britanni, Euhages, atque Bardi. Priores affectaſſe vbiuis myſteria, compluriumque annorum exercitium exegiſſe ab iis, qui ſuis ſacris initiari vellent, inde aditum ad dignoſcenda Druidum inſtituta difficilem eſſe. Euhages (Vates exteri dixere) ſacrificiis praefuiſſe, intentos etiam ſcrutinio rerum naturalium. Bardos denique fuiſſe Poetas, qui heroicis verſibus facta illuſtrium virorum celebrarent. Britannia diuulſa mari ab Europa reliqua, incognita fere terra fuit, infinita multitudine rationum barbararum habitata, cum Caeſar illi arma inferret, ſenſim tamen ſub Imperio Romanorum veterem barbariem depoſuit. Factum hoc fuit opera inprimis Iulii Agricolae, cuius in manſuefaciendis et erudiendis Britannorum animis merita iure ab auctore laudantur. Perſequitur ſtrictim, (eſt enim hic mira paucitas monimentorum fide dignorum,) borealis Britanniae montibus horridae populi Caledoniorum fata; Pictonum et Scotorum qui illis ſucceſſere, Hiberniae etiam antiquitates quamuis magnam partem dubias, quin et fabuloſas forte, ex quibus tales in hiſtoria natae narrationes contentioſae, quae lectores ſaepe dubios reddant, vtrum de Hibernia, an de Scotia hodierna accipienda ſint, quae in antiquis monimentis le-

leguntur, cum vtrique Scoti, et Hiberni, et Albini eadem plane ſibi vindicent.

Dubium eſt, quorum opera in Britannia coetus Chriſtianorum primum coire coeperint: et quamuis ſub Anglorum et Saxonum aduentum Chriſtiana religio propagata fuerit, maior tamen hoc tempore Britanniae pars, ex ſententia auctoris, veteri adhuc ſuperſtione imbuta manſit. Palladius, ad Hibernos conuertendos a Coeleſtino Praeſule Romano miſſus, nihil fere inter hos ex voto egit; felicior poſt eius mortem exſtitit Patricius, qui magnam hominum vim ab auita religionis ſuperſtitione ad ſacra Chriſtianorum perduxit, ob quam rem illi et nomen Apoſtoli Hiberniae manſit. Sequitur tandem deſcriptio labaſcentis eruditionis in terris Romanorum Imperio ſubiectis; nec minus digna lectu ſunt, quae ſolertiſſimus auctor non interrupto chronologiae filo, adfert de Soholis Hibernicis, Seminario Columbae Hyenſi, Auguſtini in Angliam aduentu, de Hibernorum in Galliam et Germaniam profectione et meritis, de Cambro - Britannorum ſtudiis, Theodorii Cilicis et Hadriani in Angliam aduentu, de Aldhelmo, de litterarum ſtatu et conditione in Hibernia ſub decurſum Saeculi ſeptimi, de Beda venerabili Saeculo octauo inter Anglos illuſtri, de Schola et bibliotheca Eboracenſi, de aeui Alfredini in Anglia felicitate, de fatis litterarum Saeculo decimo in Anglia, Scotia, et Hibernia, tandemque de ſtatu Hiberniae ab Anglis Saeculo duodecimo expugnatae.

TOMVS III. ad annum 1771. pertinet, diues et ipſe commentariis profundae doctrinae, et ad diſciplinarum commodum multum profuturis. Quibus ipſa Societas finibus ſtudia ſua circumſcripſit, vt in phyſicis, mathematicis, et hiſtoricis diſciplinis, iisque litteris verſentur, quae ad eruditionem philologicam referri ſolent, vtque eas potiſ-

tiſſimum partes, eaque rerum genera perpoliat, quae peculiare aliquod ſtudium et otium poſtulant, nec adhuc expedita ſatis et illuſtraat ſunt; intra eosdem etiam fines continuere ſuas curas eruditi, quorum commentationes praeſens Tomus complectitur. Non inſunt ergo ab his litterarum generibus aliena, nec vulgaria, vel in libris cathedrariis, aut lectionibus academicis exponi ſolita, nec hypotheſes, aut merae forte argutiae.

ALBERT. LVD. FRID. MEISTER *de emendatione Scalae Thermometri, inter puncta ex obſeruationibus definita, interpolatione.* Poſtquam doctiſſ. auctor ingentem thermometrorum apte conſtructorum numerum ſcalis inſtruxerat, vidit graduum inaequalitatem non ſitam eſſe in vaga quadam culpa, quin conſtantem eſſe potius, atque a cauſa pendere quae certam quandam legem ſequatur. Obſeruauit etiam, vbi ſcalae partes, quae inter puncta fixa interiacent, ex mente Farenheitii diuiduntur, in plerisque, tantum non omnibus thermometris, gradus a frigore inde aquae congelaſcentis, ad calorem vsque ſanguinis humani, conſtanter iuſto maiores fieri, illos vero, qui ab eodem aquae in glaciem abeuntis termino, ad terminum frigoris ſale ammoniaco exaſperati deſcendunt, iuſto minores fieri. Terminus ope caloris humani definitus conſtantior perhibetur termino, ad quem aqua in glaciem conuertitur; quod tamen non eo dictum vult celeb. auctor, vt inferatur, rectius definiri, et conſtantiorem eſſe calorem ſanguinis eo, qui afficiat aquam in glaciem iamiam abituram. Termino nimirum caloris humani alio modo nequit haberi fides, niſi quatenus etiam ſcalae extremis, inter quae ille ſuum locum tuetur, ſua fides conſtet; cum alterutro extremo perperam conſtituto, gradus quicunque intermedius, quo rectius erit conſtitutus, tanto etiam minus ſuo loco eſſe videbitur. Praeterea quoque tenendum, in omni machina tam varie poſſe

poſſe peccari, vt error modo emendet errorem, mox etiam ipſum veritatem ſuſpicione erroris cuiusdam inficiat; vnde fieri quoque poſſe colligit auctor, vt gradus 32. non minus legitime definiatur quam gradus 98, a cauſa tamen aliqua occulta loco ſuo moueatur, quae in hac caloris temperie praeualeat.

Sunt complures, qui in hac re tuborum inaequalitatem reprehendant; et eſt ſane, auctore monente, duplex hic inaequalitas attendenda. Altera fortuita prorſus eſt, et inconſtans, quae ab aere aut ſordibus vitro admixtis oriatur, vel quod maſſae vitri, dum in tubos graciļeſcere debent, non eodem modo, gradu, et tempore, aut liqueſcunt, aut inflantur, et ducuntur, aut rurſus indureſcunt, vel quod ipſe thermometri artifex culpam admiſerit, quae formae vitium poſſit inferre. Altera tuborum inaequalitas conſtantior eſt. In officina nimirum vitriaria quantacunque cura tubi conflentur, non tam exacte cylindrici fieri poſſunt, quin potius media tubi pars ſemper aequabilior eſt et magis cylindrica, quam partes extremae. Atque ideo etiam iubentur artifices, ex tubis octo et amplius pedes longis, exſcindere mediam partem, duos aut tres pedes longam, ex qua ſola thermometrum efformetur.

Admodum profecto inter ſe diſcrepant ſententiae eius artis peritorum circa hanc rem. Nam vt altitudo Mercurii in aqua ebulliente aſcendat ad gradum 212, aut etiam ad 600 ebulliente ipſo Mercurio, ſunt qui ſtatuant, totum volumen, ſpatium videlicet, quod occupat in frigore ſalis ammoniaci, ſecandum in 10782 particulas, aut etiam ſecundum aliorum rationes calculi in 11124, 11520 imo etiam in 11790. Quodſi non tubi ipſius capacitas menſuranda proponitur, ſed cauitatis inaequalitas exploranda, vix credibile eſſe auctor aſſerit, vt artifex in comparatione

interuallorum, quae fixis punctis interiacent, adeo erret, vt error tribus gradibus reſpondeat. Itaque ſententia reiicienda videtur, qua perhibetur, ſcalae partem, a termino frigoris glacialis non debere diuidi in gradus 32, ſed potius in $29\frac{1}{2}$. Propius tamen accedere ad verum videtur, ſi quis dicat, inaequalitates ſcalae oriri potius ab aucta per calorem tubi, maxime vero phialae, in quam tubus deſinit, capacitate. Conſtat vero etiam, nunquam liquorem aſcendere ad eam altitudinem, quam praeſens calor poſtulat; eo enim calore, quo ille expanditur, relaxantur adeo receptacula, vt liquori maiorem, quo deſideat, quam antea locum praebeant. Itaque etiam non omnia liquoris momenta redundant in tubum, ſed ea tantum, quae in dilatato receptaculo locum non inuenerunt, neque ſcalae gradus indicant modum, quo liquor a calore augeſcit, ſed quo liquoris augmenta auctas vaſorum capacitates ſuperant. Verendum enim foret, ne, ſi ab eodem calore aequalia vtrinque augmenta producantur, tota ſcala in punctum contrahatur reſpondens permanenti altitudini Mercurii; et ſi vel maxime conſtantem ſequantur legem haec augmenta, ita vt ad quemuis datum caloris gradum, Mercurii volumina, et vaſorum ſpatia, eandem rationem ſeruent: dubium eſſe nequit, quin etiam differentiae inter vtraque augmenta eandem rationem ſint habiturae, vnde ſcala iuſto minor ſimilis tamen illi futura eſſet quam conſtans vaſorum magnitudo poſtulaſſet. Eandem legem facile etiam admittunt, qui futurum affirmant, vt, ſi dentur tubi exacte cylindrici, aequalibus ſcalae gradibus reſpondeant aequalia fluidi incrementa.

Aliter tamen iudicandum eſſe celeb. auctor docet, ſi ſecundum aliam legem vitrea vaſcula relaxentur, quam quae nititur augmentis fluidorum. Et cum maxima veri ſpecie hoc dici vel inde putes, quod ne quidem liquores diuerſi

uerſi ab vno eodemque caloris gradu adficiantur, ſed ſecundum diuerſas plane leges intumeſcant. Quidquid tamen horum ſit, recte vtique culpae quandam partem tribuendam eſſe tuborum conſtanti inaequalitati, oppido manifeſtum eſt, qua fiat, vt quaecunque demum tubi portio adhibeatur ad conſtruendum thermometrum, non tam cylindri, quam conoidis truncati, aut duorum etiam conoidum ſecundum baſes minores coniunctorum, circa diuiſionem ſcalae ratio haberi debeat. Conſtructum fuit olim a Bilfingero vaſculum, ab vna parte conuexum, concauum ab altera, ſcutellae forma, quae magnitudinem ſuam ſeruare videbatur, quocunque tandem modo vitrum a frigore aut calore adficeretur: recte tamen negat auctor, hunc finem intendiſſe inuentorem illuſtrem eius vaſculi; eo nimirum dirigebat ſua experimenta, vt oſtenderet, quod nonnulli negabant, breuiſſimos liquoris ſaltus non a vitio liquoris, ſed vaſculi potius, deriuandos eſſe: omnem adeo quaeſtionem eo rediiſſe, vtrum vaſcula vitrea dilatarentur calore, vel coarctarentur frigore, et vtrumque fuit comprobatum. Contrarium putabant Bononienſes Academici, opinantes, Bilfingerum, pro ſingulari ſua ſolertia hanc vaſculi formam excogitaſſe, quod videret, interiorem eius capacitatem eandem fore, ſiue vtramque ſuperficiem relaxaſſet, ſiue frigu conſtrinxiſſet.

Sunt qui putent, melius conuenire cylindros in thermometri bulbum, quam ſphaeras. Et Deſagulierius adfert experimentum, quo thermometris vtriusque formae in aquam immiſſis calidam, liquor priorum e veſtigio euehi, poſteriorum contra non niſi ſaltu prius deorſum facto, comprobetur. Enimuero negat Meiſterus, hanc diuerſitatem, conſtantem etiam et perpetuam, a forma cylindri venire, quin potius affirmat, pendere ab eiusdem maiori ſuperficie, quae patentiorem calori in liquorem ſeſe inſinu-

 anti

Digitized by Google

anti aditum praebet. Scalarum vtpote inaequalitates, atque etiam liquoris, nullatenus ab vna eademque cauſa deriuandas eſſe; et ſublata quidem vaſculi mutatione tolli ſaltus liquoris, minime vero a ſaltuum defectu concludendum eſſe ad conſtantem vaſis magnitudinem. In ſimpliciſſima quidem ſcala, a termino dato ad proxime ſequentem per aequales gradus aſcenditur, qui tamen non imitantur legem naturae, ſecundum quam errores quoque non ſubito maximi exiſtunt, ſed ſenſim creſcunt.

Atque ob hanc rationem celeb. auctor aliam methodum in conficiendis ſcalis ſuis ſequutus eſt, vt videlicet inde ab aqua congelaſcente gradus ſenſim maiores faceret, ad terminum vsque caloris humani. In plurimis quidem ſcalis haec lex profuit ad aequabilem et oculo non ingratam graduum ſeriem obtinendam, quamuis in aliis obfuerit, et maiorem diſcrepantiam inter gradum 98 et ſequentes proxime induxerit, quam quae futura fuiſſet medio ſcalae ſpatio in aequales gradus diuiſo; id quod impulit auctorem, ad veriorem et aequabiliorem ſcalae interpolationem ex cogitandam.

TOMVS IV. qui ad annum 1773. pertinet, plenus eſt diligenter et accurate ſcriptis commentationibus, de quibus vnam Valchii hiſtoricam, de Homeritis, recenſebimus; reliquas, cuiusuis generis lectoribus Commentariorum relicturi. Cum fatorum, quae Homeritae, qui magnam olim Arabiae felicis partem ad fauces maris Erythraei tenebant, Saeculo VI. experti ſunt, monimenta varia, non modo diuerſa inter ſe, ſed etiam per bina fere ſaecula ſenſim e bibliothecis eruta, ad eruditorum manus peruenere, fieri vtique non potuit, quin antiquiores Scriptores multa ignorarent, quae patrum noſtraque memoria inueſtigata accuratius in lucem protracta ſunt. Separarunt ſaepe, vt fieri

Digitized by Google

fieri ſolet, viri docti, Scriptores, quos coniungere debuiſſent, atque adeo ſinguli ſuos quaſi duces ſecuti, in diuerſas contra veritatem ſententias iuere. Erant tamen etiam nonnulli, qui cum laude ſumma in explicanda hac hiſtoriae particula verſarentur, quorum facile fuere Principes, *Ioſeph. Simon Aſſemannus, Petrus Rahebus, Anglicani hiſtoriae vniuerſalis conditores, Daniel Ritterus, Michael Lequien*, atque *Paullus Ern. Iablonſkius.* His vero tam praeclare de Homeritarum hiſtoria meritis Scriptoribus ſuo iure aſſociandus eſt ſumme vener. Valchius, cuius hoc Tomo contentae docte et accurate ſcriptae commentationis potiora excerpturi ſumus capita:

CHRISTIANI GVIL. FRANC. VALCHII *Hiſtoria rerum in Homeritide, Saeculo ſexto, cum a rege Iudaeo contra Chriſtianos, tum ab Habeſſinis ad hos vlciſcendos geſtarum.* Scriptorum de Homeritarum rebus tres celeb. auctor claſſes conſtituit, Graecorum, Syrorum, Arabum, primumque locum defert Graecis, non quidem quod magis perite et ſcienter aliis de his dixerint, aut fide eos antecellant, ſed quod vnice primi lecti et vſurpati fuerint. Primo ergo laudantur acta martyrii S. Arethae et Sociorum, a Simeone Metaphraſte graece ſcripta, cuius fuſa enarratio, vitio temporis, quo vixit, variis de miraculis, adparitionibus, vocibus coelitus auditis, commentis exornata eſt, adeo vt Antonius Pagius recte contradixerit Baronio adfirmanti, Metaphraſtem actis Arethae nullam aliam adhibuiſſe operam, quam vt ea ex auctore integerrimae fidei exſcriberet. Poſt haec acta eſt Procopius, qui aetate inter Graecos principatum tenet; cui iungitur Nonnoſus, coaeuus, isque legatus ab Imperatore Iuſtiniano ad Aethiopas, Homeritas, Saracenos, aliosque Orientis populos. Huius iniuria temporum deperditae hiſtoriae fragmenta nonnulla ſeruauit Photius,

Digitized by Google

Homeritarum hiſtoriae illuſtrandae etiam ſeruit *Theophanes.* In annalibus enim ſuis rerum Byzantinarum mentionem fecit inter Homeritas geſtarum rerum, facileque videre eſt, vſum fuiſſe actis Arethae vetuſtioribus, nonnihil diuerſis ab illis, quae adhibuit Metaphraſtes. Qui vero Theophanem ſequuti ſunt auctores, Ioannes Malala, Georgius Cedrenus, Ioannes Zonaras, atque Nicephorus Calliſtus, quique monimenta vetuſtiora, non ſine errore, perturbatione ordinis, ſupinaque negligentia, deſcripſerunt, merito ab auctore contemnuntur.

Syrorum, qui de Homeritis ſcripſere, princeps nominatur *Simeon Betharſenſis*, ceteros acumine vera videndi multum ſuperans. Eius proſtat epiſtola de Homeritis martyribus ad Simeonem Gabulae abbatem ſcripta anno Graecorum 835. d. 20. Canuni, qui Latinorum, Ianuario reſpondet. Ex hac vero epiſtola intelligitur, Simeonem vna cum Abrahemo a Iuſtiniano ablegatum fuiſſe ad Mundarum Arabiae regem, pacis conciliandae, atque foederis cum eodem conſtituendi gratia. Secundus Syrorum ab auctore laudatus ſcriptor, aetate Simeoni ſuppar, *Ioannes* eſt Aſiae epiſcopus, idemque commentariorum hiſtoricorum auctor, in quos non tantum Simeonis epiſtolam retulit, ſed eidem etiam partim praemiſit, partim ſubiecit, quae ad rerum illa tempeſtate in Homeritide geſtarum ſeriem pertinent. Atque has particulas annalium, quos condidit Ioannes, vna cum Simeonis epiſtola, ſolus Dyoniſius Patriarcha, ſub finem Saeculi VIII. celebris, ſeruauit.

Quod tandem attinet ad Arabes de Homeritarum rebus ſcriptoribus, non negat quidem Valchius, inſignem eorum numerum in praeſtantiſſimis Europae bibliothecis aſſeruari, pleroſque tamen viros doctos ſatis habuiſſe, excerptas ex Arabum monimentis particulas, modo latine, modo gallice,

ce, deſcribere. Et functus eſt hac opera primus Eduard. Pocokius, qui ex commentariis *Abulfedae*, *Algiannabii*, *Achmedis Ibn Ioſeph*, aliorumque, ſeriem regum prouinciae Gemanae, h. e. Arabiae felicis, Hamyarienſium ſiue Homeriticorum compoſuit. Eodem fere tempore *Abrahamus Echellenſis* edidit ſupplementum Chronici orientalis, hauſitque ex *Iſmaele Sciahiuſciah*, *Mashudio*, atque *Benſahna*. Poſt Pocokium et Abrahamum, etiam Bartholomaeus Herbelotus, in Bibliotheca orientali, nonnulla profert, quae in Arabum monimentis de Homeritici Imperii reique chriſtianae fatis inuenit, quamuis diſperſa admodum, et gallice conuerſa. Litteras vero orientales multum promouit *Albertus Schultens*, quod primus nonnulla Arabicae hiſtoriae monimenta formis litterarum curauit deſcribi, morte quamuis impeditus coeptum opus ad finem perducere non potuerit. Manſere ergo exempla libellorum excuſorum, nullo titulo, nulla praefatione ornata, et perpetuae quaſi obliuioni tradita. Sed obtinuit hos libellos amici cuiusdam Belgae beneuolentia Ioannes David Michaelis, inter Goettingenſes illuſtris, atque Valchio tandem vſum eorum conceſſit.

In his autem ineſt I. Hiſtoria Imperii vetuſtiſſimi Ioctanidarum in Arabia felice, ex *Abulfeda* Saeculi XIV. ſcriptore fidei laude nobiliſſimo. II. Hiſtoria Imperii vetuſtiſſimi Ioctanidarum in Arabia felice, ex *Hamza Ibn Elhaſan Hiſpahanenſi*, qui Saec. X. floruit. III. Hiſtoria Imperii vetuſtiſſimi Ioctanidarum in Arabia felice, ex Nuueirio Saec. XIV. claro. IV. Hiſtoria euerſi Imperii Ioctanidarum in Arabia felice, ex *Taberita*, ſiue ex Commentariis *Abu Giafar Mohammed Ibn Iezid Taberita* deſumta, qui ſub initium Saec. X. floruit, et inter praeſtantiſſimos hiſtoriae Arabum ſcriptores communi eruditorum iudicio numeratur. V. Hiſtoria euerſi regni Ioctanidarum in Arabia felici ex libro

Me-

Meſoudii; ſiue *Mashudii* qui, Saeculo decimo medio obiit. Titulus huius libri eſt: *prata auri, et fodinae gemmarum.*

Sane, qui non plane hiſtoricarum rerum congoſcendarum viae rationisque expers eſt, facile laudem S. V. Valchio conceſſerit maxime meritam, tot Graecorum, Syrorum, et Arabum monimentis legendis, inuicem comparandis, fabuloſis commentis a vero, certis ab incertis, disiungendis; cuius operae taedii plenae fructum et acceſſionem ad hiſtoriam, pars huius commentationis poſterior exhibet. Atque ex hac diſcere licet: ſub Iuſtino I. co tigiſſe cladem *Negranenſem*, et Chriſtianorum vexationem omnem ſub *Dſunovaſo*, conſentientibus fere Graecis omnibus, *Simeone Betharſenſi*, atque Nonnoſo, non etiam repugnantibus Arabibus, qui eam ad *Cavadis* tempora referunt. In dubio vero relinquendum, annone 522, an 523, an vero 524 contigerit *Dſunovaſi* perſequutio. *Elesbaani* profectionem in Homeritidem breui poſt tempore, adeoque ſub *Iuſtino*, contigiſſe probabiliter, non repugnante *Procopio*, vt quidem viſum eſt nonnullis, *Procopio* et *Arabibus* fides habenda, adfirmantibus, *Abraham* non ſub Iuſtino, ſed ſub Iuſtiniano regnum Homeritarum occupaſſe; ſed incertum eſſe, quot annorum interuallo *Abrahae* contra *Ariatum* ſiue Hemiſiphaeum ſeditio ab *Elesbaani* bello contra *Dſuncvoſum* disiuncta fuerit; licet Arabibus non deneganda videatur fides, contendentibus, illum ante mortem Cauadis eueniſſe. Veriſimile tandem eſſe, Seiphum ſub exitu Regis Coſrois Habeſſinos ex Arabia eieciſſe; eſſe hoc quidem loco rerum ſeriem admodum turbatam, adeo vt vel expeditionem Meccanam anno Muhamedis natali contigiſſe, vel Abrahae filios poſt eum multis annis regnaſſe, vel Coſroem Homeritas ſibi ſubieciſſe, negandum ſit.

IN-

INSTITVTIONES ASTRONOMIAE SCIENTIArumque coniunctarum, Gnomonices, Chronologiae, Geographiae, artisque nauticae, Scholis priuatis adcommodatae: Auctore IOH. FRIDER. HENNERT.

Traiecti ad Rhenum, apud Abr. van Paddenburg, Academiae Typographum 1778.

Non eſt profecto tanta copia compendiorum explicandis ad captum diſcentium veritatibus diuinae Aſtronomiae, hactenus conſcriptorum, vt opuſculum celeb. Auctoris inter ſuperflua reponi debeat. Mole quidem exiguum, quale etiam ex conſilio auctoris eſſe debuit, vbertate tamen rerum pertractatarum, prudenterque inſtituto ſelectu, vehementer ſeſe commendat, quanquam lenem admodum et fugitiuam fere paſſum eſt cenſuram; quo factum fuit, vt infinitis propemodum typorum erroribus contaminaretur. Totam autem pertractationem nouem capitibus A. inſtituit, praefixis fere cuilibet iis obſeruationibus, quibus huc ſpectantia theoremata, et problemata, horumque demonſtrationes ac ſolutiones nituntur. Dogmata, quae rationem temporis ſpectant, cum a theoria Solis aeque ac lunae pendeant, vno eodemque capite, quod fieri commodo potuiſſet, non continentur, ſed per duo de Sole et luna dis-perſa leguntur, atque in his potiſſimum ad numeros in Dionyſiana et Iuliana periodis animus attendendus eſt.

Eſto nimirum $y = \frac{A\,x}{B} + f$, atque inuenienda eſt quan-

 titas

Digitized by Google

titas, quae in aequatione pro x ſubſtituta, numerum integrum producat. Quodſi numerorum A et B poſſibilia ſunt duo multipla, quorum differentia in vnitatem recidat; ſane A, et B non poſſunt non eſſe primi inter ſe, cuius quidem rei ratio ſatis obuia eſt. Conſtitui ergo debent ſucceſſiue quotientes, annotatis quoque reſiduis, eo prorſus modo, quo communis menſura maxima inueniri ſolet. Calculi forma haec eſt:

$$\frac{B}{A} = a \ldots R$$

$$\frac{A}{R} = b \ldots r$$

$$\frac{R}{r} = c \ldots p$$

$$\frac{r}{p} = d \ldots 1$$

Cum etiam quoduis reſiduum aequetur diuidendo minus producto ex diuiſore in quotum; facile hinc deducere licet aequationes ſequentes.

$$1)\ R = B - a\,A$$

$$2)\ r = A - b\,R$$

$$3)\ p = R - r\,c$$

$$4)\ 1 = r - d\,p$$

Et ſi in his aequationibus, prima manente *inuariata*, fiant requiſitae ſubſtitutiones valorum iam determinatorum;

Digitized by Google

rum; oriuntur ſuis coefficientibus diſtinctae aequationes aliae. Nimirum.

1) $B - aA = R$

2) $(ab + 1)A - bB = r$

3) $(bc + 1)B - (abc + a + c)A = p$

4) $(abcd + ab + ad + cd + 1)A - (bcd + b + d)B = 1.$

Quae aequatio exhibet numerorum A et B multipla, quae nonniſi ſola vnitate differunt. Ad intelligendam autem legem, ſecundum quam coefficientes numeri minoris B conſtituendi ſint, ſcribantur quotientes eo ordine, quo fuere inuenti, in verticali ſerie, factum ex primo quotiente in vnitatem ſcribatur e regione quotientis ſecundi infra vnitatem, Secundus quotiens ducatur in terminum ſecundum alterius ſeriei, et facto addatur primus terminus ſecundae ſeriei, qui vnitas eſt, atque haec ſumma ſcribatur loco tertio ſecundae ſeriei, h. e. e regione quotientis tertii. Iterum ducatur hic quotiens in terminum tertium ſeriei ſecundae, addatur praecedens terminus, ſumma ita conſtituta exhibet terminum e regione quarti quotientis ſcribendum: e. ſ. p. vti ex ſubiecto calculi Schemate patet, quod tale eſt

a 1

b . . . . a

c . . . . $ab + 1$

d . . . . $abc + a + c$

$abcd + ad + cd + ab + 1.$

Adtenta aequationum contemplatio docet, multipla minoris numeri A in aequationibus ſecunda, quarta, aut generatim in aequationibus numero loci paribus, maiora eſſe multiplis numeri maioris B, quemadmodum in reliquis aequationibus multiplum minoris minus eſt multiplo maioris. Numerus porro aequationum conſtanter ſequitur numerum inuentorum quotorum, vt ſi quoti fuerint numero pares, etiam deriuatae inde aequationes, pares, et ſi e contrario quotorum numerus fuerit impar, etiam aequationes impares ſint oportet.

Multiplum numeri A aequationis vltimae paris ductum in f, eademque quantitate priuatum, exhibet differentiam diuiſibilem per numerum alterum B. Vltima nimirum aequatio $(a\,b\,c\,d + a\,b + a\,d + c\,d + 1)\ A - (b\,c\,d + b + d)\ B = 1$ facta transpoſitione reducitur ad $(a\,b\,c\,d + a\,b + a\,d + c\,d + 1)\ A - 1 = (b\,c\,d + b + d) B$, quod ſi iam tota aequatio ducatur in f, $(a\,b\,c\,d + a\,b + a\,d + c\,d + 1)\ A\,f - f = (b\,c\,d + b + d)\ B\,f$; oppido patet vltimum membrum eſſe multiplum numeri B, perque hunc ipſum ſine omni reſiduo diuiſibilem, quamobrem quoque membrum primum, vtpote differentia multipli A ducti in f ab eodem f, vtique per B ſine reſiduo diuidatur oportet ſi coefficiens numeri A aequationis finalis paris ducatur in f, factum per B diuidatur, reſiduumque per A multiplicetur; factum inde ortum, et quantitate f mulctatum, offert multiplum numeri A. Exhibeat coefficiens aequationis quartae, ductus in f, et per B diuiſus quemcunque quotientem Q, erit ſane reſiduum ipſe ille coefficiens ductus in f, mulctatus facto ex diuiſore in quotum, h. e $= a\,b\,c\,d\,f + c\,d\,f + a\,b\,f + a\,d\,f + f - B\,Q$. Ducatur ergo hoc reſiduum in A, et ſubtrahatur f, orietur $(a\,b\,c\,d + c\,d + a\,b + a\,d + 1)\ A\,f - f - A\,B\,Q$, cumque non tantum $(a\,b\,c\,d + c\,d + a\,b + a\,d + 1)\ A\,f - f$, ve-

verum quoque factum $A B Q$ per B ſine reſiduo diuidi poſſit; neceſſe etiam eſt, tota differentia ſit perfecte per B diuiſibilis. Ita etiam, ſi aequationis vltimae imparis, numeri A coefficiens ducatur in f, factumque per B diuidatur; reſiduum ductum in A, priuatumque quantitate f, itidem dabit multiplum numeri B. Hoc etenim caſu $p = 1$ itaque $(b c + 1) B - (a b c + a + c) A = 1$ aut $(b c + 1) B = (a b c + a + c) A + 1$. Sit ergo quotus ex diuiſione $\frac{(a b c + a + c) f}{B} = Q$ erit reſiduum $= (a b c + a + c) f - B Q$, ducatur nunc in A, atque quantitate f augeatur, fiet $(a b c + a + c) A f + f - A B Q$. Per ſe vero patet $(a b c + a + c) A f + f$ eſſe multiplum quantitatis $(a b c + a + c) A + 1 = (b c + 1) B$, ac quoniam B metitur perfecte quantitatem $(a b c + a + c) A + 1$, metietur reuera et eius multiplum, atqui B metitur ſimul $A B Q$; itaque pronum eſt ad intelligendum, quantitatem B metiri quoque debere integram differentiam $(a b c + a + c) A f + f - A B Q$.

Quodſi porro coefficiens numeri A, aequationis finalis imparis ducatur in f, factumque ita ortum diuidatur per B; reſidui a numero B differentia ducta in A, ac priuata quantitate f, etiam adhuc exhibebit numeri B multiplum Reſiduum ſcilicet conſtanter aequale eſt $(a b c + a + c) f - B Q$, quod ex B ſubtractum offert differentiam $= B + B Q - (a b c + a + c) f$, quae tandem in A ducta, ſimulque quantitate f mulctuta, vertitur in $A B + A B Q - (a b c + a + c) A f - f$. Enimuero B metitur quantitatem $(a b c + a + c) A f + f$ non tantum, verum quoque $A B + A B Q$, quin itaque et horum membrorum differentiam $A B + A B Q - (a b c + a + c) A f - f$ metiatur, nullatenus dubitandum.

Tandem adhuc eiusdem quantitatis B multiplum obtinetur, ſi coefficiens numeri A in aequatione finali pari ducatur in f, et factum per B diuidatur ac reſidui a numero B differentia multiplicetur per A, tandemque quantitate f augeatur. Eſt etenim tale reſiduum nihil aliud, quam $(abcd + ab + ad + cd + 1)f - BQ$, cuius differentia a quantitate $B = B + BQ - (abcd + ab + ad + cd + 1)f$, quae ſi ducatur in A, tandemque quantitate f augeatur; ſiſtet $AB + ABQ - (abcd + ab + ad + cd + 1)Af + f$. Et $(abcd + ab + ad + cd + 1)A - 1 = (bcd + b + d)B$, metitur ergo numerus B quantitatem $(abcd + ab + ad + cd + 1)A - 1$. conſequenter eius quoque multiplum $(abcd + ab + ad + cd + 1)Af - f$; metitur vero etiam $AB + ABQ$, quamobrem euidens eſt, B quoque metiri horum membrorum differentiam $AB + ABQ - (abcd + ab + ad + cd + 1)Af + f$. Vt ergo intelligatur, vtrum $\frac{Ax + f}{B}$ admittat minimum valorem x ad obtinendum facta ſubſtitutione numerum integrum, opus inprimis eſt reductione, qua facta, niſi fuerint A et B primi inter ſe numeri, nulla ſpes eſt obtinendi quaeſitum.

Quodſi autem A et B requiſitam habuerint conditionem, h. e. ſi fuerint numeri inter ſe primi, tum inueniendus eſt ante omnia coefficiens aequationis vltimae, inuentus ducendus in f, tandemque factum diuidendum per quantitatem B. Atque hic duo potiſſimum conſiderari debent:

1) Reſiduum ex tali diuiſione per B dabit valorem quantitatis x, quotiescunque quotorum numerus par, et f negatiuum fuerit; aut etiam, ſi fuerit quotorum numerus impar, f vero poſitiuum.

2)

Digitized by Google

2) Reſiduum ex diuiſione per B ſubtrahendum ex B, tumque obtenta differentia ſiſtet valorem x, ſi fuerit quotorum numerus impar, f vero negatiuum, vel ſi quotorum numerus par, f contra poſitiuum fuerit.

Videamus ergo de numeris apud auctorem §. 328. ſqq. ſintque inueniendi tres eiusmodi conditionis, vt primus poſſit perfecte diuidi per 19. et 15, diuiſus contra per 28, relinquat vnitatem, Secundus per 28, et 15 perfecte, at per 19. diuiſus, iterum relinquat vnitatem, tandem tertius per 28, et 19. diuiſus, nihil relinquat, vnitatem contra exhibeat, diuiſus per 15.

Atque euidens eſt, primum numerum eſſe debere multiplum numerorum 19 et 15, per quos perfecte diuidi debeat. Sunt et primi inter ſe, vt adeo $19 \times 15 = 285$. minimum illorum ſit multiplum; ducatur in x, cumque diuiſus per 28 relinquere debeat vnitatem; ſequitur fore $\frac{285\,x - 1}{28}$ integrum, et ſi fiat actu operatio, prodit quotus $10\,x + \frac{5\,x - 1}{28}$ ſuntque itidem 5. et 28. primi inter ſe, et adeo quaeſitum haberi poteſt. Quaerendus itaque in hanc rem coefficiens vltimus numeri 5, Nimirum

$$\frac{28}{5} \ldots 5 \ldots 3$$

$$\frac{5}{3} \ldots 1 \ldots 2$$

$$\frac{3}{2} \ldots 1 \ldots 1$$

Obti-

Obtinentur ergo tres quoti, cumque f quod reſpondet 1 ſit negatiuum; de methodo adhibenda dubitari iam nequit. Ad inueniendum autem coefficientem numeri A ſeu 5, diſponendi ſunt quotientes ſequenti forma:

$$
\begin{array}{l}
5 \ldots 1 \\
1 \ldots 5 \times 1 = 5 \\
1 \ldots 5 \times 1 + 1 = 6 \\
\quad\quad 6 \times 1 + 5 = 11.
\end{array}
$$

Et vltimus coefficiens prodiit 11, qui ductus in f dat factum eundem adhuc numerum 11, et ſi per B = 28 diuidatur, exhibet reſiduum 11, quod ex B ſubtractum relinquit 17. Quodſi iam A ducatur in 17, prodit vtique $\frac{85 - 1}{28} = \frac{84}{28} = 3$. Ideoque $x = 17$, numerusque primus quaeſitus $= 285 \times 17 = 4845$.

Porro $\frac{28 \times 15 \times x - 1}{19}$ numerus integer eſſe debet et aequalis $22\,x + \frac{2\,x - 1}{19}$ vbi coefficiens quaeſitus 9 eſt, reſiduum vero etiam 9, cuius a 19. differentia $= 10 = x$. Igitur $\frac{2 \times 10 - 1}{19} = \frac{20 - 1}{19} = \frac{19}{19} = 1$ indeque $420 \times 10 = 4200$.

Hac methodo tandem pro numero tertio determinabitur $x = 13$ atque $532 \times 13 = 6916$.

IMAN.

Digitized by Google

IMAN. IO. GERH. SCHELLERI PRAECEPTA ſtili bene latini, inprimis Ciceroniani: ſeu Eloquentiae Romanae, quatenus haec noſtris temporibus in dicendo. et ſcribendo vſurpari poteſt, ſumma diligentia, maximoque perſpicuitatis ſtudio tradita et illuſtrata: PARS PRIOR.

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch, CIƆIƆCCLXXIX. forma octaua, paginae 487.

Quemadmodum in republica bene conſtituta, legibus vel ſapientiſſimis ac prudentiſſimis, mores ciuium plerumque parum reſpondent, niſi inſitum atque innatum virtutis ſtudium, ſcelerumque fuga, legum auctoritatem vſumque iuuet, atque ſtabiliat: ſic in ciuitate literaria praeceptorum bene latine ſcribendi exquiſitiſſimorum copia, de qua non eſt quod quis conqueratur, non eam vim habere videtur, vt etiam multi doctorum, praeceptorum non ignari, pulcre latine ſcribere ſciant, niſi felicitas ingenii, et innata quaſi atque inſita quaedam in ſcribendo facilitas, nec non cum auctoribus claſſicis a longo inde tempore contracta familiaritas, exercitatio denique diligens, et continua, accedant, efficiantque, vt praecepta inter ſcribendum ſua ſponte ſuccurrant, eorundemque vel non conſulto hoc vel illo legum Codice, vel praeceptorum libello, auctoritas rata maneat, vſusque conſtet. Repugnante enim natura, praeſtantiſſima praecepta parum vel nihil valere, ipſa experientia docet. Nec ſeniores praecepta ſibi dari facile patiuntur, vel quod ſe ſatis bene atque adeo optime ſcribere nullo negotio ſibi perſuadent, vel quod quam ſemel ingreſſi ſunt viam relinquere, ac, cui ab ineunte aetate aſſueti ſunt ſcribendi genus rationemque mutare, nimis moleſtum atque difficile arbitrantur. Quamuis multi noſtro tempore libri ſcribantur de optima agri colendi ratione, pauci tamen

men agricolarum reperiuntur, qui hos libros legere curent, exempla potius aui maiorumque in agro colendo ſequentes. Eadem ratio eſt praeceptorum ſtili bene latini, quae iuuenibus viam tritam atque vulgarem oſtendunt, qua facultatem bene latine ſcribendi aſſequi, et ſe ad exemplum ſcriptorum claſſicorum aliquo modo componere poſſint, a viris doctis, praeſertim lectioni veterum innutritis, non curantur, inprimis quum praecepta eadem ſemper ſint, maneantque leges ſcilicet certae atque definitae, et ſi vel centies repetantur, noua modo veſte induta, aliisque forſan et verbis magis perſpicuis ornata, exemplisque aliis illuſtrata appareant. Inde mirari non ſatis poſſumus, Schellerum V. Cl. elegantiorum litterarum exacta ſcientia probe imbutum, *praecepta ſtili bene latini* exponentem, commodis iuuenum inprimis inſeruire nolle, ſed hunc librum dicaſſe non tironibus, vt facile pateat, ſed prouectioribus, omnibusque iis, quibus fortuna non dederit in adoleſcentia priſcos ipſos, maximeque Ciceronem, accurate perlegendi, eque huius libris ſtili bene latini cognitionem iuſtam hauriendi, inprimis tamen magiſtris. Niſi enim omnia nos fallunt, iſta praecepta ſtili bene latini iuuentuti in ſcholis vel publicis, vel priuatis verſanti, maxime ſcripta videntur, vt duce idoneo magiſtro ea accuratius percipiant, quae in libellis vulgaribus vel plane neglecta, vel minus perſpicue tradita reperiuntur, vt multas minutias bene latine ſcribere cupienti obſeruandas, atque in legendis bonae notae vocabulis, iisque apte iungendis, caute prudenterque verſandum eſſe intelligant, vt denique a peruerſo multorum iudicio auocentur, opinantium, *bene latine ſcribere* nihil aliud eſſe, quam vocabula Ciceroniana e regulis vulgaribus grammaticis coniungere.

Quod ſi igitur iuuenes legendo hoc libro eo peruenient, vt cognoſcant, ſtilum bene latinum notionibus praeclaris, ac praeclare connexis, facultateque ideas perſpicue, grauiter, ſuauiterque exprimendi, cerni, ſeque nulla alia ratio-

tione, quam ea, quam Cicero aliique Veterum ſecuti ſunt, facultatem bene latine dicendi ſcribendique recte certoque acquirere poſſe, operae profecto praeclarae Schellerum doctiſſimum nunquam poenitebit. Erunt forſan qui putent, his praeceptis modo bonum oratorem inſtrui atque formari, cum ſint *praecepta eloquentiae Romanae, quatenus haec noſtris temporibus in dicendo et ſcribendo vſurpari* vel adhiberi *poteſt*, ſed cum eloquentia deſcribatur quod ſit *facultas de re perſpicue, ſuauiter, et grauiter dicendi*, omnes boni ſcriptores, non oratores modo, ſed et hiſtoriei, et philoſophi, et poetae, ſunt et dicuntur eloquentes, eoque nomine ars bene latine ſcribendi quam maxume commendatur. Quis enim non amet eloquentiam, quis non magni faciat. De huius eloquentiae vel facultatis bene latine ſcribendi virtutibus, perſpicuitate, ſuauitate, et grauitate, Vir Praeclar. poſteriori parte huius Operis ſe diſputaturum, earumque acquirendarum exercendarumque rationem exemplis Veterum oſtenſurum eſſe, promiſit, cum pars prior modo vocetur *praeparatoria*, atque inſtrumenta modo eloquentiae exponat, vel vocabula, de quorum *ſcriptura, vſu, ordine, variatione, copia* et *breuitate*, decem capitibus agitur, ita vt non vane, nec temere Vir doct. profiteatur, praecepta ſumma diligentia, maximoque perſpicuitatis ſtudio, tradita et illuſtrata eſſe.

Capite igitur primo vnam modo regulam eſſe docetur, ex qua vera vocis ſcriptura colligi poſſit, *etymologiam*, quam tamen non in omnibus vocabulis notam nobis eſſe dolendum ſit. Huic vero etymologiae non vbique expeditae vicariam quodam modo operam praeſtare analogiam, auctoritatem graecorum, et proſodiam, paucis oſtenditur. Ad rectum vocabulorum vſum, de quo Capite ſecundo agitur, pertinet, vt vocabula ſint *bona*, h. e. vſitata, *apta*, i. e. cogitationes ſingulas plane exprimant, ac ſibi inuicem quoque recte reſpondeant, denique recte intelligantur, ita vt ſcias, quae notiones iis vere a priſcis ſubiectae fuerint, quaeque ſit prima vocabuli notio, ex qua ceterae commode deriuari poſ-

 ſint.

ſint. Huius rei optima magiſtra videtur eſſe frequens et accurata ipſorum priſcorum lectio, quae quidem quomodo inſtituenda ſit etſi non docetur, auocamur tamen a peruerſo more legentium, qui vbiuis elegantias, in ſingulis quoque verbis, ſibi reperire videntur. Quum enim id modo ſit *elegans*, quo pulcritudo idearum adiuuatur vel augetur: inter fictas elegantias iure meritoque referuntur; *a*) *phraſis pro verbo ſimplici poſita*, v. c. *amore teneri pro amare*; *b*) *vſus rarioris vocabuli vel phraſeos*, ſic Erneſtius in Claue Cic. *vt* ſcribit, *eleganter dicitur etiam cum ſuperlatiuo ſequente*; ita Cic. Offic. I, 5. Haud dubie ſcribere voluit *recte*, *ſine vitio*; *c*) *ordo verborum pro lubitu traiectus, vel potius diſtractus et diſcerptus*. Quod Erneſti, vir ſummus, in Init. rhetor. §. 301. *in adiectiuis elegans eſt*, ſcribit, *cum a ſubſtantiuis diuelluntur*, v. c. hoc eſt ad fructum vberrimum, *pro* hic eſt fructus vberrimus: in eo nihil elegantiae ſe reperire poſſe doct. Schellerus fatetur, cum aeque elegans ſit, *hoc efficit fructum vberrimum*, et *fructus* prius cogitetur quam *vbertas*; *d*) *commutatio partium orationis*, quae fit temere et ſine reſpectu idearum; v. c dicunt *eleganter ſubſtantiuum mutari in participium*, Erneſti Init. rhet. §. 307. Recte quidem, ſed non eleganter, h. e. *pulcre*, quia ideae non pulcriores redduntur iſta forma. Quod poſterius cum et Erneſtium ipſum aeque ac Schellerum perſpexiſſe arbitremur, videtur nobis Erneſtius elegantiam iis tribuiſſe, quae auribus ipſius numeroſius ſcripta viderentur, meliusque placerent; *e*) *adiectio alius vocabuli*, qualem vulgares magiſtri et libri crepant, ſummatim breuiterque praecipientes, *eleganter hoc vel illud vocabulum adiicitur.* At iniuria fieri videtur et magiſtris et libris crepantibus. Quamuis enim Heineccius e. c. §. 20. n. 4. ſcribat *eleganter ſuperlatiuis addi quisque*, nulla ratione adiecta, nec Gesnerus quicquam refutandi cauſa addat: vtrique tamen in ea fuere opinione, vt putarent, magiſtris idoneis hoc relinquendum eſſe, vt doceant diſcipulos, quid iſta adiectio vel ad perſpicuitatem, vel ad ſuauitatem orationis, conferat; *f*) *omiſſio vocum vt, ab* et aliquis

quis *aliquid, aliqui*, ante relatiuum Pronomen. Cum vero doct. Schellerus exempla in his elegantiam reperiri dicentium commemorare neglexit, merito de hac elegantia dubitamus. Solent enim magiſtri puerulis dicere, *vt* omittitur ſaepius poſt *velim, rogo fac* etc. idque vſus loquendi ita fert; nec verbulum quidem addunt. Quum, vt recte vocabulis vtaris, non prima modo ac propria, ſed etiam translata vocis notio, illiusque praecepta tenenda ſint, nec non verba ſingula coniungendi ratio obſeruanda, ad ſimilitudinem et diſſimilitudinem linguae vernaculae et latinae attendendum videatur: praeclar. Schellerus non de tropis ſolum breuiter et accurate egit, ſed etiam multa praecepta Grammaticae Langianae, de coniunctione vocum, et conſecutione temporum, faciliora, magisque perſpicua reddere ſtuduit, vt et nonnullos germanismos fugiendos notauit, quae ab iis legi malumus in ipſo libro, quibus haec ſcitu putantur neceſſaria, quam iis commemorandis lectorum patientia abuti.

De vocabulorum ordine cum fixo, tum pendente ab ordine enunciationum, capite tertio ita agitur, vt cum exempla huius ordinis afferantur, tum Romanos eo ordine ſeruando perſpicuitati maxime conſuluiſſe, mutando cum grauitatis, tum ſuauitatis rationem habuiſſe, moneatur. Ratione ordinis enuntiationum, de quo capite IV. agitur, enunciationes cauſales, conditionem, locum, tempus indicantes, nec non conceſſiuae, exceptiuae, relatiuae, praeponi iubentur: quia tamen ordinem iſtum ſaepius mutatum repe: imus, etiam huius rei cauſas vt indagaret Clar. auctor operam dedit. Quid ſit, et quotuplex periodus, quidque proſit, capite V. docetur, exempla periodorum e priſcis proferuntur, de enuntiationibus apte inferendis, earumque inueniendarum ratione, praecepta dantur, cautiones denique aliquot adiiciuntur. Potiores hae ſunt: *Omnis interiecta enuntiatio aptam habeat ſententiam*, quam adeo veram atque perſpicuam putamus, vt neminem facile ei repugnaturum credamus. *Periodis vbique uti non debemus*, ſed etiam per inciſa, ſeu commata et mem-

bra, ſeu cola, ſcribendum ac dicendum eſt. *Periodi ne ſint longiores, inprimis in dicendo, enuntiatio denique inſerenda debet eſſe breuior ea, cui inſeritur.* Cum periodis arcte cohaeret numerus, qui a doct. Schellero c. 6. ſic definitur, vt *certa* ſit *et aequalis menſura vocabulorum et enuntiationum earum quae ad ſe inuicem referuntur, atque ita vnum Totum conſtituunt.* Iſte numerus triplex eſſe dicitur, cum enuntiationes, vbi contextus fert, ſibi aequales ſint in certis verbis ſibi inuicem reſpondentibus, poſterior pars enuntiationis diſſectae ſit aequalis inſertae, verborum denique compages, quae totam ſententiam claudit, proximeque antecedit, diſtinctioni maximae vel praecedenti ſit aequalis, vel ſaltem haud nimis breuis. Iſta ſingula exemplis illuſtrantur. Ad numerum praeterea duo requiri, auctor eſt Cicero: primum, vt vltimum totius periodi vocabulum ſit paulo longius, et inprimis penultimam habeat longam; alterum vt numerus non videatur coactus ac ſtudioſe quaeſitus, quod inprimis metuendum, ſi numeros poeticos orationi immiſcere volumus. Qua ratione connectere conſueuerint priſci, cum ſingula vocabula eiusdem generis per copulam *et*, per repetitionem vocabuli praecedentis, per *vt* (aduerb.) ſequente *ita*, per *vel neque*, tum enuntiationes aliasque verborum complexiones, vel maiores, vel minores, capite VII. exemplis docetur.

De variis modis eandem rem vel ſententiam exprimendi, ſeu de commutatione nominum, verborum, ac particularum, nec non variatione conſtructionis grammaticae, Schellerus V. Cl. ita diſſerit cap. 8. vt ſimul quosdam fontes huius commutationis aperiat, quibus cognitis, vocabulo quodam non ſtatim ſuccurrente, aliud, et interdum aptius, adhibere poſſis. Quum copia atque vbertas non modo orationem magis perſpicuam reddat, ſed et ad grauitatem ſuauitatemque plurimum conferat, atque duabus in rebus cernatur, cum in eo, vt pro vno vocabulo duo vel plura ponantur, tum in eo, vt pro vna enuntiatione duae vel plures adhibeantur: de vtroque, capite nono ita diſſeritur, vt primum copiam in di-

Digitized by Google

dicendo exiſtere doceatur, ſi addatur vni vocabulo aliud, coniungendo cauſam et effectum, antecedens et conſequens, totum et partes, genus et ſpecies, affirmans et negans, ſubſtantiuo adiiciantur adiectiua vel participia, verbum mutetur in participium, addendo aliud verbum, finitum in infinitum, repetatur idem vocabulum, vel circumſcribatur per definitionem, partitionem, comparationem; dein de copia in enuntiationibus agatur, quae, quibus e fontibus oriatur, accurate atque copioſe oſtenditur. Adiiciuntur his quaedam non inutilia de pleonasmo, ſeu redundantia vocabuli, et vera et ficta, vtriusque exempla laudantur. Non redundant *quod-ſi*, quod enim connexioni ſeruit, *quisque* iunctum ſuperlatiuis; *ſcribendum putaui* indicat me cum *conſilio* ſcripſiſſe; *fac* eas, fac eſt excitantis, rogantis; *vero* in principio nonnullarum Ciceronis epiſtolarum, *vero* enim, profecto, certe; *non is ſum qui negem*, grauius quam non nego; *isque, idemque*, explicat et auget; *ſi quis*, pro qui, illud enim modeſtius dictum; *quid eſt quod* pro cur, ponitur ob grauitatem; *amabo, quaeſo, obſecro*, et *malum*, ſunt enim verba blandientis, rogantis, et indignantis.

Copiae contraria eſt virtus breuitas, quae cum in ſingulis verbis, tum in enuntiationibus reperitur, de qua vtraque paucis Schellerus V. Cl. extremo capite expoſuit. Vno vocabulo ſaepe duo poſſunt vel plura vocabula comprehendi, e. c. *ita* pro *hoc exitu, effectu*, nonnunquam pro *hac conditione*, vt et pro *hactenus, ſeu hac reſtrictione, qui* pro *vt ego, vt tu*, pro *qualis* praecedente *is*, h. e. *talis*, pro *cum is*, pro *cum ego, is*, et pro *nam ego*. Saepe quoque vocabulum omittitur, ita vt eius defectus non compenſari debeat, quia ob vſum loquendi, et contextus rationem, intelligi poteſt. Quo pertinent ea, quae de ellipſi praecipiuntur, cuius exempla hic quidem nonnulla laudantur, ſed ea vt proferamus nemo lectorum facile deſideret. Breuitas dicendi in enuntiationibus, cernitur primum in eo, vt vel vno, vel ſummum duobus vocabulis, tota enuntiatio exprimatur. Huius generis

neris vocabula ſunt: *at*, obiectionibus inſeruiens, *quod* pro quod attinet ad id, *ita* formula iurandi, *quicunque* vernacula lingua *wer es auch ſey*, *vtinam* pro quantopere optandum eſt etc. Saepe vna enuntiatio plane omitti poteſt ac debet, id quod fit in ſyllogismo, cum ponitur conſequens pro antecedente, in narrationibus denique, vbi multa vel e praecedentibus poſſunt colligi. Quum vero in breuitate dicendi magna cautio ſit adhibenda, ne in ambiguitatis vel obſcuritatis vitium incurramus, quod Plinio accidit, excrementa lib. VII. hiſt. nat. *praefandum humorem* appellanti: nobis quoque cauendum videtur, ne breuitate neglecta patientia lectorum abuſi putemur, praeſertim cum vniuerſum librum a capite ad calcem percurrentes, et veſtigia Cl. Schelleri prementes, noſtro nobis conſilio ſatisfeciſſe videamur. Fatemur quidem, multa ſatis nota atque trita, quaſi ignota, magna verborum pompa inculcata, anguſtioribus finibus coerceri potuiſſe: at V. Cl. tam amans fuit perſpicuitatis, vt ei omnia poſtponenda cenſeret, modeſteque rogat lectores, vt quaecunque inueniant ſatis nota atque facilia, ea non ſibi, ſed aliis ſcripta arbitrentur. Suauiſſimum vero erit doctiſſimo huius libri auctori, ſi intelligentibus placuerit ea, quae in hoc libro deſiderent, vel correctione digna iudicent, per literas communicare, cauſasque iuſtas annectere. Nobis quidem iſta ratio, de quodam libro iudicandi, et optima, et modeſtiſſima videtur, certoque credimus fore, vt liber iſte vtiliſſimus, ac magna cura et diligentia conſcriptus, multorum intelligentium laudes plauſumque ferat, quod quoque Praecl. Schellerum ſine dubitatione incitabit, vt et alteram partem, de virtutibus latini ſtili, perſpicuitate, ſuauitate, et grauitate, eadem diligentia elaboratam, quam primum fieri poterit, prodire iubeat, eaque ratione otii ſui egregios fructus adoleſcentes ac viri grata mente percipere poſſint.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLXXV.

DISPVTATIONES HISTORICAE AD VITAS Pontificum Romanorum, ab Antonio Sandino conſcriptae, eiusque poſtumis curis retractatae atque auctae.

Ferrariae 1771. pl. 19, octonis.

Quae hoc libro continentur diſſertationes, hae ſunt: 1) de Petro, cui Paulus Antiochiae reſtitit; 2) de Cathedra Petri Antiochena; 3) de Cathedra Petri Romana; 4) de primo ſucceſſore Petri, et Cleto diuerſo ab Anacleto; 5) de Victore anathema Aſianis minitante; 6) de primo Imperatore Chriſtiano; 7) de Stephano, baptiſma haereticorum probante; 8) de Concilio Plenario Auguſtini; 9) de Martyrum multitudine in primaeuis Chriſtianorum perſe-

Digitized by Google

cutionibus; 10. 11) de Azymo Latinorum et Graecorum; 12) de Baptiſmo Conſtantini M. 13) de hiſtoria Paphnutii; 14) de Symbolo quicunque; 15) de Gregorii M. inſtituto monaſtico; 16) de precibus eiusdem pro Traiano; 17) de Gregorio II. contra Leonem Iſaurum; 18) de translatione Regni Francorum auctoritate Zachariae Pontificis; 19) de falſa Synodo ſub Hadriano, circa ius eligendi Pontif. R. et inueſtituras concedendi Epiſcopis; 20) de Conſtitutione Ludouici Pii ad Paſchalem I. Etſi fatendum eſt, magnam partem has diſputationes de rebus agere, quibus noſtris temporibus nihil tritius, nec fere quicquam dici poſſe in hoc genere noui et exquiſiti; vt videatur vix operae pretium facere, qui eiusmodi argumentum tractet, maxime cum res per ſe parum graues ſint, et exigui momenti, qualis fere pars eſt harum diſputationum: tamen non eſt negandum, poſſe iſtarum rerum cupidos, ſi minus iis commodum eſt libros virorum doctorum, qui de his rebus commentati ſunt, comparare et euoluere, recte hoc libro vti; qui breuitate inſigni iudicia eruditorum complexus, fontes, ex quibus hauriendum eſt, fere omnes indicat. Sandinus multis annis ante, vitas edidit Pontificum Romanorum, ex antiquis monumentis deſcriptas 1748. qui liber in Germanis bis repetitus, quartum prodiit Ferrarae, cura ipſius autoris emendatus atque auctus, duobus voluminibus *in 8.* laudandus omnino ſi non in ſingulis, tamen in vniuerſum, ob rationem quam ſecutus eſt autor in tractandis iis rebus. Paullo ante ediderat; Hiſtoriam familiae ſacrae et Apoſtolorum: ſed hiſtoria Epiſcoporum Romanorum intentius eius ſtudium poſcere viſa eſt; quam vt illuſtraret et perpoliret, et, ſi qua in vitarum concinnitate minus copioſe tradita eſſent, ſuppleret, (fuiſſet alioquin regula migranda, quam in iis ſcribendis ſibi propoſuerat,) nouum opus molitus eſt, et propoſito ſuo abunde ſatisfecit: iis tamen, a quibus diſſentit, quod Romanas partes ſequitur, non ſemper ſatis

ae-

Digitized by Google

aequus. Vniuerſam eius rei tre&tationem orſus eſt a duodecim diſputationibus, in totidem argumenta conſcribendis: his auctis et emendatis, vt iam, quod ipſe dicit, paene nouae habendae ſint, octo alias adiecit eiusdem generis; forte etiam plures daturus in reliquam Pontificum hiſtoriam. Autorem ſi ſpectes, hominem inuenies in veterum monumentis, e quibus hiſtoria ſacra petitur, verſatiſſimum, et qui non minori diligentia recentiorum libros euoluerit Ad 1) Quidam, reuerentia forte ducti, Apoſtoli, alium atque illum, Cepham ſeu Petrum eſſe voluerunt, cui Paulus Antiochiae reſtitit; et fuerunt qui hunc Petrum in ſeptuaginta diſcipulos referrent, idem et Clemente Alexandrino faciente in opere Hypotypoſium deperdito. Sandinus, quibus vtraque pars ſuam ſententiam fulciret argumentis, ea ſedulo collegit, et refutauit. 2) refellit eos, qui Petrum Romanam Eccleſiam prius condidiſſe quam Antiochenam perhibent, nominatim Panuinium; et 3) quosdam Proteſtantium, qui Petrum vnquam Romae fuiſſe negant. Nos in neutro ab autore diſſentimus: tantum liceat nobis, quid videatur originem dediſſe opinionibus de vtroque Petri Epiſcopatu, disquirere; ſperamus enim, huius diſputationis vtilitatem in plura loca redundaturam. Duplici fere argumento Petri Epiſcopatus Antiochenſis aſſeritur. Illum enim huius vrbis eccleſiam fundaſſe: quod etſi maxime concedamus, cum ſit incertiſſimum, tamen hoc non magis illud quod quaerebatur efficitur, quam eo, quod eius eccleſiae curam geſſerit Apoſtolus. Obſecro enim, quot Paulus eccleſiarum Epiſcopus fuiſſet? At quis hoc vnquam dixit. Apoſtoli fecerunt quidem Epiſcopos, nec tamen ipſi fuerunt: quibuscum ne confunderentur ſedulo cauerunt, dum ſe ab iis diſtinguerent, perinde ac Doctores etiam ab Epiſcopis diſtinxerunt, Presbyteri enim et Epiſcopi proprie non ſunt Doctores. Atqui veterum quidam dixere, Petrum ſeptem annos Antiochiae ſediſſe: inde ſedes Petri Antio-

chena, inde καθέδρα, perquam ridicule: vox enim καθῆσθαι, ſedere, nihil aliud ſignificat, quam alicubi verſari, morari; ita accipiunt Graeci, ita Scriptores N. T. Act. XVIII, v. 11. Paulus dicitur annum ſex menſes Corinthi ſediſſe; nemini tamen in mentem venit, Paulum ideo primum Corinthi Epiſcopum habendum eſſe, nedum καθέδραν aliquam eius eſſe Corinthiacam. Patet inde, neglecto ſenſu verborum graues errores emergere, paſſim pro vero obtrudendos. 5) Autor omni vi anniſus eſt, vt Victorem Epiſcopum ab inuidia liberaret, quod eccleſiis orientalibus, quia eodem cum Iudaeis die Paſcha celebrarent communione cum ſuis interdiceret: et mire ſe torſit vt demonſtraret, haec minas tantum fuiſſe Pontificis, id nunquam facturi. Sed verbis, ſua ſponte in contrariam ſententiam teſtantibus, aperte vim attulit, reclamante vniuerſa lingua. Autori an conſtiterit, litem non de feſto Paſchatis agitatam eſſe, ſed de coena illa tum Chriſtianis ſolemni, qua appoſito agno Paſchali Iudaeos imitabantur, parum liquet; latine quippe ſcribenti non difficile erat hoc diſſimulare, neque titulo huius diſputationis ſatis claro; vt ab omni ſuſpicione liber eſſet. Sed ea ipſa vocis Paſchae ambiguitas, et quod de feſto intellecta eſt, errores produxit ſequenti tempore perridiculos; velut, ſi Paſcha Iudaicum in diem dominicam cadat, Chriſtianis, cum ille dies ſolemnis ad idem feſtum ſit, religioſum eſſe alium deligere. 6) Primum inter Imperatores Conſtantinum Chriſtianum fuiſſe, idque falſo a veterum quibusdam de Philippo perhiberi, eruditis ſatis conſtat; nec opus eſt vlteriore probatione, cum Pagius rem extra omne dubium poſuerit, a paucis iam legendus: is quae notauit, Sandinus diligenter in vſus ſuos conuertit. 7) Stephano I. Epiſcopo crimini datum eſt; quod haereticos, ſi relicta Haereſi ad Catholicos redeant, promiſcue ſuſciperet, nec iterum baptizaret, etiamſi antea hoc ſacro non rite initiati eſſent. Defendit eum ab his obtrectationibus

bus Sandinus; fortaſſe non iniuria: errat tamen in eo, quod Stephanum putat reſtrinxiſſe illud decretum his verbis: „ſi quis a quacunque haereſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in poenitentiam.“ At nihil eſt apertius, quam ſenſum eſſe: cum haereticis nihil eſſe nouandum, niſi quod iis, pro veteri conſuetudine, manus imponendae ſint: nec quidquam aliud ex verbis „niſi quod traditum eſt“ elici poteſt; neutiquam iis de recepto quodam ritu baptiſmi explicandis. Quae ſequitur 8) de Concilio Auguſtini Plenario, priori coniunctiſſima eſt. Orta inter Stephanum et Cyprianum lite de baptiſmo haereticorum, Concilium illud, quod Auguſtinus ſaepe plenarium vocat, ſecundum illum ſententiam dixit. Iam quaeritur quale illud ſit? ſunt qui Arelatenſe dictum putent a. 314. alii Nicenum vniuerſale. Res ab vtroque tractata eſt et deciſa, ab illo plene et expreſſe, ab hoc, vt tantum illius decretum confirmaretur. Si quis forte legit quae Launoius de ea re ſcripſit, mallet illud Arelatenſe putare: at perlectis iis quae Autor in eam rem attulit, vix aliquis ſibi temperare poterit, quin Nicenum fuiſſe exiſtimet. Concilium hoc Plenarium Auguſtinus aliis locis vocat concilium cunctarum gentium, item catholicum orbis terrarum; quod proprie dici de Arelatenſi non poteſt: quamquam parum referat, anne hoc ipſum plenarium dici poſſit, inuenimus enim, Auguſtinum et alia concilia plenaria vocare, quae proprie non erant vniuerſalia, ſed tum reſpicit dioeceſin cuiusdam gentis, nunquam addito „orbis terrarum, omnium gentium.“ 9) Hic contra paucitatem martyrum Dodwellianam diſputatur, aſſerta eorum multitudine. Quae Pagius ad annum 272. et Ruinartus in opere de Actis genuinis martyrum, contra illam ſententiam dixerunt, iis potiſſimum Sandinus vſus eſt: hic itaque omnia inuenies, quae optime contra Dodwellum diſputata ſunt. Caeterum, ſi quis veterum orationem ex vſu iudicet, non

Digitized by Google

viliſſimo quoque lexico, velut norma dicendi, conſulto: nae ille deprehendet, nihil decerni poſſe in alterutram ſententiam, quo altera prorſus euertatur: nec minus ſpecioſe allegatur pro Dodwello locus Origenis e l. III. contra Celſum, vbi dixit; numerari poſſe qui ob nomen Chriſtianum morte multati eſſent. Ad haec Sandinus parum ſcite: reſpici ſuperſtites, ad hos enim referri mortuos. Nec de perſecutionum diuturna ſaeuitie, recte laudat legem illam antiquam de peregrinis religionibus, qua Chriſtiani ſemper perſequendi fuerint: nam lex ea non niſi Romanos tenuit, et vrbem, ne, peregrinis ſuperſtitionibus introductis, iis ſeſe pollucrent. Ita ſacris Iſidis et Cybeles abſtinuerunt Romani, etſi Romam inuecta eſſent. 10. 11) Priori, Latinam Eccleſiam azymis ſemper vſam eſſe in ſacra coena, probare conatur; quamquam viri doctiſſimi, ipſeque adeo Sirmondus, aliter exiſtimauerint: autor et ipſe habuit quos ſequeretur eruditos, non tamen optimae notae, verbisque interdum vim attulit, nominatim fermento, vt dulce redderet. Neſcio an vlla ſententia, ſi primam et antiquiſſimam eccleſiam ſpectes, tam abſona fuerit, quam illa de azymis. Quoties enim conuenerunt homines, at factum eſt fere quotidie, ad ſacra et communes epulas, quin ſimul ſolemnem illam ſacramque coenam celebrarent? cuius rei cauſa magna panis copia a conuenientibus collata eſt, vt quod ſupereſſet pauperibus cederet, qui ſine dubio placentis veſci debuerunt. Altera fatetur Sandinus, Graecos pane fermentato vſos eſſe, licet his maiori ſtudio illum non fermentandum forte curauerit; quod iam Honoratus tentauit, Gallus, in explicationibus regularum critices, eiusque vſu; Autori non prorſus inutilis, qui Graecos perhibet vsque ad Saec. VII. pane azymo vſos eſſe in ſacris. Iis potiſſimum argumentis innixus, quod Epiphanius dicat, Ebionitas talem in ſacra coena apponuiſſe, non ſecus ac fideles: deinde, quod Armeni eodem vtantur, conſuetudine ex ipſo ortus

ſui

ſui tempore ducta, in Saec. IV. cadentis. Inde enim pa-
tere, Graecam tum eccleſiam non alio vſam eſſe. Tandem,
quod Michael Cerularius. (Saec. XI.) Patriarchis obiiciat,
Hieroſolymitano et Alexandrino, quod interdum panem
non fermentatum adhibeant in ſacra coena: inde colligi
poſſe, ante ſchisma inter orientales et occidentales, homi-
nes non eiusmodi pane abſtinuiſſe; nec tamen tum omnes
eccleſias eam conſuetudinem religioſe conſeruaſſe. Quae
argumenta bona ſunt, nec laborant; atque vltimum clare
indicat, nihil certi de ea re in veteri eccleſia definitum
fuiſſe, donec lex ſanciretur. Aeuo Apoſtolico, huicque
proximis temporibus, cum nondum in templis Chriſtiani
ſacram coenam celebrarent, ſed domi ſuae, veſperi, poſt
conſuetam coenam, vix fieri potuit, quin panis adhiberetur
vulgaris et fermentatus. Sed de his iam nihil attinet: le-
gant, quae contra hanc ſententiam diſputata ſunt, quibus
commodum eſt. Pauca tantum de Philopono dicamus, qui
perhibuit cum multis aliis, Chriſtum agnum paſchalem non
vno eodemque cum Iudaeis die comediſſe, adeoque non
azymo vſum. Obiectio, quae inde aduerſus Sandini ſen-
tentiam oritur, non recte refellitur, ſi eccleſia orientalis
dicitur credidiſſe, Ieſum huius coenae ſolemnitatem cum
Iudaeis celebraſſe, azymorum tempore. Quidni dicamus;
ſin Chriſtus contra legem agere nollet, etſi pridie quam Iu-
daei ſacrum illud celebraret, tamen ei panem adhibendum
fuiſſe non fermentatum. Caeterum Sandinus certò defi-
nire non audet, quo tempore vſus panis fermentati vulgo
obtinuerit. Putat tamen id ſaeculo ſexto medio contigiſſe,
autore Iohanne Ieiunatore, vt eo magis a latinis diſcrepa-
ret. 13) Partes ſequitur eorum, qui Socratis de Paphnu-
tio narrationem, aduerſante vitae clericorum caelibi, ſu-
ſpectam reddiderunt. Prolatis primum argumentis Baro-
nii et Bellarmini, quae his oppoſitae ſunt Natalis Alexan-
dri rationes tentauit, et 16) eundem obiurgauit, quod
Atha-

Athanaſium, Symboli cognominis autorem fuiſſe negaret, eiusque argumenta refellere conatus eſt. Sed mirum ſane, virum doctum arripuiſſe veterem opinionem de autore huius Symboli, eamque quouis modo tueri: num parum eſt, ſi quis largiatur, illo doctrinam Athanaſianam contineri? Galli quidam Theologi, cum Launoio Epp. VII, 7. Natalis Alexander, Gregorii II. cauſam ſuſceperunt; ex eius ad Imperatorem litteris demonſtraturi, illum Leoni Iſauro non ſacris interdixiſſe, neque ab eius obſequio ciues alienaſſe, vt falſo creditum ſit: qui hanc ob rem ſtatim notatus eſt a Cenſoribus Hiſtoriae eccleſiaſticae, non minus a Sandino carpendus et refutandus. Cauſa in promtu eſt, cur Gregorium defendi aegre tulerint homines, vt ut aliquis exiſtimet ita labem abſtergi a Pontifice, quae ſine dubio Launoii et Alexandri pietas fuit. Cur enim negligerent inſigne documentum Pontificiae in Principes licentiae? Hos ſcilicet ita plectendos eſſe, fidemque ipſis et obſequium negandum, ſi male et iniuſte agant; nullum enim ipſis ius eſſe peccandi, vt Romanus Catechiſmus ait. Atqui Leonem Iſaurum, cum tabulas et ſigna tolli iuberet, poteſtate ſua abuſum eſſe; et coecum videre, talem Pauli ſententiam eſſe de obſequio erga magiſtratus, Sandinus dicit. Quam belle! Non minus lepide 18) aduerſus eundem Natalem, qui forte reuerentia ductus, vt honorem haberet Zachariae et Stephano, mire laborauit vt eos liberaret Childerici regno moti infamia, contendit, eos omnino huius facinoris autores extitiſſe. Argumento eſſe duo loca, alterum petitum ex antiquo codice, ſubſcriptionem, de anno 767. quae illud clariſſimis verbis exprimat; alterum ex apologia Ludouici II. ad Baſilium Imperatorem, queſtum, quod is nomen Imperatoris ſibi vindicaſſet. Hic aperte fatetur Ludouicus, in maiores ſuos, Roma, primum regnum Francorum, deinde Imperatoriam dignitatem profectam eſſe. At nos facile concedimus Autori; nec Natalis legitime rem

pro-

probauit, ſed ingenio indulſit. Caeterum, an hoc Pipinus et poſteri fateantur nec ne, parum refert: potuerunt, ne ipſi perduelles eſſe viderentur, autoritatem praetexere Pontificis: at eos rem per Epiſcopos geſſiſſe certum eſt, magno ſuo dedecore; quamuis aliter ſentiat autor. 19) Locum impugnauit Sigeberti notiſſimum, ad annum 773. vbi Carolus dicitur expugnata Papia Romam perrexiſſe, concilioque interfuiſſe, quo ipſi ius datum ſit Romanum Pontificem eligendi, et epiſcopos per omnes prouincias inueſtiendi; quem locum et Gratianus excerpſit. Sandinus, vt haec ſuſpecta redderet, adeoque vi probandi exueret, operam dedit, exempla ſecutus aliorum; Gratianus ergo nihil eſt, niſi ineptus conſarcinator. Ex argumentis, quae exilia protulit, nec ponderoſa, tantos ſpiritus ſumſit, vt aperte dicat, pudere Proteſtantes, ſi qui cordati ſint, defendere hunc Sigeberti locum. Sed non eſt quod erubeſcant. Mirum eſt, quod Vir doctus editionem Miraei omiſerit, vbi totus iſte locus expunctus eſt: dixit is enim ſe vſum eſſe exemplo quodam peruetuſto, Gemblacenſi, ſi non ipſius Sigeberti manu, certe a primo exemplo deſcripto. Inde locus ſuſpectus eſſe eruditis coepit. At Miraeo, odii in Proteſtantes acerbiſſimi, ſtudii erga Pontificem praeferuidi, quae fides habenda ſit, non videmus. Potuitne, nam in reliquis exemplis eſt omnibus, locum omittere, etiamſi in hoc antiquo libro inueniret? Vltimo loco de diplomate agitur, quo Ludouicus I. Paſchali I. Pontifici, tum anteceſſorum largitiones confirmaſſe, tum eas nouis auxiſſe fertur; primum edito illo a Sigonio, pactum confirmationis dicto, dein e Baronio aliisque repetito, et collectionibus Conciliorum, Capitularibusque Baluzii, inſerto. Genuinum illud eſſe, tum a Proteſtantibus negatum eſt, tum a viris inter Catholicos doctiſſimis dubitatum. Inter hos eſt Pagius, cuius obiectiones in Critica Baroniana ad. a. 817. dum

Digitized by Google

ordine refutauit Sandinus, nihil omiſit, quod vnquam a Pontificiis, ad aſtruendam eius fidem dictum eſt.

XENOPHONTIS OPVSCVLA POLITICA, EQVEſtria, et venatica, cum Arriani libello de Venatione. Recenſuit et explicauit IO. CAR. ZEVNIVS, Prof. Gr. Litt. Viteb.

Lipſiae ſumtibus Caſpari Fritſch 1778. Alph. 1. pll. 4.

Xenophontis libellis, qui hic eduntur, defuerat adhuc editor, qui eos ſeparatim ab aliis illuſtrandos, perpurgandos, et ea forma modoque, quo iuuenes litterarum Graecarum amantes in iis legendis adiuuarentur, ſuſcepiſſet curandos. Hoc cum intellexiſſet *Zeunius* V. Cl ratus rem vtilem et gratam ſe facturum eſſe amicis, cum omnino Graecorum librorum, tum Xenophonteae terſiſſimae et ſuauiſſimae orationis, animum adiecit operi, quanta poſſet diligentia curaque perficiendo. Continentur autem hoc volumine: *Xenophontis* de Lacedaemoniorum, itemque de Athenienſium republica libelli: de reditibus ſiue vectigalibus ciuitatis Athenienſis augendis: de re equeſtri libellus: de magiſtri equitum officio: de venatione. Cum igitur animaduertiſſet, hos libellos prae ceteris Xenophonteis, et negligentia librariorum, et Welſii aliorumque intempeſtiuis interpolationibus, deprauatos eſſe, circumſpicienda ſibi et paranda putauit Critices ſalubriter exercendae idonea praeſidia. Manuſcriptos codices adhibere non licuit, ſed editiones conſuluit et comparauit, cum primas et principes, tum

tum reliquas deinceps, quae e ſuperioribus ductae eſſent. In his Iuntinam, omnium, vt ſcribit cum Erneſtio noſtro Praefatione ad Memorabilia Socratis, primam, Florentiae anno 1516. impreſſam e Codice ſcripto, vt adeo ipſius ſcripti codicis auctoritatem habeat. Sed duplex ei vitium eſt: non enim omnes tenet Xenophontis libros; abeſt autem de Ageſilao libellus, Apologia, de Vectigalibus, et de republica Athenienſium tantum particulas habet: in locis quoque multis toti deſunt verſiculi. Haec editio in Bibliotheca Senatoria Lipſienſi ſeruatur. Aldinam, anni 1525. in qua melioris vt videtur codicis ſcripti ope, quae ab Iuntina abſunt, praeter Apologiam, ſuppleta ſunt, ſublatis quibusdam etiam prioris illius vitiis, bibliotheca Academica Lipſ. Paullina ſuppeditauit. Iuntinam alteram a. 1527. non tractauit, praeſertim cum mera ſit iteratio Aldinae, vt teſtantur qui ea ſunt vſi. Ex editionibus, quae in Germania prodierunt, praeter eam quae Halae Sueuorum cum Melanthonis praefatione prodiit, et Iuntinam priorem vbique ſequitur, Baſileenſes editiones commemorantur. In his ea, quae praeter Melanthonis, etiam aliam praefatiunculam habet adiunctam, in qua Caſtalionis ſtudio ſignificatur textum eſſe ab erroribus purgatum; tum Brylingerianae tres, annorum 1545, 1555 et 1568. quas ad Graecam orationem Xenophontis conſtituendam nil momenti afferre ſcribit, quod nimirum harum editionum priores Halenſem fere ſequantur, poſterior Caſtalionis textum referat. Contulit etiam eas editiones, in quas noua recenſio textus illata eſt, Stephanianam vtramque, Leunclauianas item duas, et Welſianam. Prioris tamen Leunclanianae, et Pariſinae quae ex altera Leunclauiana facta eſt, quum eas vſu critico carere putaret, rationem non habuit. Denique vſus eſt Lipſienſi editione libellorum de vtraque republica, nuper ab Cel. Moro adornata.

Digitized by Google

Caeterum, ſi quis iſta compararet cum his, quae de editionibus Xenophontis idem narrat Morus V. Cl. in praefatione ad Xenophontis Graecam hiſtoriam, aliquam is diſcrepantiam reperiat. Aldina enim ibi Venetiis 1503. curata, omnium prima commemoratur; tum vero Brylingerianae, eaque potiſſimum, quae de anno 1555. eſt, omnino neceſſaria eſſe perhibetur ad originem recenſionis Stephanianae et Leunclauianae inueſtigandam, in qua nimirum legantur, quae iſti e libris ſe protuliſſe fateantur. His eum praeſidiis ita vſum fuiſſe accepimus, vt in iudicanda et examinanda lectionis varietate, ſi caetera, nempe linguae leges et vſus Xenophonteus, permitterent, ſemper ei praeponderare Iuntinae et Aldinae prae ceteris auctoritas videretur. Si neutra praebebat probabilem lectionem, Caſtalionem potius, quam admodum dubiae fidei Stephanum, ſequi maluit. Ad huius enim et Leunclauii coniecturas tum demum compulſus eſt, cum certioribus auxiliis careret. De ſuis ipſius coniecturis in texta verborum nihil intulit, niſi forte bis terue, in cauſſa ſummae neceſſitatis, et perſpicuitatis euidentiſſimae. Vid. de Rep. Athen. 2, 7. Hipparch. 1, 11. Sed etiam Brodaei lectionibus vſus eſt, quae in eius in Xenophontem Annotationibus, Baſileae anno 1559. editis, oppido raris, et exquiſitae doctrinae refertiſſimis, inueniuntur. Veterum quoque Grammaticorum, Pollucis inprimis, et reliquorum, citationibus et auctoritatibus, in conſtituendis paſſim locis, et Xenophonte ſibi reddendo, vtendum putauit. Vid. v. c. de Venat. Cap. V.

In his tot ac tantis rei bene adminiſtrandae praeſidiis, tamen interdum aut nihil certi, quod ſequeretur, habuiſſe, aut aliqua ingenii proferendi cupiditate excitatus fuiſſe videtur, quod arbitramur intelligi poſſe ex adnotationibus, in quibus ad coniecturalem rationem ſe facilem ac procliuem eſſe demonſtrat. Alia in iis bene explicat ex vſu Graecitatis

tis

tis exquiſitiore, alia tamen admiſcet notiora, et in iis libellis explicata, qui ad cognoſcendam et perſpiciendam vniuerſae linguae indolem ac conſuetudinem confecti ſunt. Hinc illud, quod omnibus vbique paginis Vigerum, et illic adnotata ab Hoogeueno atque ſe, nec id in difficilioribus tantum, ſed ſaepe in obuiis, idque non ſemel, ſed multoties, velut in Infinitiuo pro Imperatiuo, intellecto δεῖ vel χρὴ poſito, citet. Ab H. Stephani quidem Theſauro ita pendet, vt ſi quid declarandum et confirmandum ſit, aut ibi poſitis defungatur afferendis, aut inde, quibus opus ſit, peti iubeat. Virorum doctorum obſeruationibus, exceptis Doruillianis ad Charitonem, quarum crebra mentio ſit, fere abſtinuit; cum tamen intelligatur ab omnibus, qui in hoc genere ſtudii et doctrinae exercentur, non omnes omnino Graecae linguae opes ac diuitias vno Vigeri libro comprehendi.

In libro de re equeſtri Latinos quoque ſcriptores, Virgilium, Varronem, Columellam, Palladium, comparauit, ſed interdum tamen eorum verba, eo, quo minime oportebat, retulit. In equo *breues auriculas et arrectas.* Varro R. R. 2, 7. *aures breues et argutas* Palladius 4, 13. laudat: Xenophontis libro citato I, 11. ad equini capitis formam fingendam, ὦτα μικρότερα requirit, an igitur in Palladio *acutas* ex Iſidoro legendum putemus? Poterat V. D. iſtam ſuſpicionem eſſe vanam diſcere e Virgilio Georg. III, 7. quo auctore Palladius iſta ſcripſit, nam et hic *argutum caput* equi deſiderat. At enim argutum non eſt paruum et breue, ſed *mobile*, quod crebro mouetur, iactatur, et agitatur, et eſt indicium alacritatis.

Curauit etiam Editor Cl. vt Atticam formam, ſicubi eſſet neglecta, vt fere fit, ab librariis, reuocaret. In vulgatis id Atticiſmis obſeruatum ſedulo, verbi cauſſa in du-

Digitized by Google

plici τ pro ϱ duplicato, in aliis his ſimilibus; in rarioribus vero iudicandis nonnunquam aberratum. Ἄσσα Ionicum et Homericum, nobis offertur de rep. Athen. 2, 17. at Attica et Xenophontea ratio ἄττα, vt opinamur, poſtulat. vid. Thomas Mag V. et ibi Interpp. p. 122. Porro, de re equ. 4, 2. vera lectio eſt ἐνσκιῤῥωθῇ; Caſtalionis tamen ἐνσκληρωθῇ ſpernendum eſſe non putat. Quomodo vero? Nam illud certe Atticum et exquiſitum eſt, hoc vulgare et ex gloſſemate. Vocabula στρυφνὸς et στιφρὸς Atticis promiſcue dicta fuiſſe, pro communi voce στερεός, e Grammaticis antiquis, inprimis e Gloſſis Platonicis Timaei, et Moeride, doctiſſimisque obſeruationibus ad illas quidem Ruhnkenii, ad hunc Pierſoni diſcitur. Quis ergo non putet Cl. editorem erraſſe, cum ad Xenoph. de Venat. 4, 1. ſcribit, verae lectionis, στιφρά, veſtigia latere videri in corrupto Pollucis (V, 10.) στρυφνά. Nulla enim corruptela in hoc et altero Pollucis loco agnoſci poteſt, in quo, quod alii Graeci plurimum vſurparint, nec ipſi Grammatici diuerſimode acceperint, id legatur. Κελεύμασιν apud Xenophontem ibid 6, 20. non ſolum ob veterum editionum auctoritatem retinendum videtur, ſed etiam ob Attici ſermonis conſuetudinem, quae κέλευμα poſtulat pro κέλευσμα, Hemſterhuſio obſeruante ad Ariſtophan. Plut. 430. — De lectionum delectu pauca monebimus. In libri de republ. Athen. fine haec leguntur: ὐδὲν ἐνθυμεῖσθαι ἀνθρώπυς, οἵτινες δικαίως ἀτιμῶνται, ἀλλ' οἵτινες ἀδίκως. Vellemus librorum veterum lectionem, ἀλλ' εἴ τινες ἀδίκως, reuocatam eſſe, vtique praeſtantiorem, vt ex iis apparet, quae docuit Abreſchius Dilucidatt. Thuc. p. 27. 354. etc. et in Obſeruatt. Miſcell. Nov. T. VI. p. 490. atque adeo praeferendam ei, quae originem debet Stephano. Haeſit etiam in verbo προσεσταλμένος. Id enim alicubi (ad de Re equ. I, 11.) ab προεσταλμένος diſtinguit, quaſi hoc ſit *correctus*, illud *applicatus*, alicubi vero (ad de Ven. 4, 1.) Stephano in Theſauro, vtrumque

in

in eadem poteſtate ſignificationeque ſumi credit. Nobis vero προσεσταλμένος vnice verum videbatur, *adductus*, *macilentus*, nec dubitaremus Stephanum in recipiendo προσεσταλμένα de Ven. 4. ſequi. Ibid. 6, 21. legitur: κύκλους πολλοὺς πυκνοὺς ποιούμενον: haec verba non inferenda vocula καὶ, nec mitiore explicatione, quaſi non rarum ſit, interdum duo vel tria participia, aut eiicienda voce πολλοὺς, tanquam gloſſemate. Nihil facilius et certius. Et πυκναὶ ἀποστροφαὶ dicuntur de Re equ. 9, 6. *crebrae et repetitae circumactiones*. De loco Republ. Laced. 3, 6. Longini monito et reprehenſione nobilitato, vulgaris eſt ſententia, in vitioſam lectionem incidiſſe Longinum, et pro ὀφθαλμοῖς legendum eſſe θαλάμοις, ex Stobaeo. Enimuero et Brodaeus in Xenophontis codicibus ὀφθαλμοῖς legi obſeruat, et ad Longin. de Subl. Sect. 4. nuper admodum eam Xenophonti vindicarunt Ruhnkenius et Toupius, partim quia antiquior Stobaeo, Aretaeus Cappadox, in libris alicubi ſuis ſic dixit, partim quia in ipſo Stobaeo Mſ. Hugonis Grotii, cuius excerpta ſunt in Bibliotheca Leidenſi, ſic legitur. Sed redeamus ad librum de venatione. Ibi igitur 5, 30. in leporini corporis deſcriptione commemoratur στῆθος οὐ βαρύτονον. Hoc ſiue *anguſtum*, ſiue *grauiter ſuſpirans*, vel *raucum* interpreteris, perinde fuerit, nec opus ſit legere βαρύστονον cum Stephano in Theſ. nec cum Cl. Zeunio βαθύστερνον, quod, vt arbitramur, vocabulum, nusquam reperitur, nec legibus linguae et rationis conuenienter fingitur. Ibid. c. 7, 4. verba ſunt: καὶ τὰ ἐντὸς ἄδικα γίγνεται Fauemus ſpreta coniectura Brodaei ἀδινά, aut ἀκιδνά, hoc defendi e Cyrop. 2, 2, 15. vbi ἅρμα δίκαιον et ἵπποι ἄδικοι leguntur. Sed propior erat Xenophontis locus de Re equ. 3, 5. vbi ἄδικος γνάθος occurrit, i. e. *equus cui pars maxillae mollis, pars dura eſt*. Modo ἑτερογνάθους dixerat. Caeterum hunc locum attigit Ruhnkenius Animaduerſſ. ad Xenophont. Memorab. Socr. 3, 4, 5. vbi de vocabulorum δίκαιος et ἄδικος poteſtate

ve-

veriſſime, et iuſto cum doctrinae apparatu, egit. At prorſus ſuperuacua eſt coniectura in Hipparch. I, 12. legendum videri pro μανικῶν ἱππωνειῶν, quo nihil rectius, νεανικῶν. Nouimus fruſtra viros doctos ſollicitare alium locum in Ageſil. 5, 4. ita, vt pro μανικὸν σωφρόνημα legi iubeant νεανικόν. Scimus enim, de vſu et ſignificatu vocis μανικὸς dubitare neminem, qui eum Iſocratis, Plutarchi, et Marci Antonini locis, Grammaticorum veterum, in his Thomae Mag. in voce μαίνομαι, explicationibus, eruditorum denique, veluti Caſauboni ad Plaut. Bacch. 4, 5, 1. ad Athenaeum p. 779 et Io. Henr. Maii Obſeruatt Sacr. 4. p. 12. ſſ. ſententiis comprobari cogitet. De voce autem νεανικὸς non Vigerus tantummodo erat laudandus, ſed, qui de ea copioſius et diſertius tradiderunt alii plures, inprimis Cl. Fiſcherus, in Indice et Proluſionibus Palaephateis.

Arriani libellum addere placuit, quod ad Xenophontem illuſtrandum valere videretur. Ad texta verborum ſuo more conſtituenda, vſus eſt Holſtenii editione tanquam prima, et Blancardi, lectionibusque eius e codice ſcripto excerptis, adhibitis H. Stephani ſchediasmatis. In eo libello c. 9, 1. verba ſunt: εἰ ἐπιστάξειε θαμινὰ ἐν ὕπνῳ. *Forte*, ait, *legendum* ἐπισφαδάξειε. *Nam hoc de corporis iactatione dicitur.* At cur non etiam de gemitu? nam veteres Grammatici interpretantur per στενάζειν, vid. Ruhnkenius ad Timaei Gloſſas Platon. p. 173. quod verbum huc vnice pertinet. Quare non dubitamus, quin aut legendum ſit ἐπιστενάξειε, in quo leuiſſima mutatione opus eſt, aut ἐπισφύξειε. Nam, vt Bochartus Hieroz. P. I. Lib. II. c. 55. docuit, σφύζειν eſt *turbari*, *iactari*,

ERN.

ERN. FRIDER. WERNSDORF TH. D. ET P. P. in Acad. Wittcberg. nouiſſimorum de anno nati Chriſti conatuum examen.

Dionyſium Exiguum, qui Saec. VI. Romae Abbatem egit et circa annum DXXV. primus numerare annos a natiuitate Chriſti docuit, minus recte ductis calculis aeram inueniſſe, quam natales Chriſti aliquot annorum ſpatio anteuertant, vna et conſentiens vox eorum eſt, qui ad eam rem ingenium adtulere. Sed inter hos ipſos magna eſt ſententiarum de vero anno diuerſitas. Nam hunc alii tertium, alii quartum, alii ſextum eſſe volunt ſuperiorem anno Vrbis conditae DCCLIV. Per Iul. 4714 ad quem annum Chriſti natales a Dionyſio relati ſunt. Nulla eſt harum ſententiarum, quae ab inuentore propoſita, non inuenerit plurimos adſtipulatores. Vni IOH. HARDVINO [a]), qui ſeptem annis citius natum Chriſtum eſſe voluit, nemo fuit qui adſentiret.

Longius Harduino progreſſus eſt nuper *V.r Celebr.* DOMINICVS MAGNANVS [b]), apud *Romanos Philoſ. ac Theol.* *Pro-*

a) In Antirrhet. p 65.

b) *Problemate* de Anno Natiuitatis Chriſti, vbi occaſionem offerente vetere Herodis Antipae nummo, in nummophylacio Clementis XIV. P. M. aſſeruato, demonſtratur, Chriſtum natum eſſe anno VIII. ante aeram vulgarem, contra veteres omnes et recentiores Chronologos, *Romae* 1772. in 8. mai. edito, S. *Vener.* ERNESTIVS *Biblioth. theol. nouiſſ.* T. III. p. 623. tractationis ordinem et modum enarrauit. Poſtea contra falſam illam ſententiam, qua maxime nititur *Magnanus*, de acto cenſu tempore nati Chriſti, oppoſuit *Progr. Natalit. Domin.* Lipſ. 1774. P. P. *Idem Vir ſummus*, quum cognouiſſet, libellum hunc Magnanianum a me fruſtra quaeſitum, eum pro humanitate ſua libenter mecum communicauit.

Digitized by Google

Profeſſor, qui annum Chriſti nati ponit octauum eſſe ante Dionyſianum. Huic ſe oppoſuit *Vir Clariſſ.* LVDOV. IOSEPHVS VHLANDVS, *Hiſtor. in Acad. Tubing.* P. P. c). Nec ſatis *Valando* fuit oſtendere, quid falſi haberet ſententia *Magnani:* ſed inſuper contendit, paullo confidentius fortaſſe, vt fere ſolent qui *Bengelio* ſunt addicti, quem ipſe praeeuntem ſequitur, annum quartum eſſe ante aeram vulgarem, quo exeunte ſit Chriſtus natus.

Minime conſilium nobis eſt reprehendere, quod nouum periculum factum eſt in ea re, quam viri tot et tanti fruſtra tentarunt, Baronius, Caſaubonus, Pagius, Petauius, Noriſius, Scaliger, Allixius, Langius, Capellus, Markius, Tillius, Basnagius, Bynaeus, Heineccius, Bengelius: quorum nonnulli etiam ipſi libere ſunt confeſſi, non hominis eſſe rem definire. Sed opportunum eſſe iudicauimus in praeſenti tempore, quo memoriam nati in his terris Chriſti feſtam colimus, liberalis notitiae cauſſa *nouiſſimos hos conatus de anno et die nati Chriſti* enarrare.

Satis intelligent, qui ad haec veterum pariter ac recentiorum ſtudia, natalem Chriſti curioſius inueſtigantium, aduertere mentem et animum voluerint, non temere aut caſu, ſed ſapientiſſimo Dei conſilio fieri, vt non poſſit res ad certum et liquidum perduci. Nempe voluit diuina ſapientia, vt et ſcriptorum ſacrorum ſimplicitas ac breuitas, de ipſo myſterio magis, quam de tempore nos docentium, a nobis debita reuerentia probaretur, et vt omni ſuperſtitioni, quae occupata eſt in diebus numerandis et eligendis, aditus praecluderetur.

Ne-

c) Diſput. hiſt. chronologica demonſtrante *Chriſtum anno ante aeram vulgarem IV. exeunte natum eſſe*, c. Celeberr. P. Dominicum Magnanum, *Tubing*. 1775.

IDEM eodem menſe Septembri *theſes inaugurales* XXI. vulgauit eiusdem argumenti, *hiſtorico chronologici.*

Digitized by Google

Neque enim vllius negligentiae aut ſocordiae arguendi ſunt Hiſtorici ſacri, quod non ſatis clare diſtinctéque annum et diem nobis indicarunt, et obſcurius loquuti effecerunt, vt difficillimum ſit, ipſorum narrationes cum hiſtoria profana, et cum iis quae ſcriptores eccleſiaſtici aetate proximi tradunt, in conſenſum redigere [d]). Non cogitarunt illi de noua aera conſtituenda: ideo non eos characteres chronologicos dederunt, qui careant omni difficultate.

Nam quod Chriſtus natus dicitur Auguſto Caeſare, diſceptatur, a quo principio ducendi ſint imperii eius anni, a caede Iulii Caeſaris, an a primo ipſius Triumuiratu [e]). Cenſus eo tempore actus, incertum eſſe aiunt, fueritne vnus ex iis, quorum in monumento Ancyrano tres ab Auguſto peracti memorantur, an minus: et vtrum actus fuerit per omnes imperii romani prouincias, an modo per Iudaeam Herodi M. parentem [f]). Viuo adhuc Herode M. re-

d) Sunt qui eam ob cauſſam priora capitis II. Lucae non ab ipſo profecta eſſe putent. LVD. CAPELLVS *in Comp. Hiſt. Iud.* Totus hic verſus, inquit, non eſt Lucae, ſed poſtea ab alio quodam minus perito fuit inſultus. Nomen Κυρηνίου ſcribarum incuria pro Κυϊντιλίου irrepſiſſe, ſibi perſuaſerunt *Pet. Dan. Huetius* et *Steph. Curcellaeus.*

e) Perfacile eſt hos imperii Auguſti computare annos, quia illi, qui ſcribunt natum Chriſtum eſſe Auguſti an. 41. a caede Iul. Caeſaris annos computant, h. e. V. C. 710. Inſequens annus eſt a primo eius conſulatu. Aera Antiochena, vt varii nummi Syriae praeſidum Vari et Silani demonſtrant, initium ducit a pugna Actiaca i. e. V. C. 723. quam ſequitur *Clemens Alex* Dominum ſcribens Auguſti an. 28. natum, *Stromat.* l. l. p. 407. edit. Pott.

f) Lucae verba, πᾶσα οἰκουμένη, multi putant ſignificare totum orbem romanum, atque adeo intelligendum eſſe cenſum generalem. Praecipue I. G. HEINECCIVS *de genuina natiuit. Chriſti aera* diſſ. pag. 29. multus eſt in eo, vt oſtendat, apud Lucam et in N. T. haec verba non aliter vſurpari, quam de orbe terrarum habitabili. Sed intelligitur ἡ οἰκουμένη ὑπ᾽. Ἰουδαίων. Auguſtus

rege Ieſum natum conſtat; ſed volunt alii, Herodem ſpatio trium menſium, alii trium annorum poſt, viuere deſiiſſe: omninoque varie de mortis Herodis anno diſceptant g). Qui

ſtus enim per omnes prouincias ſociosque reges, modo hic, modo illic, vt commodum erat, faciendas curauit deſcriptiones in vſum rationarii ſui: et iuſſu illius etiam hanc tempore nati Chriſti peregit Herodes, vt probe docuit ANT. BYNAEVS *de natali I. C.* p. 307. ſeq.

Ipſa quoque Lucae verba, ſi diligentius inſpexeris, planum et euidens reddunt, per πᾶσαν οἰκουμένην indicari non vniuerſam terram, quae finibus imperii romani continebatur, ſed eam omnem quae iſta tempeſtate in Iudaeam, Galilaeam, Samariam, et regionem transiordanicam diſtributa erat, Herodique regi parebat. Ideo igitur, quod haec tota regio deſcribebatur, neceſſe fuit Ioſephum e Galilaea tendere in Iudaeam. Et fuerunt omnes, qui vt deſcriberentur ibant, incolae terrae Iſraeliticae, non terrarum omnium Romanis ſubiectarum. Hinc recte IOH. IAC. HESS, *in der Geſchichte der 3 letzten Lebensjahre Jeſu ſammt deſſen Jugend* p. 29. ſcribit. *Auf Befehl Kaiſer Auguſts oberſten Schutzherrns von Paläſtina, muſste unter der Aufſicht K. Herodes itzt das erſtemal ein Namensverzeichniſs der judiſchen Unterthanen gefertiget werden. Dieſer Cenſus wurde, wie die ehemaligen öffentlichen Verzeichniſſe unter Moſe, David u ſ. w. nach jüdiſcher Art behandelt, daſs Stamm nach Stamm, Perſon nach Perſon, aufgeſchrieben wurde. Ob nun gleich das Land nicht mehr nach den 12 Stämmen abgetheilt war, ſo konnte man doch aus der Geſchichte und den Geſchlechtstafeln wiſſen, von welchem Orte man ſich herſchrieb. An ſolchen Orten muſte ein jedes Landskind zu einer ihm angewieſenen Zeit ſich einfinden, und daſelbſt ſeinen Namen u. ſ w. in die Regiſter eintragen laſſen. Welches in ſo einem kleinen Lande ohne groſse Beſchwerde der Einwohner vorgenommen werden konnte etc.*

g) Ad annum natiuitatis dominicae conſtituendum, permultum facit interuallum temporis, quod inter Chriſti natale et Herodis M. mortem interceſſit. Optimus in hac re auctor Ioſephus, annorum Herodis duplicem habet epocham, et numi filiorum Herodis in re hac difficili non negligendi, vehementer diſcrepant. Ieſum vere bimulum fuiſſe, quum Herodes moreretur, ex narratione de necatis ab ipſo infantulis Bethlehemi, col-

Digitized by Google

Qui Syriae praeſes nominatur P. Sulpit. Quirinus, cum conſtat Syriae praefuiſſe multis annis poſt, exacto iam Archelao Herodis M. filio, et Iudaea in prouinciam romanam redacta Syriaeque adtributa, id quod decem fere annis a morte Herodis factum eſt h). Alius character chronologi-

colligunt, nec tamen ſat certe. SAL. V. TILL purificationem Mariae cum morte Herodis coniungit: integro autem anno et ſex menſibus poſt Ieſum natum deceſſiſſe Herodem putat CHR. NOLDIVS *in Hiſt. Idumaea* ad calcem T. 2. Ioſephi Hauercamp.

h) Syriae praeſes viuo Herode quis fuerit operoſe inueſtigandum non eſt, propterea, quod eo tempore Iudaea nondum erat in prouinciam romanam redacta et Syriae appendicula facta, vt huius praefectorum epocham ſequeretur. Videtur Lucas, dum cenſum hunc memorat, in quo *nomina* tantum deſcribenda erant, et quem ipſe curabat Herodes, eum diſtinguere voluiſſe ab alio quodam cenſu *facultatum*, nobili ob tumultus, quos in Iudaea excitauit; quae res Quirino Syriae praeſide acciderat. Vt adeo apud Lucam illud πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος, non ſit πρώτη ἐφ᾽ ἡγεμονεύοντος, ſed προτέρα ἢ ἡγεμόνευσε, prior quam praeſes fuit. Id placet ERASMO SCHMIDIO, IAC. PERIZONIO, et multis aliis, quorum nomina refert C. A. HEVMANNVS in diſſ *de cenſu Antequiriniano*, item C. A. CRVSIO *Hypomnemat. ad theol. prophet.* T. I. p. 511. et S. R. ERNESTIO cit. *Progr. natalit.* Ait quidem TH. FR. MONELIA, de Annis Chriſti pag. 25. eos, qui dicunt velle Lucam apographen iſtam non fuiſſe Quirinianam, ſed priorem Quiriniana, nodum leui ictu ſecare. Sed *Heumannus* c. l. p. 6. multa exempla ex ſacris pariter ac profanis ſcriptoribus pro eiusmodi dicendi formula cumulauit, vt illud Ariſtophanis: imperauit Perſis πρῶτον Δαρείῳ Obiicit DEYLINGIVS *Obſeruatt. ſacr.* T. I. p. 126. ineptum hoc modo loquendi genus tribui Lucae, quum ei nominandus fuerit non is qui poſt ea praefuit Syriae, ſed is, qui tum praefuit.

At erat Quiriniana deſcriptio notiſſima; prior vero illa obſcurior: neceſſe igitur fuit, vt Lucas indicaret, ſe non de celebri illa Quirini deſcriptione, ſed de alia priore loqui. Hiſtoricis id facere ſollemne eſt. Ita IOH. c. XIV. *Iudas, non Iſcharioteſ ille.* In Saxonia, communibus hominum de plebe narrantium ſermonibus celebratur hoc: *das iſt noch eher geſchehen, ehe die*

Digitized by Google

cus petitur ex Luca cap. III. vbi Chriſti aetatis annus trigeſimus dicitur fuiſſe imperii Tiberii Caeſaris quintus et decimus. Sed quia particulam ὡσεὶ commemorationi aetatis adiectam vident, quae ſignificare ſolet circiter, vel plus minusue, incerti haerent.

Haud leuis labor eſt, epochas, quibus vſi ſunt Scriptores tum ſacri tum profani, probe cognitas habere, doctorumque vet. eccleſiae monumenta, eorum praecipue, qui proxime ab ea aetate abfuerunt, diligenter adhibere. Vix enim dici poteſt, quam inſignem vſum illorum ſcripta nobis in omni doctrinae genere praebeant. Sed in quaeſtione hac de tempore natalis Chriſti, quem iam Saec. II. vt obſcurum quiddam curioſius inueſtigatum eſſe refert Clemens Alex. magna eſt cautio adhibenda, ne temere credamus Patribus, qui ſaepe ipſi falſis narrationibus decepti ſunt. Ita Tertullianus ſcribit, SentiumSaturninum tempore nati Chriſti in Iudaea cenſum egiſſe: Iuſtinus M. inſpicere iubet Romae tabulas cenſuales, vt ex iis Chriſti genus cognoſcatur. Hac via non ſemper proceſſerunt, qui hoc et ſu-

Schweden ins Land kamen: ſcilicet quia Suecorum inuaſio, in Saxoniam anno huius ſaeculi ſexto facta; ſatis memorabilis fuit, vt epocham apud illos conſtitueret. SPANHEMIVS *Dub. vexat.* P. 2. p. 131. miratus, cur obſcurius loquutus ſit Lucas, quum poſſet clarius, deſiiſſet mirari, ſi cogitaſſet, quod nobis hodie Graeci ſermonis parum peritis, obſcurius videtur, id aequalibus Lucae perſpicuum eſſe potuiſſe. Illi ſic acceperunt, quaſi dixiſſet, hunc non eum cenſum eſſe, qui a Syriae praeſide Quirino actus, magnam commouiſſet in Iudaea ſeditionem, ſed illum, qui aliquanto ante, iuſſu Auguſti actus eſſet, nullo motu exorto. Adpoſite V. *Cl.* IOH. DAN. NICOLAI Sch. Brem. Conr. in editione N. T. Bremae 1775. vulgata, verba Lucae ita reddidit: *Nach der Geburt Iohannis wurde auf Befehl Kaiſers Auguſt ein Namensverzeichniſs aller Einwohner von Iudäa aufgeſchrieben, welches damals zuerſt geſchahe, noch vor der Schatzung unter dem Statthalter* P. Sulp. Quirinus,

Digitized by Google

ſuperiori ſaeculo elaborarunt in anno et die nati Chriſti definiendo: ſed hypotheſibus quisque ſuis nimium tribuerunt.

Qui enim proximis abhinc annis multo eruditionis adparatu ad hanc rem acceſſit, et in limine opuſculi praedicauit, ſe contra omnes veteres ac recentiores chronologos demonſtrare, Chriſtum octennio prius natum eſſe, quam aera vulgaris incipiat, DOMINICVS MAGNANVS, *Vir Celeberrimus:* eum haud vno errore deceptum grauiter impegiſſe animaduertimus, licet ſcribat, ſe concordes et conſentientes habere Scriptores ſacros, et caeteros omnes, tum Iudaeos, tum Graecos, tum Romanos, item inſcriptiones antiquas et numismata vetera [i]).

In ipſa tractatione IV. *axiomata* praemittit ex hiſtoria euangelica: ſcilicet Chriſtum ante mortem Herodis M. eſſe natum, in Aegyptum translatum, et a Magis adoratum, idque factum tempore cenſus Auguſtei. Sequuntur poſtea *definitiones* aerae vulgaris, Periodi Iulianae, anni Iuliani. Has excipiunt IV. *Poſtulata*, de initio aerae vulgaris, de variarum epocharum annorum concordia, de annis conſulum Rom. et de anno periodi Iulianae concurrente cum anno primo aerae vulgaris. Inferuntur deinde totidem *Propoſitiones*, quibus ſingulis, ad ſententias contrarias confutandas, plu-

i) Pag. 379. Praemiſit opellae Hiſtoriam opinionum de anno natiuit. Chriſti, ſed valde mancam et mutilam, quam multo locupletiorem et accuratiorem habet I. A. FABRICIVS, *Bibliogr. antiquar.* p. 256. edit. nouiſſ. Neque nominauit ſcriptores, quorum in hoc argumento non obſcura ſunt nomina: SAL. V. TILL, PET. ALLIXIVM, IOH. ALB. BENGELIVM, vt eos non cognitos habuiſſe videatur. Ne Italos quidem, et qui Romae nouiſſimi ſcripſerunt, laudauit, vt IOH. LAVR. BERTVM, cuius inter diſſert. Hiſtoricas *Florent.* 1753. T. I. tertia eſt *de vero Chriſti natali*, et THOM. VINCENT. MONELIAM *de annis Ieſu Chriſti, et de religione Philippi Aug.* diſſ. Romae 1741. in 4. mai.

plura *Corollaria* ſunt adiecta. Propoſitionum prima haec eſt: *Herodes mortuus eſt anno quarto ante aeram vulgarem menſe Martio. II. Chriſtus fugit in Aegyptum an. 5. ante ae. v. III. Magi Chriſtum adoraturi venerunt Hieroſolymam an. 6. ante ae. v. IV. Iudaeae cenſus actus eſt a procuratore Quirino, quum Syriae praeeſſet Sent. Saturninus, ac totus orbis in pace compoſitus eſſet, anno 8. ante aeram vulgarem: quo anno Chriſtus die XXV. Decembr. natus eſt.*

In has igitur propoſitiones totum diuiſit Problema. Vt de quarta Propoſitione incipiamus, nempe de anno cenſus Auguſtei, quo maxime nititur haec noua ſententia, putat *V. Celeb.* ex cenſibus ter ab Auguſto actis, et in monumento Ancyrano memoratis, alterum, qui fit octauo ante aeram vulgarem anno actus, eum eſſe, quem Lucas tempore nati Chriſti peractum referat. Sed bene monuit S *Reuer.* ERNESTIVS, in marmoreis parietibus Ancyranis legi, eum cenſum fuiſſe ciuium Romanorum, in quorum numero Ioſephus et Maria non fuiſſent k). Nulla ibi fit mentio ſociorum et amicorum, quales erant Iudaei et Herodes M. qui ſanctiſſime colens Auguſtum, maxime aptus erat ad hanc peragendam deſcriptionem nominum, quam in parentheſi ſacer hiſtoricus factam eſſe monet ante, quam regendae Syriae praefectus eſſet Quirinus. Decennio enim poſt,

k) Progr. Natalit. p. 5. vbi notat, obſeruatum eſſe ab EDMVNDO CHISHVLLIO, qui monumentum Ancyranum in *Antiquitt. Aſiaticis* Lond. 1728. editis exhibet, viros eruditos, qui hunc Auguſti cenſum, et eum quem Lucas memorat, pro vno eodemque habuiſſent, non parum deceptos fuiſſe. A quo lapſu cauere ſibi Magnanus potuiſſet, ſi Chishullianum librum vidiſſet. Immo etiam breuius, et nullo negotio MAGNANVS rectiora diſcere potuiſſet, modo in conſilium adhibuiſſet popularem ſuum TH. VINC. MONELIAM, qui ante ipſum itidem Romae an. 1741. *de annis Chriſti* librum edidit, et pag. 25. verba Chishulli exhibens, negauit, in monumento illo cenſum tempore nati Chriſti actum commemorari.

Digitized by Google

poſt, demum Archelao in exilium pulſo, et Iudaea in prouinciam romanam redacta, quum Syriae praeſideret Quirinus, accidit illa deſcriptio facultatum, ob tumultus per eam occaſionem ortos, longe celebrior: de qua Gamaliel in orat. apud LVCAM *Act*. V. 37.

Sed non ſolum in eo falſus eſt MAGNANVS, quod cenſum, qui ciuium Romanorum fuit, etiam ad prouinciales et Iudaeos pertinuiſſe putat: illud quoque confingit, P. Sulp. Quirinum procuratorem Caeſaris in Syria fuiſſe, qui praeſide Syriae Sent. Saturnino cenſum in Iudaea primum egerit [l]). Eam ob cauſſam Lucae illud ἡγεμονεύοντος, quod paullo

l) Probl. p. 263. Noriſius, Ant. Pagius, Spanhemius, Deylingius, Bengelius, et multi alii, qui de cenſu Auguſti tempore natiuit. Chriſt. diſp. ſcripſere, inter quos et Pater meus eſt, in ea fuerunt opinione, Quirinum, ob recentem de Homoadenſibus victoriam tota Aſia celebratum, cum imperio extraordinario in Syriam cenſus agendi cauſſa miſſum fuiſſe. MAGNANVS e contrario Quirinum Saturnini iuſſu delegataque ab eo poteſtate id feciſſe ſcribit pag. 316. Sed ἡγεμονεύοντος vocabulo, non extraordinarium, ſed ordinarium officium denotatur. Praeter ea nihil de vlla extraordinaria Quirini miſſione habent Hiſtorici antiqui: nec eam rem praetermiſſurus fuiſſet Ioſephus, qui de Quirini rebus in Syria geſtis multa commemorat. Sane viuo adhuc Herode neminem alium cenſus agendi cauſa opus fuit ab Auguſto ad Iudaeos mitti: nullum ad id aptiorem Auguſtus adhibere potuit, quam Herodem, a quo ſanctiſſime colebatur. His vt expediat ſeſe *doctiſſ.* VHLANDVS, Quirinum ſtatuit ad illam ſimplicem et primam deſcriptionem ab Auguſto miſſum fuiſſe, quo tempore Saturninus e prouincia Syriae iam deceſſiſſet: poſteriorem autem bonorum deſcriptionem et tempore et cauſſis a priori diuerſam, coniunctamque cum tumultu, memoratam illam Act. V, 37 et deſcriptam a IOSEPHO *Antiquit*. l. XVII. c. 15. et L. XVIII. c. I. a Quirino tanquam Syriae praeſide ordinario actum eſſe vt adeo vtraque praeſide Syriae Quirino facta dici poſſit. Quae bene ſe haberent, ſi teſtimonio Hiſtorici alicuius firmari poſſent: laud.

Digitized by Google

paullo minus bene Graecum ſit, Latino vocabulo *praeſidis* redditum eſſe, quod promiſcue de quauis minore poteſtate vſurpetur. Omnino enim auctoritate ſtandum eſſe Tertulliani, cenſum dicentis actum eſſe per Sent. Saturninum, et Iuſtini M. adpellantis Quirinum ἐπίτροπον i. e. procuratorem. Equidem iſtos eccleſiae doctores maximi facio: ſed hac in cauſſa nullo modo fidem illis poſſum habere. Caeterum quam varie hac in parte MAGNANVS errauerit, demonſtrauit S. *Reuer.* ERNESTIVS m), explicans formulam ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας, et docens, quid ibi a perſona Quirini alienum putandum ſit.

Quod vet. eccleſiae doctores, pie magis quam ſolide ſcribunt, eo tempore, quo verae et aeternae pacis ſtator in lucem prodiit, orbem totum in pace compoſitum, et Iani templum clauſum fuiſſe: id. MAGNANVS etiam de anno VIII. ante aeram vulg. i. e. de anno V. C. DCCXLVI. valere contendit n). Sed oſtenſum eſt ab ANT. BYNAEO o). ante annum V. C. DCCXLVIIII. non potuiſſe claudi Iani templum, vt quod Auguſtus eo anno tertium, ab vrbe condita quintum feciſſet: qua lin re TH. VINC. MONELIAM p) pla-

laud. Diſput. p. 81. et in Theſ. inauguralibus Th. VI. et VII. Satis eſt per formulam *praeſide Syriae* non deſignari miniſtrum rei peragendae, ſed tempus definiri, vt intelligatur eſſe deſcriptionem hanc priorem Quirini praefectura Syriae, atque adeo priorem ea deſcriptione quae a Quirino ſit inſtituta.

m) Progr. Natalit. cit. p. 7.

n) Problem. p. 268. Nam pacatis Gallis ab Auguſto, domitisque Germanis a Tiberio per aliquot annos nullum bellum in orbe Romano geſtum legi. Illuſtrem locum OROSII L. VII. *Hiſtor.* c. 2. de hac pace explicare Tillemontium Hiſt. des Emper. T. I. Aug. p. 30. et exiſtimare Iani templum in duodecim proximos futuros annos clauſum fuiſſe.

o) De Natali Ieſu Chriſti p. 436.

p) Diſſert. de annis Chriſti p. 22.

Digitized by Google

plane conſentientem habet. Itaque in hac quoque re MAGNANVS parum feliciter proceſſiſſe dicendus eſt.

Porro autem MAGNANVS, non contentus tueri ſententiam friuolam de alta pace regnante, clauſoque Iani templo, quum Chriſtus naſceretur, dudum exploſam illam a MASSONO in *Iani templo Chriſto naſcente reſerato*, etiam illud vnice verum eſſe pronunciat in eadem Propos. IV. libelli ſui, Chriſtum die XXV. Dec natum eſſe, quippe quod auctoritatibus Veterum demonſtrari poſſit. Sed quasnam adfert auctoritates? Doctorum exeuntis Saec. IV, vt AVGVSTINI, qui ſcribit: *natus Chriſtus traditur* VIII Kal. Ian. Alio tamen loco idem Auguſtinus, feſta enumerans, quae ab vniuerſa eccleſia celebrentur, natalem Chriſti ſilentio tranſmittit. Deinde IOH. CHRYSOSTOMI q), qui memorat Chriſti natalem ſuo tempore apud Graecos die XXV. Decembris feſtum celebrari coepiſſe, quem diem Graeci a Romana eccleſia ante X. an. accepiſſent, quae illum eundem ex antiqua traditione iam a longo tempore celebrare ſolita eſſet. Mera haec eſt coniectura, qua, vt erat magnus orator, voluit ei diei honorem auguſtiorem apud ſuos conciliare. Ex hoc Iohannis oratorio artificio MAGNANVS concludit Romanos haud dubie iam Saeculo III. medio coepiſſe diem XXV. Dec. vt Chriſti natalem celebrare. Nam, ait, vbi dicatur, apud alios populos aliquid in more poſitum fuiſſe multo ante, centum ad minimum annorum ſpatium intelligi. Si ergo Romani, medio circiter Saeculo tertio diem illum, ex antiqua traditione acceptum ſoliti iam fuerint celebrare, oportere eos hunc diem ex Chriſti diſcipulis accepiſſe r). Eam

 ob

q) Homil. in Natal. Chr Opp. T. II. p. 354. edit Montfauc.

r) Idem quod Magnanus colligit ex Chryſoſtomi rhetoricationibus, putant etiam ex memorabili illa Homilia eius conſtare EDM. MARTENE de *rit. eccl.* T. III. p. 90. et LAMIVS in *Appar.*

ob cauſſam dicere CHRYSOSTOMVM, ab ipſa Thracia, Gades vsque diem illum a primordio fuiſſe celebratum. Sed diem natalem Chriſti Saec. II. ignoratum fuiſſe ex CLEMENTE ALEX. [s]) conſtat, qui nonnullos dicit ſuo *περιεργότερον curioſius* de eo inquiſiuiſſe. Nec mirum eſt, natalem Chriſti antiquitus celebratum non eſſe. Non potuit celebrari, quia incognitus fuit, nec debuit, quia tum Imperatorum gentilium natales celebrabantur. Sub initium Saec. IV. quo tempore Orientis eccleſiae nondum laborabant multitudine feſtorum, vno die VI. Ian. celebrabatur memoria quadrigae beneficiorum, Chriſti natiuitatis, baptiſmi, aduentus Magorum, et miraculi primi a Chriſto in nuptiis Canae editi: quae omnia putabant Veteres vno et eodem iſto die accidiſſe [t]). Nec poteſt ex celebratione diei ſerius in eccleſiam inuecta, quam menologia, Kalendaria et libri rituales ſeruant, concludi verum tempus natiuitatis. Conſtat enim plurima feſta in eccleſia olim nata fuiſſe, quod nullo modo feſta pagana melius tolli poſſe videbatur, quam ſi in chriſtiana commutarentur.

Idem

par. chronolog. P. I. c. II. item MONELIA c. I. p. 44. qui ab antiqua traditione haec omnia repetenda cenſet et ſententiae eccleſiae congruenter diſſerendum, non Kalendaria aut faſtos ſacros turbandos. Adfirmat Scaligeri, Caluiſii, Basnagii argutias nunquam effecturas, vt de eccleſiae ſemita tantillum deflectat. Eſſe illos eruditos viros ſed ab eccleſia extorres. Sufficere romanam eccleſiam altricem ceterarum et principem de die XXV. Decembris ita ſenſiſſe.

s) *Stromat.* l. I. p. 340. vbi varias ſententias eorum recenſet, qui ſuo tempore curioſius in diem Chriſti natalem inquiſiuerint, neque tamen iudicium ſuum ipſe interponit.

t) Sunt haec a me ex inſtituto expoſita in Progr. an. 1759. P. P. quo *τα Επιφάνεια Veterum* expoſuimus ad illuſtrandum Sedulii hymnum; *Hoſtis Herodes impie,*

Idem in Natali Chriſti accidit: nam quum Romae ab ethnicis feſtum reditus ſolis celebraretur, et ignes accenderentur die xxv Dec. quem *natalem inuicti* ſc. Solis dicebant: eos ritus vt chriſtianos faceret Iulius I. ep. Rom in natalem Chriſti conuertit, non quod Chriſtus eo brumae die natus eſſet, ſed vt feſtum paganum deleretur: id quod peculiari libello a me oſtenſum eſt [v]). Quis igitur non intelligit Romae circa medium Saec. IV. recenter, non inde a longo tempore, conſtitutum eſſe natiuitatis Chriſti feſtum? Quam rem, quum pro concione CHRYSOSTOMVS, decennio poſt, enuntiaret, feſtique antiquitatem verbis extolleret, quod putabat eum eſſe diem nati Chriſti, acceptum illum ex tabulis cenſualibus Romae adſeruatis: crediderunt eum eſſe verum diem, quo natus eſſet Ch iſtus, praeſertim quum hunc diem eccleſia celebraret. Pontificios antiquis traditionibus inhaerere, iisque pretium ſtatuere non miramur: at IOH. ALB. BENGELIVM [w]) eccleſiae romanae cauſſam agere in hoc die xxv Dec. defendendo, id iuſtam admirationem habet, vt etiam illud, quod *Clariſſ.* VHLANDVS Chryſoſtomo nimium credens, ait, deberi Saec. II. quod natalis Domini publice apud Chriſtianos celebretur, quia ex antiqua traditione, eccleſia Latina Saec. IV. diem illum iam pridem ſacrum habuerit [x]).

Nollem ego hanc MAGNANO gratiam facere, traditiones extollenti et operam perdere, vt diem, inepte natali Chriſti adtributum, quemadmodum Scaliger, Basnagius, alii viderunt, nouis calculis exornarem. Quin potius, quoniam ex maximis feſtis Iudaicis orta ſunt maxima feſta Chriſtianorum, dicemus feſtum natiuitatis Chriſti veniſſe in lo-

v) De originibus ſollemnium Natalis Chriſti ex feſtiuitate Natalis inuicti 1757. vbi totam ſcenam expoſuimus.

w) Ord. temp. p. 200.

x) Theſium inaug. Th. XVIII.

locum feſti Tabernaculorum, et Chriſtum ſub finem Septembris natum eſſe y): quo tempore etiam magni et eruditi viri Chriſtum natum ſtatuerunt, SCALIGER z) *Eraſmus* SCHMIDIVS a), HARDVINVS b), LIGHTFOTVS c), A. Q. RIVINVS d), LARDNERVS e), alii. Omnes hi ſub finem Septembris noſtri, circa tempus feſti tabernaculorum Iudaici, Chriſtum natum putarunt: qui quamquam ad hunc natalem exquirendum aliis atque aliis rationibus calculos poſuerunt, omnes tamen praeter opinionem ſuam eodem collinearunt. Ipſi ſacri libri eo nos ducere videntur: quod enim tres caeteri vitae Chriſti ſcriptores praeterierunt, id Ioannem ſatis indicare vno iſto verbo dicas, *ὁ λόγος ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*, Verbum poſuit in nobis tabernaculum ſuum. Nempe tentoriorum Iudaicorum antitypum ſignificat in Ieſu quaerendum eſſe, in quo plenitudo habitet diuinitatis. Igitur ipſo tabernaculorum Iudaicorum feſto, die primo, qui reſpondet hodie noſtro XXVIII. Septembr. primo menſe anni ciuilis Iudaeorum natus dici poteſt.

MAGNANVS quidem, vt vetuſtiſſimam eccleſiae ſuae traditionem defendat contra menſem Septembrem pugnans f), illud modo refellere ſtudet, quod *Harduinus* dixerat, itinera

y) Prae caeteris bene hoc demonſtrauit SIGM. FERD. WEISMVLLER diſſ. *de feſto tabernaculorum N. T.* in *feſto natiuitatis Chriſti celebrando*, Altd. 1721.

z) de Emendat. tempor. p. 303.

a) In N. T. ad Ioh. III, 30.

b) Antirrh. p. 60.

c) Obſ. ad Lucae II, 7.

d) Libello *vom rechten Alter der Welt und unſers Heylandes*, Lipſ. 1721.

e) *Glaubwürdigk. der Evangel. Geſchichte* l. II. p. 342. verſ. germ Idem putat quoque GERBERVS libro de *ceremoniis eccl.* maxime in Sax. receptis p. 132.

f) Ad Propos. IV. Coroll. 9.

ra cenſus cauſſa facta, et paſtorum apud gregem vigilias, conuenire magis in Septembris menſis tempeſtatem, quam in Decembris. Etiam Cl. VHLANDVS g), Bengelium ſequutus, putat hoc infirmum eſſe argumentum contra menſem Decembrem, quod paſtores Bethlehemici noctu excubuiſſe et pecora ſub dio cuſtodiuiſſe dicantur. Nam paſcua et ſubdiales pernoctationes etiam in frigidioribus oris obtinere: quanto magis in Palaeſtina, ſub clementiore climate poſita? Sed Iudaeorum terram adflat acrior frigoris vis, praecipue vbi montibus abundat, in quibus maxime paſcitur. Itaque ob iniuriam caeli iam menſe Marcheſuan i. e. noſtro Octobri, greges domeſtica ſtabula occupare ſolitos, contra Caſaubonum doctiſſimi viri monuerunt h). Conſtat autem ſatis quo conſilio factum ſit, vt in brumae dies natiuitas Chriſti Saec. IV. demum transferretur: nempe conſilio abrogandae paganae ſollemnitatis.

Doctiſſimus VHLANDVS non negat Romanos Gentiles *VIII. Kal. Ian.* celebraſſe *ſolis inuicti natalem, qua ipſis nouo ſole poſt ſolſtitium hibernum incipere annus naturalis viſus ſit.* Verum non putat *inde ſequi Chriſtianos absque omni alio fundamento, immo poſthabito vero die natali Chriſti, diem eundem elegiſſe, vt ſolis iuſtitiae ortum commemorarent, et gentiles ad diuiniora incunabula inuitarent.* Certe hanc rationem, *ceſſaſſe,* ait, *apud Graecos et Alexandrinos memoriam nati Chriſti die VI. Ian. celebrantes* i). Ego vero docui eo in libello cui *Vir*

g) Theſ. inaug. Theſi XV.

h) HADR. RELANDVS *Antiquitt.* SAM. BOCHART *Hierozoic.* l. 2. c. 43. p. 415.

i) *Theſium inauguralium* praeterito anno Tubingae cum diſput. quae Magnano oppoſita fuit ſimul P. P. vndeuiceſima. Ego vero in diſſ. *de originibus ſollemnium natalis Chriſti ex feſt. nat. inuicti* an. 1757. publicata oſtendi, nullum adfuiſſe aliud fundamen-

Vir Celeberr. hanc theſin videtur oppoſuiſſe, nullam aliam huius inſtituendi feſti cauſſam fuiſſe, niſi eam, ob quam et alia plurima feſta ſunt inſtituta, vt pagana ſuperſtitio facilius

mentum cur Saec. IV. natalis Chriſti in diem XXV. Dec. fuerit translatus quam vt deleretur ſollemnitas pagana. Quem morem in multis aliis feſtis inſtituendis obtinuiſſe videmus. Ita conſtat ad *Lupercalia* abroganda, feſtum purificationis Mariae, et ad *Auguſtalia* vel tollenda vel rectius conſecranda, feſtum Petri ad vincula, fuiſſe inſtituta. Idem ante me probabile eſſe Moshemius et Baumgartenius cenſuerunt. Fateor apud Alexandrinos non eam fuiſſe commutandi feſti rationem, et ſcio eos moris celebrandi natalem Domini die VI. Ian. fuiſſe tenaciſſimos atque hodienum Armenos eſſe compertum eſt; ſed poſtquam ſub initium Saec. IV. Romae natalis Chriſti VIII. Kal. Ian. celebrari coepiſſet, idque innotuiſſet Graecis, illi homiliis doctorum ſuorum pro romana conſuetudine habitis, adducti eum diem tandem admiſerunt. CHRYSOSTOMI *Homilia* in *natalem Domini*, Antiochiae an. 386. habita T. II. Opp. ex edit. *Montfauc.* p. 356. rubricam habet, vt qui noue[illegible] introductum diem conqueſti fuerant, rectiora acciperent: inſigni documento in Oriente romanam conſuetudinem diei XXV. Dec. aegre admiſſam fuiſſe, quam tamen ante decem fere annos innotuiſſe Antiochenis fatetur Chryſoſtomus. Sed, quia in ea homilia ad commendandam romanam conſuetudinem verum diem Chriſti natalem Romanos ex tabulis cenſualibus cognouiſſe, Zachariam Ioh. baptiſtae patrem pontificem max. fuiſſe fabulatur, in νοθείας ſuſpicionem ea vocata eſt, a qua eam ideo vindicare ſtudet Montefalconius in Monito praemiſſo p. 352. nec non in Praefat. ad Coſmam Aegypt. p. 14. Auctarii P. P. nouiſſimi a ſe editi.

Dionyſius Bar-Salibi ep. Amidae Saec. 12. apud ASSEMANNVM *Biblioth. Orient.* T. 2. p. 163. fatetur die VI. Ian. in prouinciis orientalibus, vsque ad tempora Arcadii Imp. et Ioh. Chryſoſt. natiuitatem dominicam celebratam fuiſſe, in Romana vero prouincia et Italia ab apoſtolorum aeuo die 25. Decembris, quem ordinem ritumque oriens, et gentes quae ſeptentrionem ſpectant, amplexae fuerint, exceptis Armenis. Obſeruat tamen Aſſemannus, Anonymum in margine codicis ad haec Bar-Salibaei verba fol. 43. adſcripſiſſe: *Menſe Ianuario na-*

Digitized by Google

ſius deleretur [k]). Hanc paganorum feſtorum in chriſtiana commutationem arguunt etiam ritus nonnulli, ex priori conſuetudine retenti. Sic olim Saturnalibus Romanorum, qui deſinebant in die natalis inuicti, laruae obtinebant, ſigilla et munuſcula dari ſolebant: et idem hodie fieri ſolet ſub tempus feſtum natiuitatis Chriſti.

Adluſiones quidem ad nouum ſolem reuertentem, et comparationes Chriſti cum ſole, quas legimus apud *Ambroſium*, *Prudentium*, alios, videntur ipſae quoque ideo in vſu fuiſſe, quod feſtum natalis Chriſti ortum eſſet ex feſto natalis inuicti. Locus AMBROSII, quo Magnanus vtitur [l]) in ſententiae ſuae argumentum, non id probat, diem XXV. Dec. eſſe verum natalem Chriſti: ſed hoc tantum, comparationes Chriſti nati cum ſole reuertente, a doctoribus eccleſiae adhibitas eſſe, poſtquam feſtum *natalis inuicti* iam commutatum eſſet in feſtum *natalis Chriſti*. Porro verum diem nati Chriſti neceſſe fuit a veteribus Chriſtianis poſthaberi, quippe a quibus is dies ignorabatur. Sexto Ianuarii Graeci et Alexandrini non vnam Chriſti nati memoriam celebrabant, ſed etiam a Magis adorati, a Iohanne baptizati, et

tus eſt Dominus, eodem die quo Epiphaniam celebramus. Cauſſa cur a Patribus ſollemnitas a. d VI. Ian. ad 25. Dec. tranſlata, fuit haec: Sollemne erat ethnicis hac ipſa die 25. Dec. feſtum ortus ſolis celebrare, et populum Chriſtianum ad illud admittere. Quum animaduerterent doctores ad eum morem Chriſtianos propendere, excogitato conſilio eo die feſtum veri ortus conſtituerunt.

k) Vide cit. diſſ. meam p. 36. et 39. vbi adductis exemplis id probauimus.

l) Probl. Prop. 4. p. 269. Eſt vero locus AMBROSII: *bene quodammodo ſanctum hunc diem natalis Domini ſolem nouum vulgus appellat* etc. Magnano adductus, non Ambroſii, eam ob cauſſam in Append. T. 2. Opp. ex edit. Benedictin. relatus.

et primum in nuptiis Canamaeis miraculum edentis, vt patet fuga feſtorum, non quod haec omnia vno die facta eſſent. Nam etſi nos quoque hodie vi Ian. magorum aduentum celebramus: tamen certum eſt, eos poſt praeſentationem Chriſti aduenifſe: vt adeo memoria Magorum, poſt purificationis Mariae ſollemnia, ſub finem Februarii celebranda eſſet.

Nihil aeque ad inueniendum natiuitatis Chriſti annum ſcire intereſt, quam ſpatium temporis, quod inter Chriſti natiuitatem et Herodis exitum interceſſit. Hinc de anno mortis Herodis, certe conſtituendo, Chronologi ſolliciti ſunt. Iam MAGNANI Prop. I. eſt: *Herodes mortuus eſt anno IV. ante aeram vulgarem.* In eo anno conuenire putat ſcriptores illorum temporum aequales et ſuppares, vetera monumenta et nummos. IOSEPHI hiſtoriae conditoris, inter hos eminet auctoritas, qui Herodem ſcribit quinto poſt occiſum filium Antipatrum die vitam finiiſſe, quum rex a Romanis creatus eſſet ante annos XXXVII, regnaſſetque Antigono interfecto an. XXXIV. m), Eſt autem rex creatus Cn. Domit. Caluino et C. Aſinio Pollione Coſſ. qui annus eſt V. C. 714. Iulianus VI. Auguſti V. Regno potitus eſt an. Iuliano nono V. C. 717. M. Vipſanio Agrippa et L. Caninio Gallo Conſulibus. Eam duplicem regni Herodis M. epocham in rem ſuam confert MAGNANVS n) vt efficere ſtudeat, Herodis annum emortualem

m) *Antiquitt. Iud.* l. XVII. c. 10. p. 848 edit. *Hauercamp.* Vtraque ſeries annorum regiminis Herodis legitur quoque de *Bello Iud.* L. I. c. 21. p. 121. T. II.

n) Scribit *Magnanus* ad Prop. I. Coroll. VIII p. 153. Magnos rumores excitarunt in Chronologorum republica anni, quos Herodis M. regno adſcripſit Ioſephus. Certum eſt Herodem a Romanis Iudaeae regem fuiſſe declaratum, exeunte Septembri anni 40. ante aer. vulg. Non autem ab impetrato regno annos

Digitized by Google

lem eſſe quartum ante aeram vulgarem, idque annis filiorum Herodis, Archelai, Antipae, Philippi confirmari. Sed quanquam id magno eruditionis adparatu fecit, et anti-

annos eius computauit Ioſephus, ſed ab ineunte anno Iudaeorum ſacro, cuius primus menſis Niſan dictus, Martio noſtro partim reſpondet. Iudaei enim, vt ipſi teſtantur, annos regum ſuorum putarunt a Menſe Niſan cuius Luna ſacer incipiebat annus, ita vt ſi quis regnum obtineret menſe Adar, ſeu Februario noſtro, qui erat vltimus anni ſacri: a Niſan immediate ſequenti alter eiusdem regni annus ſupputaretur. Non mirum igitur, ſi Ioſephus, vtpote Iudaeus, ab eodem menſe putauerit Herodis annos.

Hinc vt geminam regni Herodis epocham cum anno regis emortuali, quarto ante aeram vulgarem conciliet *Magnanus*, Herodem adfirmat aliquot tantum diebus ante Paſcha, vix incepto vltimo regni anno, ſub initium menſis Niſan obiiſſe, pag. 53. Quod eam ob cauſſam fieri non potuit, quia ea, quae a die Herodis emortuali ad Paſcha vsque facta eſſe narrat IOSEPHVS *Antiquitt.* l. XVII. c. 10. intra duodecim dierum ſpatium nullo modo coarctari poſſunt. Archelaus, vt exſequiae patri ſplendidiſſime fierent, omnem regni exercitum ex omnibus locis euocat, qui deducat funus. Eductioni cadaueris Herodium vsque, ducenta ſtadia ab Hierichunte remotum, aliquot dies inſumi debebant, maxime quia lectica portatum. Exſequias excipiebat luctus VII. dierum, quo finito in templum venit Archelaus, reque ſacra peracta ferale conuiuium celebrauit, vbi prima erupit rebellio, ad quam ſedandam, quum haud pauci dies fruſtra inſumti fuiſſent, et inſtaret Paſcha, immiſſa magna militum vi, tria millia ſeditioſorum interfecit.

Praeterea Cl. Magnanus in regum Iudaicorum annis, ſeu in epochis filiorum Herodis, menſe Romanorum Martio minus adcurate vtitur, quia is partim menſi Adar, partim Niſan Iudaico reſpondet, quod p. 54. de annis Archelai, et p. 68. de annis Herodis Antipae fecit, quo regni Herodis M. tantum anni 39. efficerentur contra Ioſephum. Vult ex nummis Vari, qui ſexto ante aer. vulg. anno ſucceſſor Saturnini miſſus fuerit, efficere, Herodem anno legationis Vari tertio deceſſiſſe. Contendit ſola Actiaca aera vſos eſſe Syros Antiochenſes, immemor aeram Auguſtorum quoque apud illos fuiſſe receptam, cuius annis nummi praeſidum Syriae fuerint diſtincti.

Digitized by Google

quos Antiochenorum Herodumque nummos non inutiliter tractauit: tamen, qui ei ſe oppoſuit *Clariſſ.* VHLANDVS totam errorum ſcenam ita denudauit, vt non poſſis non *Vhlando* adſentiri, annum tertium non quartum ante aeram vulgarem eſſe annum emortualem Herodis M. o). Et iſtum quidem annum haud eſt difficile inuenire, ſed quonam anni tempore diem obierit Herodes, id maiorem curam et cogitationem requirit. *Celeb.* MAGNANVS inchoato iam menſe Niſan, cuius primus dies erat XX. Martii, obiiſſe putat, anno quarto ante aeram vulgarem: *Cl.* VHLANDVS oſtendit mortuum eſſe non diu ante Paſcha, ſed tamen habente adhuc Iudaeorum vltimo menſe Adar, qui deſierit XIX Martii anno III. ante aeram vulgarem p).

Quantum iam temporis interuallum inter Chriſti natiuitatem et Herodis M. obitum interceſſerit, ne in eo quidem conueniunt, qui ad calculos ſedent. Alii enim Herodem breui poſtquam natus eſt Chriſtus deceſſiſſe putant, alii vnius et dimidii anni ſpatium a nato Chriſto ad mortem Herodis interponunt. At MAGNANVS, quod fieri a ſe primo ipſe praedicauit, ſtatuit natum Chriſtum eſſe triennio et amplius ante obitum Herodis: quod quidem ideo ſtatuit, vt ad TERTVLLIANI mentem doceat, Saturnino Syriae praeſide natiuitatem dominicam accidiſſe.

Hinc

o) Oſtendit enim, cum an. III. ante aer. vulg. Herodis emortuali conuenire numos ab Antiochenis ſub Varo cuſos pag. 19. *Diſp. laud* idemque commonſtrare annos regiminis filiorum Herodis, *Archelai*, decimo principatus anno Viennam relegati p. 24. *Herodis Antipae* 44. anno quarto Caii Caligulae menſe Septembri iam Tetrarchia priuati atque Lugdunum relegati p. 27. denique annos 37 *Philippi* anno Tiberii viceſimo defuncti pag. 30.

p) Diſput. §. IX. pag. 22.

Hinc Propoſ. II. MAGNANI eſt: *Chriſtus fugit in Aegyptum ineunte anno quinto ante aer. vulg.* Putat enim Chriſtum XIV. aut XV. menſes in Aegypto remanſiſſe, quod Ioſephus ab angelo iuſſus eſſet longum iter in aliam terram ſuſcipere, atque ibi manere: ita longius aliquod tempus palam indicari. Etiam EPIPHANIVM narrare, Chriſtum puerelum anno regis Herodis XXXV. nocte proxima poſt Magorum adorationem, translatum eſſe in Aegyptum, eundemque ipſo anno mortis Herodis quartum aetatis annum egiſſe q). At quis credet Saec. IV. doctorem, praeſertim, qui a credulitate non fuerit nimis alienus, haec meſius cognita habuiſſe; quam doctores aetate ſuperiores? quum iam Saec. II. eam rem incertam habuerint. Fugae cauſſa erat, vt Herodis inſidiae vitarentur: quae cauſſa ceſſabat extincto Herode: Verba *Matth. II*, 13. *Eſto ibi, donec dixero tibi*, etiam breue tempus exilii ſignificare poſſunt: nec id videtur fuiſſe tam longum, Herode iam ſeptuagenario, et in morbum lethalem implicito. Longius tamen quam ſesquimenſem in Aegypto Chriſtum abfuiſſe mea fert opinio.

q) Scribit Magnanus *Problem.* p. 533. Haec propoſitio miro modo corroboratur auctoritate EPIPHANII *Haereſ.* XX. lib. I. p. 48. T. I. *Opp. ex edit. Colon.* qui ait: naſcitur Ieſus anno Herodis 33. h. e. VIII. ante aer. vulg. Nazarerum rediens anno altero vertente h. e. VI. ante aer. vulg. Bethlehemum perductus eſt, vbi quum ad aedes quasdam diuertiſſet, ſecundo a natiuitate anno a Magis donis ornatus eſt, eadem vero nocte, in Aegyptum transfertur Herodis an. 35. vnde poſt biennium mortuo Herode, ac ſuccedente Archelao reuertitur. Quare neceſſe eſt 37. Herodis anno quartum aetatis ſuae puerulum egiſſe.

Digitized by Google

Tertia Propoſ. eſt: *Magi Chriſtum adoraturi venerunt exeunte anno ſexto ante aer. vulg.* Oportebat *Magnanum* ita calculos ducere, quoniam Herodis M. mortem IV. anno ante aeram vulgarem adſignauerat, tenebatque bimulos Bethlehemiticos a rege interfectos eſſe. Stellam putat Magis in Oriente adparuiſſe, non vt naſciturì noui regis ſignum, ſed vt iam nati, et Herodem ex Magis cognouiſſe, iam biennium eſſe quod ſtella ipſis adparuiſſet r). Ergo Chriſtum natum eſſe quadriennio ante obitum Herodis. Adoratum autem a Magis ponit die VI Ian. anni V. ante aeram vulgarem ineuntis: qua in re ſequitur morem antiquioris eccl. Graecae, vt ſupra diximus: forſitan ea de cauſſa, ne turbet Veterum Faſtos, martyrologia, et antiquas traditiones. Multo enim probabilius eſt, Magos poſt praeſentationem Domini demum aduenіſſe: vt adeo, ſi Chriſtus VIII. Kal. Ian. natus eſt, Magorum aduentus et adoratio cadat in menſem Februarium. Iam recte omnino *Magnanus* s) contra illos diſputat, qui Magos tanquam dromedariis impoſitos citius adfuiſſe credunt, et bene refellit Graueſonii ſententiam t), putantis Magos Bethlehemi adoraſſe Chriſtum de-

r) IGNATIVS *Epiſt. ad Epheſ.* c. 19. dicit incredibilem fuiſſe ſideris magnitudinem, cuius fulgor ſolis ſplendorem ſuperauerit, et aſtra, velut chorum ſecum traxerit. Sed Hiſtoricus ſacer ſimpliciter nominat aſtrum, et haud obſcure innuit, idem viſum a ſolis Magis, qui ea nocte, qua Chriſtus natus eſt, videntur inſolitum ſidus conſpexiſſe, ſeque in viam conieciſſe, et licet ab Herode Bethlehemum miſſi, tamen Nazarethum deductì fuiſſe. Si enim a magis Bethlehemi adoratus fuiſſet Ieſus, ii, qui rem cognitam habuiſſent, non diſſimulaturi fuiſſent Herodis ſatellitibus, vt docui pag. 23. diſſ. in locum Ignatii *de natiuit. dom. patefact. et occultationis myſterio* 1763. P. P.

s) Coroll. I. ad Prop. 3. p. 239.

t) Quam tamen ſcimus haud ita pridem et Romae quidem an. 1760. Dialog. *de tempore aduentus Magorum* LIBERATVM FASSONIVM defendiſſe. CAES. BARONIVS ideo Magos, vt celerius iter conficiant, dromadibus imponit, *Theophr. Paracelſus* equis magicis vectos credidit.

decimo tertio die ab ipſius natiuitate. Sed non intelligo, ſi Magi biennio poſt natum Chriſtum aduenerunt, vt vult *Magnanus*, cur editis iam in Chriſti repraeſentatione Simeonis et Hannae de ipſo vaticiniis, *Hieroſolyma* tamen ad id vsque tempus *commota non fuerit*. Nam regi grandaeuo et aegrotanti mirum non eſt omnia ignota manſiſſe. Porro autem credibile non eſt, Magos iter ſuum aut non ſtatim ingreſſos eſſe, aut minus ſtrenue feciſſe, ſi rei experimentum illis tanti fuit, quanti fuiſſe adparet.

Bimatus infantum Bethlehemiticorum occiſorum non probat, Ieſum biennio ante mortem Herodis natum eſſe: nam etiam infra bimatum ſunt occiſi. Ergo per eam cauſſam non prohibemur ſtatuere, Chriſtum nondum tum aetatis alterum annum attigiſſe.

Atque haec omnia Magnani argumenta *Clariſſ.* VHLANDVS magno ingenii acumine magnaque copia doctrinae ita confutauit vt ea re ſibi et gratiam et gloriam peperiſſe cenſendus ſit. Sed, vt recte demonſtrat, non tot annos ante mortem Herodis Chriſtum natum eſſe: ita illud minus recte diſputat, duos treſue duntaxat menſes inter natiuitatem dominicam et Herodis mortem interfuiſſe. Chriſtum vult natum eſſe die xxv Dec. et Magos veniſſe Hieroſolymam ſtatim a Domini repraeſentatione: ita, vt quaecunque memorabilia de primis Chriſti annis hiſtoria euangelica habet, ea omnia intra paucorum menſium ſpatium coarctet. Nihil enim admittendum putat in conſtituendo Chriſti natali, quod pugnet cum illa ſententia, qua vna maxime nititur, Chriſti aetatis annum triceſimum eſſe annum imperii Tiberii Caeſaris decimum quintum.

Ex hac autem ſententia effecit, natum eſſe Chriſtum anno IV. ante aeram vulgarem, trimeſtri ante mortem

He-

Digitized by Google

Herodis. Ita falſum eſſe oſtendit, Magos, qui Herode viuo aduenerunt, biennio poſt Chriſtum natum aduenisſe. Iam illud ſane apertum eſt, Lucae ſcopum in principio cap. III. eſſe chronologicum. Narraturus enim praecurſoris atque ipſius Meſſiae *oſtenſionem Iſraeli factam*, diligens eſt in eius rei tempore deſcribendo, vtpote nominans Tiberii Caeſaris annum XV. Pilatum procuratorem Iudaeae, Herodem tetrarcham Galilaeae, Philippum Ituraeae ac Trachonitidis, Lyſaniam Abilenae, pontifices Hannam et Caipham. Sed quum antea de tempore natalis Chriſti paullo ſit loquutus obſcurius, videtur hoc in loco noluiſſe de annis Chriſti eſſe laxior; ſcribit enim Chriſtum fuiſſe tum annorum *ὡσεὶ τριάκοντα fere triginta, circiter, ſusque deque, plus vel minus.* Quoniam autem lex erat, vt doctor publicus annorum triginta vir eſſet: veriſimillimum eſt, Chriſtum eo tempore annos triginta iam ſupergreſſum fuiſſe, quo initium fecit muneris ſui [u]).

Nihil igitur hac doctiſſ. virorum contentione impedior, quo minus accedam ſententiae, quam Petauius, Vſſerius, Noriſius, Natalis Alexander, Tillemontius, et nouiſſime Thomas Vincent. Monelia, expoſuerunt, Chriſtum natum eſſe anno ante aeram Dionyſianam quinto Per. Iul. 4709. V. C. 749. Auguſto Caeſare XII. et L. Cornelio Sulla Coſſ. die primo feſti Tabernaculorum Iudaici, qui dies hodie XXVIII. eſt noſtri Septembris. Hic autem annus eſt

u) Multus eſt *Celeb.* VHLANDVS in hoc natiuit. Chriſti charactere operoſe domonſtrando a pag. 45 - 62. nimirum in partic. ὡσεὶ, quae indicet annum completum triceſimum, vt in quibusdam diebus ſaltem ſit differentia, et vim inferri textui, ſi annus 30. Chriſti laxius ſumatur, eam aetatem cohaerere cum anno XV. Tiberii, quem Lucas Hebraeorum more a primo Tiſri incipiat. Sed certus aetatis Domini annus ex Luc. III. per prius dicta effici non poteſt.

eſt idem imperii Auguſti xxxx. et regni Herodis M. xxxvi. et xxxiii. Et circa illud anni tempus fiebat iuſſu Auguſti Caeſaris, Herode M curante, hominum deſcriptio, per omnes terras Palaeſtinae, Herodi regi ſubiectas, prima illa et ſimplex, quae mera eſſet *nominum* profeſſio et conſignatio. Vnde non tam clara ea fuit, quam quae vndecim ferme annis poſt, Quirino Syriae praeſide, acta eſt in in Iudaea deſcriptio *facultatum*, quae tumultui cauſſam dedit.

Ea deſcriptio, quum pro Iudaeorum conſuetudine per tribus fieret, Ioſephus et Maria, de gente Dauidis, Bethlehemum ſe contulerunt: vbi Maria non longe a portis oppiduli, ſpeluncam ingreſſa, quo viatores cum ſuis iumentis diuertere ſolebant, quae more eius regionis ideo praeſepe in ſaxo inciſum habebat, maturo iam partu infantulum Ieſum edidit.

THEOPHANIS PROCOPOVICZ, ARCHIEPISCOpi Novogrodenſis, Tractatus de Proceſſione Spiritus Sancti, nunc primum editus.

Gothae A. 1772. Alph. 1. pl. 21. octonis.

Autori huius libri cum Kioviae a. 1711. munus datum eſſet Theologiam docendi, hoc ita illuſtrauit, vt popularibus ſuis quaſi nouum lumen accendiſſe in his litteris videretur. Nam praeter ſummas ingenii dotes, quas maxime in eo fecit Petrus M. et omnis eruditionis copia abundauit, ita vt pauci, e tot qui has litteras docuiſſent, pari doctrina

inſtructi ad eas acceſſerint. Eadem vrbe, metropoli Ruſſiae minoris, 1681. patre mercatore natus, latina didicit in Coenobio, litterisque Kioviae ad 1698. opera perutili impenſa ad Italos profectus eſt, Romaeque triennium commoratus, cum omnem humanitatem didicit, tum Philoſophiam inprimis et Theologiam penitius cognouit. Reducem in patriam Metropolitanus Kioviae Profeſſorem poeſeos conſtituit, in huius vrbis Academia deinde 1706. eloquentiam docuit; poſtquam anno ante inter monachos receptus eſſet, impoſito Theophanis nomine. Deinceps omnem Philoſophiam docuit, Logicen, diſciplinas morales, phyſicas et mathematicas magna audientium frequentia. Tandem 1711. Theologiam explicare coepit. Apud Petrum Imperatorem, ad quem aliquoties orator a ſuis gratulandi cauſa miſſus eſſet, velut ob victoriam Pultauienſem, multum gratia et autoritate valuit, ita vt eo libenter vteretur, eiusque ſacris orationibus cum voluptate intereſſet, vſus eodem et comite in expeditione Turcica, et conſiliario in rebus grauiſſimis. Tandem eum 1718. ad Epiſcopatum euectum Pleskouienſem et Naruenſem, biennio poſt Archiepiſcopum fecit: non tamen, niſi hoc mortuo, 1725. factus eſt Nouogrodenſis Archiepiſcopus. Idem ei a Catharina et Anna habitus honos, ſaepe in conſilium adhibendus, ſi qua grauior de republica cura accideret: adeoque opibus et maieſtati regum mire fauit. Hic et autor reſponſi illius inſignis, quod 1718. a Clero Ruſſico Sorbona tulit, cum Petro Pariſiis degenti ſuaderet, vt Ruſſos Latinae Eccleſiae adiungeret. Vt nihil dicam de ſcriptis viri et factis, quae ingenium eius teſtantur ad res gerendas natum. Calculo morbo, multum antea infeſtatus, tandem deletus eſt 1736. Qui virum diſcendi cauſa audierunt, omnia loquentis verba excepta litteris mandarunt; et homines eius ſermones, quod de rebus grauiter, nec ad ſemirudium captum praeciperent, et ſic vel ſubtiliſſime ſcriptis aequiparandi eſſent, auide arripuerunt.

Inter

Digitized by Google

nter hos fuit aliqua diſputatio de Proceſſione Spiritus Sancti ad Caput de Trinitate, docta et elegans: hanc edidit Graecus, vir doctus, deſcriptam ex ipſius Archiepiſcopi chartis, cum vt eruditis commodaret, tum vt popularibus ſuis proſpiceret, ne in eo deſcribendo inani opera deſudarent, aut ipſe liber ex ea re vitium contraheret, et eruditi, perſpecta ſimul viri doctrina, viderent, Graecos, non animi ſiue leuitate, ſiue obſtinatione, ſed grauiſſimas ob cauſas, ſuam ſententiam defendere. In ipſo opere omnia intacta reliquit, neque exceptis, ſi qua in aduerſarios nimis acerbe dicta eſſe viderentur: tantum veterum teſtimoniis ad fidem meliorum librorum, quibus autor plane caruit, compoſitis, addidit quaedam Capiti XVI. cuius titulum ſolum, omiſſa rei tractatione, in ſchedis inuenerat: isque locus ſolus fuit, in quo hoc ſibi ſumeret. Paſſim in margine illuſtrauit librum, et hiſtoriam dogmatis a Procopo vitio inchoatam abſoluit; neque in eo ſe leuiter eruditum probauit. Operi, cum vita autoris, index acceſſit, quo ab antiquiſſima aetate vsque ad noſtram, ſeruato temporis ordine, cum ſcriptores eorumque libri, tum acta Conciliorum continentur: opera fortaſſe non ingrata litteratis praecipue Ruſſis, quibus librorum notitia difficilior et impeditior eſt quam noſtris hominibus: quam autor indicis, quippe apud Goettingenſes degens, ſibi facile potuit comparare. Tractatio rei eo ordine abſoluitur, vt Cap. I. res de qualis mota eſt, definiatur, definita ante exeundi et mittendi voce; deinde affertur quod de ea re in ſacris litteris legimus, ſimul loco Ioh. XV, v. 20 explicato, et ab obiectionibus vindicato Cap. II. His praemiſſis teſtimonia ſubiuncta ſunt e patribus Graecis et Latinis, quibus Graecorum ſententia confirmari videbatur, Cap. III, IV. Sequitur probationis genus dogmaticum, aut vere theologicum Cap. V. et tandem pars libri contentioſa, quae obiectiones Latinorum ſingulas ſingulis capitibus Cap. VI—XI. deinde ſumma-

tim Cap. XII. refutat, quae e ſacris litteris depromtae ſunt: at quae ex Hiſtoricis et Patribus, capite XIV—XVII. tractantur, quibus Cap. XIII. praemiſſum eſt, quod haec loca generatim atque vniuerſe tractat, normam tradit ad quam omnem rei diſquiſitionem exigi oporteat. Saepe Graecis a Latinis obiectum eſt Cap. XVI. nec minus Latinis a Graecis Cap. XIV. XV. quod loca Patrum deprauarint. Vltimo loco quaeſitum, an ex decreto Synodi Epheſinae, addere quaedam liceat Symbolo, quamquam ex re ſint, nec falſi quicquam offerant; quod negatum eſt: Cap. XX. de relatione diuinarum perſonarum actum eſt, quod ſatius fuiſſet primo ſtatim loco poni. Nemo forte recentiorum Graecorum, certe quantum nobis conſtat hunc locum tam copioſe tractauit: nam quod huius libri ſcriptor interdum errauit in iudicandis veterum autoritatibus, id non valde vrgemus; quia non idoneis libris inſtructus fuit. Sed cum Romae tres annos commoraretur, poteratne hoc genus litterarum arctius amplecti? Iam capita quaedam, imprimis hiſtorica, percenſere animus eſt. Tertium et quartum teſtimonia Patrum continet, quibus Graecorum cauſa nititur, alterum graeca, alterum latina: his recte ſymbola accenſa. Quas ſibi tractationis regulas propoſuit, non vituperes delectum in ſingulis merito requiras. Primum argumentum ſit e Graecis teſtimonium ex Symbolo Athanaſiano depromtum; id in eo ſolo vertitur, quod omiſſum ſit „a filio procedens." Fatetur editor, illud parum validum eſſe, meliora edoctus a Walchio in Theologia ſymbolica, e qua ordine transſcripſit, quae in antiquis Symbolis in rem ſuam prodita ſunt: ſed res omnis in eo vertitur, quod expreſſis verbis proceſſionis a filio nulla facta ſit mentio. Scriptorum eccleſiaſticorum quidam allegati ſunt dubiae aut nullius fidei, his ſuffecti ſunt genuini ab editore, ſed nemo eorum affirmat, Spiritum ſanctum non a filio, ſed a patre, vel ab vtroque ſimul procedere. Archiepiſcopus, ſi omiſſum eſt „a filio" id in rem

ſuam

ſuam vertit quod ſcriptor, ſi ipſe vel eccleſia credidiſſet, Spiritum ſanctum a filio procedere, illud neceſſario addidiſſet. Sed ardnum eſt hanc neceſſitatem probare: ſcriptor enim, niſi ſubtilis et accuratus, ſaepe alienum putauit quod legentibus maxime e re videbatur, praeſertim ſi ipſorum intereſſet. At ſi probe rem conſideramus, nihil clarius eſt quam Epiphanio, vt de hoc dicam, rem cum Haereticis fuiſſe, qui negabant in Deo perſonas eſſe, vbi nihil opus erat de Proceſſione Sp. S a filio dicere. Pag. 82. laudat Archiepiſcopus locum Cyrilli Alexandrini, eumque tam aperte Graecis fauere contendit, vt nihil poſſit eſſe clarius: ſed editori ſpurius eſt locus, neque is diſſimulat, paſſim in genuinis Cyrilli ſcriptis legi, quae Latinis aperte faueant; eum tamen ſententiam mutaſſe a Theodoreto meliora edoctum; paſſim conſtare illud e libris contra Iulianum. Oratio non improbanda quidem, nec tamen prorſus vera: tantum enim loca laudata indicant, quod Cyrillus, cum Theodoreto reſponderet, nonum Anathematismum, ſiue potius eius explicationem, improbanti, qua aperte Sp. S. ex filio eſſe dicitur, nihil de ea re dixerit, rem forte non maximi momenti ratus, de qua in vtramque partem diſputari poſſit. Quod et fecit in loco de communicatione idiomatum in Chriſto, contentus, ſi quis vnum eum et indiuulſum profiteretur. At ſi communis Graecorum ſententia fuiſſet, Sp. ſanctum non procedere a filio, certe hoc non aſſeruiſſet. Caeterum haec formula tum aeque inuſitata fuit ac altera, eum de patre ſolum procedere: neutram reperies ante illa tempora, forte propterea rem non vrgendam putauit. Formulam vero, Sp. S. procedere a patre per filium, nemo improbauit: laudata tam ſcriptori huius libri quam editori exempla, vide Cap. XVII. Formulae illae inter ſe eodem modo conueniunt, vt hae, vel ipſis Graecis probatae: mundum a patre conditum eſſe per filium, et il-

Digitized by Google

illum ab vtroque conditum eſſe. Quod de teſtimoniis graecis diximus, idem de latinis valet: quare his miſſis, de Cap. XVII. pauca dicemus, vbi Archiepiſcopus loca quaedam et formulas excuſſit, quibus de Proceſſione Sp. S. agi creditum eſt. Prima formula eſt, quod Patres graeci, et iam Gregorius Nyſſenus, dicant, Sp. S. proceſſiſſe a patre per filium: ad haec multis verbis reſpondit p. 337—350. At de ea re iam ſupra diximus: reliqua non eiusdem momenti, praeter vltimum, nempe a Graecis Sp. S. filii imaginem vocari, εἰκόνα, μορφὴν τοῦ υἱοῦ, his addere potuiſſet σφραγῖδα, (idem ſignificat quod χαρακτὴρ Hebr. I. 3.) λόγον τοῦ υἱοῦ etc. quae omnia indicant Sp. S. eodem modo cum filio quam cum patre iunctum eſſe: ad haec ait, „omnia iſta culicum morſibus ſimilia ſunt, non vulnerant, at moleſtiam afferunt, et non ſinunt quieſcere: ſed interim latinae cauſae produnt inopiam.“ Quaſi dicat Latinos omnia corradere, quod clara et perſpicua teſtimonia e ſcriptis patrum nulla afferri poſſint, ea ſine dubio innuens, vbi nudis verbis Sp. S. a patre et filio procedere dicatur: at ſic Graeci male haberent; nec videtur omnino hoc probationis genus ſatis aſſecutus eſſe, adeoque haec non recte refutaſſe. Idem paſſus eſt in Epiphanio: queritur enim, quod Petauius in verſione, procedere vel oriri addat, cum ille tantum dicat Sp. S. eſſe ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς et παρ᾽ ἀμφοτέρων, p. 377. ſqq. Hoc in vniuerſum de Capp. Hiſtoricis et Criticis valet, ea ſerius emanaſſe: cum mox perſcripta eſſent, et Moſcauiae praelegerentur, poterant ſane audientes ad ſui admirationem rapere; noſtris temporibus frigere videntur. Caeterum apparet, pro captu temporum, Archiepiſcopo paucos fuiſſe in vtraque eccleſia eruditione et litteris pares. Ad ea quae e ſ. litteris allata ſunt, vbi nempe Sp. S. a filio mitti dicitur, et eadem eſſe filii quae patris, aut Spiritus ſancti

et

Digitized by Google

et filii eſſe, et quae e Ioh. XX, 22. petuntur, videtur melius reſpondiſſe, et dignus eſt locus qui legatur v. Cap. VI., ſqq. Sors huius libri et Zernicauiani fuiſſet, de quo Cap. XIV. dicitur: „Aduerterant quidem huiusmodi corruptelas etiam olim priores ſcriptores, ſed numero non multas, et non ita clare deprehenſas. At Zernicauii conatus feliciſſimus, vt eſt praeter ſpem noſtram, ita contra opinionem Latinorum, qui, donec hoc opus videant, nunquam tale quid poſſe fieri exiſtimant." Hoc ipſum editor vidit, dicit enim ad marginem: cauſam, cur iſte liber octoginta fere annos in Bibliothecis latuerit, ſe ignorare, nec magis ſe ſcire quid eius editionem, ante aliquot annos Vratislauiae parandam, impedierit: optandum tamen eſſe ſi quis edat, vt adhibeatur cura, ne vitia irrepant; ea tamen vix euitari poſſe, niſi bibliotheca ad manum ſit Goettingenſi ſimilis. Capite XVI. quod vt diximus ſcripſit qui librum edidit, Graeci, imprimisque Photius, a Pontificiorum criminibus defenduntur, quod ſcilicet ſcripta patrum ſaepe vitiarint: dignus eſt locus qui legatur. Iam ad Cap. XIX. pauca monebimus. Conſtat, Graecos Latinis obiicere, quod verbum, Filioque, Symbolo Nicaeno-Conſtantinopolitano affricuerint, agiturque ea controuerſia toto hoc capite. Non omnino negatur, Symbolo poſſe quaedam ab eccleſia addi, hoc contra vſum veteris eccleſiae foret: at poſt Synodum Epheſinam contenditur nihil plane addi poſſe, quantumuis verum ſit, et S. libris conſentaneum: decretum enim eſſe a Synodo Epheſina, ne quis in Symbolo, prout tum eſſet, quicquam mutaret; ſeu omitteret, ſeu adderet. At in Actis aliter legitur, vetant Patres, aliud quam Nicaenum Symbolum ſcribi, aut in Catechumenis adhiberi: clericum, ſi contra faciat, remouendum eſſe, laicum excommunicandum. Quamquam Cyrillus in alteram ſententiam ſcripſiſſe videtur, in Epiſtola quadam ad Iohannem Antiochenum: tamen haec ad decreti formulam

exi-

exigenda. et patet de ſingulis tantum hominibus ſermonem eſſe, non de Conciliis, ſi his videatur addere, quibus ſuae eccleſiae teneantur. Sic Conſtantinopolitanum habuit quae Nicaeno Symbolo adderet. Multum ſane prodeſt, hoc caput ad controuerſiam Graecorum et Latinorum recte intelligendam.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLXXV.

***SICILIAE ET OBIACENTIVM INSVLARVM** veterum Inſcriptionum noua Collectio, Prolegomenis et notis illuſtrata.*

Panormi excudebat Caietanus Maria Bentuigenda 1769. Alph. 4. plagg. 9. in Fol.

Ecce vobis, antiquitatum cultoribus, nouam Sicularum, hoc eſt Siculis rebus hominibusque conuenientium vndecunque repetitarum, tum etiam externarum, nunc vero in Siciliam delatarum, et illic exſtantium Inſcriptionum veterum, ad tempora ante Saracenorum in iſtam terram aduentum pertinentium, collectionem. Auctor eius eſt, ne quis erret, GABRIEL L. CASTELLVS P. T. qui et Inſcriptiones

exigenda. et patet de ſingulis tantum hominibus ſermonem eſſe, non de Conciliis, ſi his videatur addere, quibus ſuae eccleſiae teneantur. Sic Conſtantinopolitanum habuit quae Nicaeno Symbolo adderet. Multum ſane prodeſt, hoc caput ad controuerſiam Graecorum et Latinorum recte intelligendam,

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXXV.

SICILIAE ET OBIACENTIVM INSVLARVM veterum Inſcriptionum noua Collectio, Prolegomenis et notis illuſtrata.

Panormi excudebat Caietanus Maria Bentuigenda 1769. Alph. 4. plagg. 9. in Fol.

Ecce vobis, antiquitatum cultoribus, nouam Sicularum, hoc eſt Siculis rebus hominibusque conuenientium vndecunque repetitarum, tum etiam externarum, nunc vero in Siciliam delatarum, et illic exſtantium Inſcriptionum veterum, ad tempora ante Saracenorum in iſtam terram aduentum pertinentium, collectionem. Auctor eius eſt, ne quis erret, GABRIEL L. CASTELLVS P. T. qui et Inſcriptiones

Panormitanas, patrias, iuſſu Senatus Panormitani, linguâ Italica anno 1762. prodire curauit. Hic enim ea mente eoque conſilio manum operi ponendo adiecit, vt primum huiusmodi, quae diximus, monumentorum, quae adhuc diſperſa eſſent, pernumeroſa librorum, ad rem antiquariam et lapidariam vniuerſam ſpectantium, tum hanc eius, quae Siciliam complectitur, partem attingentium, volumina, in ordinem redactorum, et quodammodo illuſtratorum corpus exſtaret. Igitur in varias Claſſes, Inſcriptiones omnes redigere curauit, eo ordine, quem primum Martinus Smetius, deinceps Ianus Gruterus, Marqu. Gudius, Th. Reineſius, Lud. Ant Muratorius, et Seb. Donatus tenuere. Harum Claſſium in hoc volumine viginti numerantur. Vnicuique inſcriptioni praefixa eſt breuis, qua, vnde petita ſit, vbi exſtet, declaretur, notitia, qua cognoſcatur, quo in opere antiquario primum vel deinceps ſit edita, an vel ab ipſo Cl. Collectore reperta, vel ab amicis ſibi miſſa, numero reliquarum nunc demum acceſſerit. Summa ſe diligentia, ait, litterarum figuras in Graecis et Latinis, communibus diſſimiles, notaſſe, nexus item litterarum, ſiglas, apices, interpunctiones, exſcripſiſſe.

Sed quia ei non licuit omnia ipſi inſpicere, nec e Patria pedem efferre, non dubitamus, quin plurima indagationes eius effugerint, et, ſiue monumentorum diuerſorum exemplarium cum antiquiſſimis editionibus, ſiue cum Autographis comparatio ſpectetur, quam ſane exigebat ab talium Editore ſpectator et iudex elegantiſſimus, Doruillius *Miſcell. Obſeruatt. Nou.* p. 101. Tom. III. multa deſiderentur. Is autem merito harum antiquarum ἐκδόσεων monumentorum rationem haberi vult, quandocunque inſcriptiones in poſterioribus libris exhibitas, ſed non ad ipſa ſaxa iterum recenſitas, a primis illis diſcrepare comperimus.

Quare,

Quare, editiones has, ait, conſulendi prouinciam negligere minime debere, ſi quis vel in ſingulares titulos commentari, vel ſparſos hic illic in Syntagma vnum velit compingere. Scilicet, in lectorum etiam commodum, ſingula Inſcriptionum Graecarum potiſſimum verba, quae vt plurimum in ipſis ſaxis inter ſe commixta et nullo interuallo diſtincta ſunt, diducenda, et opportunis ſpatiis diſcriminanda cenſuit. Nam ſicut ſupina negligentia, ita putida diligentia, facile moleſtia creatur, quod Richardi Pocoki factum declarat. Qui reprehenſus a Reiskio in Praefatione ad Anthologiam Cephalae p. 27. quod monumenta vetera tam cruda proiecerit, vt ad metalla lectores damnaſſe videretur, pariter a Cl. noſtro Editore improbatur. Quae tamen via potior ſit, haec ne aſperior, qua durius proceditur, an illa mollior, et ad incautius tractanda et commaculanda vetera monumenta pronior, iudicent aequi rerum arbitri, et lapidariis Muſis addicti. Narrantur enim reliqua, quae Cl. Editor Operis eſt ſolitus ad fauorem ſibi comparandum. Graecis verſionem Latinam adiecit. His aeque ac Latinis Annotationes adſperſit. Monumenta minora, ſiue quae in gemmis, anulis, ſigillis, lucernis, ponderibus, vaſis que reliquis inſcripta ſint, ea ad ſeparatam Claſſem redegit, quam inprimis memorabilem faciunt nonnulla veterum Diplomatum plumbea ſigilla, quae ad res Siculas tam ſacras, quam ciuiles, ante IX. aerae chriſtianae Saeculum, illuſtrandas valent. Vnica ſub claſſe Inſcriptionum cuiuscunque generis fragmenta retulit. Suſpectas etiam in vna claſſe collocauit. Nonnulla barbaris litteris inſcripta monumenta, ſibi ad augendum hoc opus ab amicis oblata, addidit. Magnum enim numerum amicorum et fautorum commemorat quorum beneuolentia et cura effectum ſit, vt monumentis multis ineditis hae lapidariae diuitiae amplificarentur. Quae longiorem, de dialectis, quibus Graeci Sicelіotae vſi ſunt, de antiqua ſcribendi forma, ſeu Palaeo-

graphia, de litterarum rexibus et iunꝺturis in Siculis monumentis conſpiciendis, denique de chronologia et antiqua Siculorum anni et menſium ratione diſputationem flagitabant ea tractauit ſeorſim, et, quidquid haberet, tradidit in Prolegomenis per quatuor capita diuiſis, huic editioni praemiſſis. Igitur Cl. Auctor rem altius, et a diuerſis, qui ad inhabitandam Siciliam profecti ſunt, colonis, repetendo, non vnam, quam credant, Doricam dialectum in illa terra obtinuiſſe, ſed cum hac etiam Ionicam, et inter vtramque mediam, quam Himerenſes tenuerint, viguiſſe, Siculos male inter Graecorum reliquos fuiſſe locutos, peculiares eorum linguam voces, propriaque verba habuiſſe, eamque tandem temporibus ſuccedentibus varias ſubiiſſe mutationes, docet. His interponitur lectu digna, de Minotauro, digreſſio. Caetera fere proferendis e nummorum vetuſtate monumentorumque memoria ſpeciminibus abſoluuntur, quibus, quinam ductus litterarum quarumdam ſingularum, quae formae compoſitarum, pluriumue vno nexu expreſſarum, quas ſiglas vno vocabulo conſuetudo appellauit, olim fuerit, declaretur. Quo quamquam Montefalconii et Corſini pertinent opera, tamen in his obſeruatis, vt Cl. Auctor promittit, reperiat aliquis, quae ab vtroque praetermiſſa ſint. Specimina, notis de cauſſis, commode dari non poſſunt. Non enim iſta narrando, ſed intuendo percipiuntur. Et quoniam, vt praediximus, quasdam ſigulares inſcriptiones, chronologica nonnulla continentes, ſua ſub claſſe diſpoſitas dedit, de annis et menſibus ex diſciplina Siculorum computandis ſibi agendum putauit. Indicem ad finem appoſuit, cuius ope facile ſingularum Inſcriptionum res notatu dignas poſſit quisque reperire.

Quae cum ita ſint, non eſt quod dubitemus, quin hoc opus, propter magnam et multiplicem vtilitatem, laudandum et commendandum ſit. At ſunt tamen in Graecis multa

et

et in Latinis parum elaborata. Quae enim ex ſcriptoribus Graecis docendi aliquid vel probandi cauſſa commemorantur, ea ex Latina tantum verſione, non ex Graeco ipſo afferuntur. Quod in imperitorum lectorum gratiam factum, a peritioribus merito ſpernitur. Cum de ſingulorum vocabulorum ſignificatione aliquid traditur, quod ſane raro fit, nam Annotationes non tam Critici, quam Hiſtorici et Antiquarii et Geographici generis ſunt, continentque nota multa, certe iis, quibus tales libri parantur; igitur, cum tamen aliquid de vocibus dicitur, ad vulgares Lexicographos, Schreuelium et Scapulam, prouocatur; v. c. in Prelegom. p. 30. et ad Inſcriptiones p. 132. vbi pro exquiſita Ruhnkenii ad Timaei Gloſſas Platonicas de voce ἴηθεος p. 96. obſeruatione, Schreuelii Lexicon citatur, ſicut mox Scapulae, ad vocem δέμας. Ibidem Epigramma legitur a Gualtero et Muratorio prolatum, a Leichio emendatum in *Miſcellaneis Lipſienſ. Nouis* Vol. I. p. 500. et ad *Carmina ſepulcralia*, ad cuius mentem cum edere vellet Auctor, aliud aliunde Apographum accepit, ſed aeque mutilatum et mancum. Ab initio Κύζικος, Cyzicus, pro Σύζυγος, non videtur ſpernendum; ſed mox ſiue Αὐτὸς ἔχεις πόθεν ἦν legatur, ſententia laborat, ſiue αὐτὸς ἔχει πόθησεν, inania tenemus. Optimum foret, ſi αὐτὸς ἔχει poſſit eſſe pentametri clauſula. Sed quid de πόθησεν fiet? Hoc certe videmus, quam *commodam* Latinam verſionem iſtorum nominat V. C. *Ipſe habet quae deſiderauit*, in fraudem inductus a Gualterio, eam vt leniſſimo verbo dicamur, ineptiſſimam eſſe. Huiusmodi arbitrariis et fictitiis ellipſibus inducendis, ex quouis quiduis facere liceat. Hoc vel vno, quid de caeteris ſperandum ſit, indicatur. Aliis opibus, quam quas V. C. attulit egemus. Lapidum quorumdum Graece inſcriptorum verſiones, ſiue illae iteratae, ſiue interpolatae, ſiue denique nouae ſint, minime probandae. P. 175. τοῖς ἰδίοις πᾶσιν, non vertendum erat: *ſuis propriis omnibus*, ſed ſimpliciter, *ſuis*, vt in

Latinis inſcriptionibus frequens eſt, *ſibi ſuisque*. Nec vero ἀμεμπτος P. 178. in vno lapide ter repetitum, totidem vicibus diuerſimode nunc *inculpabilis*, nunc *irreprehenſibilis*, nunc *innocens*, erat reddendum, ſed *incorruptus*, *integer*, et, ſi lapidarem ſtilum ſequimur, *caſtus*.

Suſpecti tituli eiecti et in vnum collecti ſunt. Bene. Anne igitur ceteri omnes genuini? Nullus ne vetuſtate corruptus, ab aliquo minus perito male inſtauratus deprehendatur? Certe qui claſſe quinta, magiſtratuum maiorum minorumque, ac priuatorum honores, inſcripta, p. 43. legitur, prope Thuſam, in maceriis veteris Aleſae conſpectus ab V. C. et inter reliquas lacunas verba refert: *Ita licet — L. C rnelium Schiziam — — honoris cauſſa*, — ſuſpectus fuit viris doctis, Doruillio in *Siculis*, itemque Burmanno ad eumdem librum, ſi recte meminimus quae ea de re in his Eruditorum Actis a. 1754. exponuntur et memorantur.

Qui claſſe ſeptima, Opera et loca tum publica, tum priuata comprehendente, p. 61. n. 2. profertur titulus, ex altera parte βασιλίσσας φιλίστιδος, ex altera truncata verba duo exhibens, longam peperit obſeruationem de Philiſtide regina, cuius veteres ſcriptores nullam, nummi vero mentionem faciant, quam adhuc incertum fuiſſe vbi regnauerit, diuerſis doctorum hominum ſententiis. Nunc hoc titulo planum factum, Syracuſanorum Reginam fuiſſe. Sed nihilominus tamen latere, vtrum, quod ipſa regnaret, an quod alicuius tyranni Vxor, Soror, vel Filia eſſet, regina ſit dicta. Prolixa quoque ſunt, quae ad Claſſ. XIV. 187. de Capitio, vrbe, dicuntur. Reliqua fere nimis ieiune et tenuiter traduntur. De Correctoribus imperii Romani, de quibus extat elegans Epiſtola Sigism. Frid. Dreſigii ad Henr. Iac. Bornium Lipſiae a. 1739. edita, dicendum erat

ad

ad Claſſ. IV. p. 35. 36. in quo V. Cl. breuiſſimis defungitur, in quibus et ipſis quaedam, niſi plenius, tamen melius dicta fuiſſe iuuet. Parum enim abeſt, quin e Correctore Conrectorem fecerit. Ait autem, idem Latronianus de quo in lapide ſermo eſt, apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. 10, 5. dicitur Κοντικτορος Σικελίας; cum vero verbum hoc Κοντίκτορος nullum ſenſum habeat, — hinc loco κοντίκτορος ſubſtituendum Κορέκτορος Σικελίας. Idem Gualtero viſum eſſe, et Henr. Valeſio ad Euſebii hiſtoriam. Vtrumque nunc nobis conſulere non licet. Sed primum nominatiuus in hac voce non eſt Κοντίκτορος, qui genitiuus eſt ſed Κοντίκτορ. Porro Κοντίκτορ, ſi Meurſio credimus, qui illam vocem ex eo ipſo Euſebii loco refert in Gloſſario Graeco-Barbaro p. n. 264. eſt *Contector*. Nec abſurdum eſt, Contectoris et Correctoris nomen idem putare. Deinde Corrector non Κορέκτορ Graece dicitur, ſed Κορρήκτορ, vel Κορρίκτορ, vt docet idem Meurſius in Gloſſ. Graeco-Barb. p. 269. Quibuscum quin ab Cangio in Gloſſario, quod nunc ad manus non eſt, dicta conſentiant, non dubitamus. Denique prae Actis Proconſularibus S. Eupli Catanenſis Martyris ſub Diocletiano Auguſto, editis a Ioh. Cotelerio in *Monum. Eccleſ. Graecae*, etc. vbi Correctoris Siciliae primum fiat mentio, (nam hoc vt arbitramur dicere voluit V. C. obſcuris quodammodo his: *primum habetur notitia*) memorandus eſſet titulus apud Gruterum p. 1102. n 8.

Huiusmodi etiam ſunt quae de Gymnaſticae diſciplinae rebus atque verbis, de ponderibus, menſuris, quae de vocibus πρόκαυσις, quae *Antiſudatorium*, θερμάτης, quae *curator balnei* vertitur, neſcimus quam bene, deque ἔξοδος *expenſae*, p. 65. 97. etc. dicuntur.

In fine monentur lectores, quomodo *quaedam errata, quae in operis editione fluxere*, ſint corrigenda. Multa, di-

, cen-

cendum erat, neque enim eorum exiguus numerus eſt. Ad extremum adduntur, non ſine anxietate quadam et ſollicitudine, quae ad palliandos et excuſandos errores, adque culpam ab Auctore in typographum remouendam, pertinent. Qua ſatisfactione, an omnes ſint contenti futuri, dubitamus. Neque nobis adhuc perſuadere poſſumus, Auctorem prorſus culpa vacare. Nam pleraque vitia orationis magis, quam operarum errata ſunt. Et iſtorum, quae memorantur, numerus, altero tanto augeri poſſit, et reliqua inemendata et parum culta oratio demonſtrat. In ea quidem inſunt, *vaſibus: cui rei vt feciſſem ſatis, nulli et diligentiae et labori teſtor indulſiſſe: ſuſpicauit: Aetas noſtra habuit in apertum: ſummae eruditiones in hoc lapide delibantur: ſecurius eſt*, pro certius, et alia plura.

LVDOVICI CAPPELLI CRITICA SACRA, SEV de variis, quae in ſacris Vet. Teſtamenti libris occurrunt lectionibus, libri ſex: recenſuit, multisque animaduerſionibus auxit GEO. IO. LVD. VOGEL Philoſ. in regia Frider. Profeſſor publ. Tomus I. tres priores libros ſiſtens.

Halae Magdeburgicae, apud Ioannem Chriſtianum Hendel CIƆIƆCCLXXV. Eiusdem libri *Tomus II.* tres poſteriores libros ſiſtens, recenſuit, multisque animaduerſionibus auxit IO. GOTTFR. SCHARFENBERG, ibid. apud eundem CIƆIƆCCLXXIIX. plag. 1104.

Quum Ludov. Cappellus, ſub initium ſuperioris ſeculi, Salmurii literas Orientis, nec non Theologiam profitere-

teretur, et comparando loca parallela V. T. et loca in N. T. laudata, vt et conferendo interpretes Graecos, Chaldaeos, latinum, ac Commentarios quoque Iudaeorum, hinc atque inde frequenter obuia diſſenſus atque diſcrepantiae veſtigia ſibi reperire videretur: ex his collegit, hodiernum textum hebraeum, Maſorethicum ſcilicet, non exhibere ſemper totidem literis et apicibus lectionem, quae fuerit in ipſis ſacrorum Scriptorum autographis, hac tamen varietate neque Scripturae ſacrae auctoritatem labefactari, nec, quam literis diuinis debemus, fidem dubiam incertamque reddi. Inde igitur originem duxere ſuam ſex libri de Variis lectionibus Vet. Teſt. vel potius de iis locis, quae bis in Vet. Teſt. occurrunt, quae laudantur a Scriptoribus N. T. quae denique non conuenire videntur Verſionibus antiquis, tandem quoque in Rabinorum commentariis aliter leguntur; cui Criticae Cappelli iam tum *Io. Buxtorfius iunior* ex aduerſo poſuit *Anticriticam*, qui vtrique libri a literarum ſacrarum ſtudioſis ſimul legi, atque inter ſe comparari merentur Quum vero variantium lectionum V. T. corradendarum amor ſtudiumque, noſtra aetate a multis, Kennicoto inprimis, excitatum, ita vigeat, vt non deſint qui ſtatim, ne verbis quidem intellectis, ad corrigendum emendandumque aduolent, maiorique licentia in librorum ſacrorum varietate iudicanda verſentur, quam in libris humanis reſtituendis: haud reprehendendum videtur conſilium repetendi eius generis libri, ex quo Critices ſacrae ſtudioſi intelligere poſſint, et quam modeſte, quamque caute verſandum ſit in literis diuinis perſcrutandis, et quam exacta atque accurata omnium veterum linguarum ſcientia inſtructus atque exornatus eſſe debeat is, qui religioſe in ea re verſari, ſuoque officio ſatisfacere velit. Haud parum fructus quoque ex Critica Cappelli euoluenda redundabit in eos, qui vel de origine ac bonitate lectionum, ope Codicum collectarum, iudicium ferendum, ſententiamque dicendam arbitrantur, vel

Digitized by Google

de componendis conciliandisque Verſionibus antiquis cum textu hebraeo cogitandum ſibi exiſtimant. Quamuis igitur Cappellus nullis Codicibus ſcriptis vſus ſit, quos noſtrae aetatis homines cum textu impreſſo conferendos exiſtimant, fueritque in ea opinione, vt negaret, hebraeum Veteris Teſtamenti textum certo conſilio et data opera corruptum, quod noſtro tempore nemo facile, qui Kennicoti autoritatem ſequitur, ſibi perſuaderi patietur; quamuis denique Cappellus frequenter in eo peccare videatur, quod modo exemplar Romanum Verſionis Alexandrinae, et libros ſaepe parum emendatos ſequitur, aut interpretes aliter legiſſe opinatur, cum vim modo tribuerint verbis hebraicis rarioribus atque ambiguis eam, quae vel ſuae, vel aliorum interpretandi rationi minus congrueret: eam tamen peritorum laudem tulit, vt clariſſ. Vogelius operae pretium ſe facturum exiſtimaret, noua editione Criticae ſacrae curanda, cui ita praefuit, vt non de vitiis modo operarum in editione Pariſina obuiis tollendis minuendisque eſſet ſollicitus, ſed etiam obſeruationibus ſuis ſententiam Cappelli vel refutaret, vel explicaret atque illuſtraret. Quum capite primo Libri primi affirmaſſet Cappellus, textum hebraicum V. T. non a Iudaeis data opera eſſe corruptum atque deprauatum, ei opponitur auctoritas Ven. Kennicoti in diſſertatione II. de Samaritano Pentateucho, et Cl Oweni obſeruationes de corruptionibus Verſionis Alexandrinae a Iudaeis profectis Cappello de locis V. T. bis occurrentibus capite 3. diſputante, Vogelius primo catalogos variarum lectionum ibi obuiarum ſubiecit, dein tribus obſeruationibus oſtendere conatur, librarios, ſeu deſcriptores Codicum, non modo ex mera negligentia textum corrupiſſe, ſed multa quoque data opera mutaſſe. Librarii ſaepiſſime pro ſuo arbitrio textum immutaſſe dicuntur, praefixum ו, particulam את, He demonſtratiuum, literas paragogicas, vel addendo, vel omittendo, particulas eiusdem ſignificationis permutando,

coniu-

coniugationes, tempora, numeros, atque perſonas verborum variando. Librarii dein textus corruptos, vel quos corruptos putarent, ex ingenio reſtituere ſunt conati: e. g. Pſ. XIV, 5 6. et Pſ. LIII, 5. et 6. ſibi perſuadet, (ſed falſo, vt nobis quidem videtur,) vtroque in loco olim eadem fuiſſe verba, at cum librarii negligentia Pſ. LIII, 5. exciderit צדיק inde hanc inſignem varietatem ab ingenio textum reſtituere conantium fluxiſſe. At Criticis quoque familiariſſimum fuit, locos Scripturae aliis ſimilibus reddere ſimillimos: v. c. Ieſ. XXXVII, 18 voces את כל הארצות a Critico ex verſu 11. huc translata videntur, cum 2 Reg. XIX, 17. rectius את הצרים. Quid ſi vero ארצות notet queque gentes, Alex. τὴν οἰκουμένην ὅλην, non eſt quod euphoniae cauſa, propter ſequens ואת ארצם ad incertam coniecturam confugiamus. Aeque incerta videatur coniectura Cl. Vogelii, Criticum quendam Ieſ. XXXVI, 10. pro הזה המקום vt legitur 2 Reg. XIX, 25. repoſuiſſe הארץ הזאת vt praecedentia verba conformaret ſequentibus. Quod ſi vero factum eſſet, vt Vogelius credidit, in nonnullis Codicibus legeretur Ieſ. XXXVI, 10. המקום הזה in aliis e Codice huius Critici ductis הארץ הזאת, quod in textu nunc quidem legitur, quodque etiam Graeci interpretes legiſſe videntur, reddentes ἐπὶ τὴν χώραν ταῦτην, altero autem loco 2 Reg. XIX, 25. vocibus ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον vſi. Nulla vero ratione nobis perſuaderi patiemur, librarios vel Iudaeos, vel Chriſtianos, ſi aliqua etiam Critices praeceptorum cognitione, pro ſui temporis ratione, fuiſſent inſtructi, hoc datum ſibi exiſtimaſſe, vt in deſcribendis Codicibus alia loca ſimilia inter ſe compararent, et pro arbitrio omittendo, addendo, corrigendo, textus integritatem reſtituere conarentur. Multum enim abfuerunt Critici vel librarii, quos ſibi fingit Vogelius, vt a peritia artis criticae, ſic etiam a noſtrae aetatis licentia. At fuimus in his longiores quam pro conſilio noſtro, cuius memores, praecipua modo

Cl. Vogelii annotata commemorabimus, omnia ac ſingula doctorum iudicio relicturi. Quum lingua hebraea careret ſignis vocalium quibus iam vtimur, horum loco literas vocales, ſeu matres lectionis, adhibitas eſſe conſtat; hasque librariorum olim arbitrio relictas fuiſſe Vogelius tribus argumentis, et ſingulari libro demonſtrauit, et hoc quoque loco Cap. III, libr. I. p. 53. breuiter repetiit. Primum quidem argumentum hanc vim habet, vt oſtendatur, *ſola librariorum negligentia ortam eſſe tantam quoad matres lectionis varietatem, qualis reperitur, ſi textus impreſſus Samaritanus et Codices ſcripti inter ſe conferantur.* Altero argumento proferuntur *multa in Codice hebraeo exempla locorum, qui inſertione cuiuſdam matris lectionis in verbo aliquo ſunt corrupti.* Tertio tandem argumento oſtenditur, *ſingularem quendam uſum matrum lectionis, qui in mira quadam conſtantia abſoluitur, haud pati, vt librariorum negligentiae potius, quam eorum arbitrio tribuatur matrum lectionis varietas:* Libro II. quum agat Cappellus de allegationibus V. T. in N. T. obuiis, has fontem variarum lectionum haberi dicique Vogelius recte quidem negat, ſed rationem huius rei minus idoneam edidit, hanc ſcilicet, quod ſcriptores N. T. non ſcripta librorum V. T. exemplaria, ſed memoriae fidem ſecuti ſint, eosque ſaepius quoque memoria deſtituiſſe videatur. Quodſi enim fidem habemus Apoſtolis, de inſpiratione diuina vere gloriantibus, non poſſumus ſacris ſcriptoribus lapſus memoriae imputare, ſi non iisdem verbis loca V. T. laudant, quibus Alexandrini interpretes vtuntur. Cauſae enim diſſenſus vel in corruptione Alexandrinae verſionis, vel in conſilio Apoſtolorum, non ſingula verba quaſi numerantium, ſed ſenſum vimque verborum exprimentium, quaerendae potius videntur. Cappello contendenti, exemplisque demonſtranti, Apoſtolos nonnunquam relicta verſione graeca hebraicum textum ſecutos eſſe, Vogelius omnibus viribus repugnat, atque conſenſum cum textu hebraico potius

tius caſui, aut conſuetudini, locum V. T. memoriter atque admodum libere laudandi tribuendum cenſet At omnis iſta diſputatio longior eſt, quam pro conſilio noſtro, ſcribendique arctius circumſcriptis finibus. Libro III. additae animaduerſiones Vogelii aduerſantur hypotheſi Cappelli, quam de lectionibus textus *Chetibhot* dictis vt plurimum melioribus, quam lectiones marginis, ſeu *Kriot*, protulit: ex Buxtorfii vero Anticritica eas excerptas legimus notas, quibus Cappelli Critica emendatur: vt et p. 443—460. conſpicitur Epimetron de Ittur Sopherim (ablatione ſcribarum,) Tikkun Sopherim (correctione) vocibus punctatis et Piska, in quo Cl. Vogelius Buxtorfium ducem ſecutus eſt.

Quum Vogelius, praematura morte hinc auocatus, alteri Criticae Cappelli parti recenſendae manum admouere non poſſet, huius rei curam ſuſcepit Clariſſimus *Scharfenberg*, artium magiſter, qui in Vniuerſitate literaria Lipſienſi literas Orientis non ſine laude peritorum docet. Is igitur verba Interpretum veterum a Cappello laudata corrupta ſi viderentur, integritati vt reſtitueret curauit, exigendo ſingula loca verſionis Alexandrinae ad recenſionem Grabianam, et comparando Hexapla Origenis a Montefalconio edita cum coniecturis Cappelli, qui fragmenta veterum Interpretum a Druſio collecta modo in conſilium adhibere potuerat, conferendo verba Interpretis Vulgati cum verbis graecorum Interpretum, lectiones denique excerptas e verſionibus Chaldaicis, et e Maſora, Commentariisque Iudaeorum, explorando ad normam editionis Baſileenſis Io. Buxtorfii, cum Cappellus Bombergianum exemplar ſecutus eſſe videatur. Cappellus vt conſtat, libro quarto et quinto varias lectiones commemorauit, quae circa Vocales et Accentus occurrerent in Verſionibus Graecis, Latinis, et Chaldaicis; at quum veteres interpretes libris hebraicis non

punctatis vſos eſſe certum ſit, in his exemplis non tam varietas lectionis, quam potius diuerſitas interpretationis reperiri videtur, cum Auctores Verſionis Alexandrinae verbi gratia ſaepius vel permiſcerent verba ſimilia, vel vim vocis Hebraicae exprimerent veram quidem, ſed non aptam cuique loco, vel propter ambiguitatem verbi hebraici a communi interpretandi ratione diſcederent. Hinc enata eſt fere infinita variantium a Cappello collectarum multitudo, atque ſtudioſis rei criticae amplus aperitur campus, multa loca a Cappello laudata diligentius examinandi; cum Clar. Scharfenberg inſigniora modo loca breuiter excutere potuerit, largum ſpicilegium aliis, qui hoc libro vterentur, relicturus, nec temere molem pretiumque libri, omnibus ſacrarum literarum ſtudioſis commendandi, aucturus. Verſiones antiquas omnes quidem cum Cod. Hebraeo magis conuenire, quam Alexandrinam, omnes concedunt, qui verſionibus antiquis eo conſilio vtuntur, vt inde textum hebraeum explicent, atque illuſtrent: nec tamen tantum diſſenſum eſſe Codicis hebraei, quo vſi ſunt auctores verſionis Alexandrinae, et librorum Hebraicorum noſtrae aetatis, quantum Cappellus fingat, doct. Scharfenbergius ad c. XV. libri IV. recte docuit. Primo enim lectionum variarum numero eximenda ſunt verba hebraica ab Interpretibus aliter pronuntiata, diſtracta, vel coniuncta, et recte quidem lecta, male vero explicata. Dein viri docti e verbis interpretum Alex. non recte intellectis temere excogitarunt lectiones nouas, et ab ingenio linguae hebraicae abhorrentes. Verſio tandem Alex: multis ſcatet vitiis ac mendis, Cappellus vero modo ſecutus eſt exemplar Romanum, veluti vnicam normam, ad quam dirigendum ſit iudicium de vera ſcriptura interpretum Alexandrinorum; quare doct. Editori amplam occaſionem dedit multa emendandi, cum is Grabii recenſione, Lud. Dei, Ed. Pocokii, aliorumque opera vti poſſet, ac recte in ſubſidium vocaret. Eadem ratio

eſt

eſt verſionis Vulgatae. Cappellus enim et errores Int. Vulgati in numerum variarum lectionum retulit, et maxima pars lectionum diſcrepantium Alexandrinis potius Interpretibus, quam Vulgato tribuenda videtur, quia hunc illos ſecutum eſſe conſtat. Quare etiam ſingulis locis verba Interpretum Graecorum, quae Vulgatus expreſſit, a Scharfenbergio laudata ſunt. Ratione libri ſexti, in quo vſus huius obſeruationis de variis lectionibus oſtenditur, inprimisque capite IIX. et IX. docetur, licere, adeoque expedire interdum, in ſacro cum Vet. tum N. T. textu coniecturas facere exemplis coniecturarum propoſuit: Clar. Scharfenberg noluit quid emendare, vel nouas obſeruationes addere, ſed id modo egit; vt lectores de conſenſu vel diſſenſu Verſionum antiquarum moneret, quo ipſi coniecturas propoſitas facilius ipſi examinare poſſent. Sic Cappellus Amos IV, 10. כדרך legendum coniicit, quia בְּדֶרֶךְ in via Aegypti non ſenſum haberet commodum: ſed videtur Cappello excidiſſe conſenſus Alex. Chald. et Vulgat. nec non vis vocis דרך, ex qua *ratio* atque *modus*, vt et apud Latinos, notatur. Eadem ratione Pſ. XXXIII, 7. pro כַּנֵּד legendum putat Cappellus בְּנֹאד: ſed cum hic laudetur נֵד *cumulus*, non נאד *vter*, nil ſollicitandum videtur. Ad 2 Sam. XVII, 20. vox מִיכַל reiecta a Cappello, vt vox nihili, ſubſtituta voce מִיבַל, aeque ignota, recte defenditur a Cl. Scharfenberg, cum ex origine Arabica, vt docet Boyſenius, *locum vbi parum reperitur aquae*, notare videatur. At Eſ LIIX, 3. legendum videtur בְּצֹעֵיכֶם, cui coniecturae Cappelli fauent et verba Vulgati interpretis, *omnes debitores veſtros repetitis*, expreſſa e verbis Symmachi et Theodotionis τὰς ὑπόχρεως ὑμῶν ἀπαιτεῖτε. Si 1 Sam. XVII, 12. putat Cappellus legendum בשנים ἐν ἔτεσι, vt eſt in Complut. doct. Scharfenberg vel בָּא ſuperfluum eſſe potius cenſet, vel ſubint. בַּיָּמִים, atque באנשים nil aliud notare, quam ſummam ſeruitutem, exiſtimat. Sed pluribus exemplis laudandis

dis ſuperſedemus, cum non dubitemus fore, vt Cappelli Critica noſtro quoque tempore multos lectores inueniat, qui etiam Clar. Editorum doctrinae et diligentiae dignas tribuant laudes.

IO. MATTHIAE SCHROECKHII, HISTOR. PROF. Ordin. in Acad. Viteberg. Hiſtoria Religionis et Eccleſiae Chriſtianae, adumbrata in vſus Lectionum.

Berolini, apud Auguſt. Mylium A. 1777. octonis.

Quae de omni Hiſtoria praedicari laudes ſolent, eam nimirum non ſolidioris ſolum doctrinae, ſed ipſius etiam vitae et prudentiae eſſe magiſtram, vt illas ad Hiſtoriam maxime Eccleſiaſticam transferamus, plura ſunt quae nos moueant argumenta. Indignum enim eſt homine Chriſtiano, erudito maxime, dogmatum quae profitetur fata, variasque religionis quam ſequitur viciſſitudines, cum vulgo ignorare. Vt taceam, neque Theologum in aſſerenda aduerſus diſſentientes ſanctiſſimae fidei veritate, neque Iureconſultum in diiudicandis Iuris Canonici et Decretiſtarum, quos vocant, placitis, feliciori vti poſſe ſucceſſu, niſi pleniorem quandam ſibi comparauerit Hiſtoriae Eccleſiaſticae cognitionem. Quid? quod Philoſophus etiam ſine inſigni quodam fructu, hanc de qua loquimur Hiſtoriae partem nunquam tractabit. Multa enim continet argumenta ex rerum geſtarum monimentis depromenda, quibus locus ille Politicus, de variis arcana conſilia celandi artificiis, egregie

poſſit

poſſit illuſtrari. Qua de re ſi quis dubitare malit, (vt hoc vno vti nobis liceat exemplo,) adeat quaeſo Pontificum Romanorum hiſtoriam, et certe, perſpecta Hierarchiae Papalis origine, fieri non poterit quin in noſtram tranſeat ſententiam. Quum igitur tot et tanta ſint, quae ex Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſtudio percipere poſſimus, commoda, nullum ſupereſt dubium, non operae ſolum pretium facere, ſed magnam quoque apud omnes eruditos inire gratiam, eum, qui ad laudatam artem in compendium redigendam, et vſui lectionum accommodandam, accingi ſe patiatur. Ad hunc vero laborem ſuſcipiendum, et pro argumenti dignitate exantlandum, non translatitiam ſufficere Hiſtoriae notitiam, ſed virum requiri in antiquioris et medii aeui monimentis verſatiſſimum, res ipſa docet. Quae quum ita ſint, ſatis gratulari numquam poſſumus Reipublicae Litterariae de elegantiſſima, quam indicauimus, manuductione ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, cuius auctori quantum iam debeat vniuerſa Hiſtoria nemo eſt qui ignoret.

Sunt vero multa ſane argumenta, quae faciant, vt hic liber omnium qui hactenus Hiſtoriae Eccleſiaſticae Inſtitutiones conſcripſerunt voluminibus iure merito praeferatur. Cuius iudicii veritas quo melius confirmetur, breuiorem, age, egregii operis ſuppeditemus conſpectum, et, praecipuorum, quibus maxime commendatur, meritorum recenſionem. Inter decora huius libri praecipua primo certe loco notandum eſt, celeberrimo Auctori non placuiſſe methodum illam, per ſingula ſaecula eundi, et in ſe difficiliorem, et a rerum geſtarum curſu, (vt doctiſſimi auctoris verbis vti nobis liceat,) atque inter ſe connexione, valde alienam. Hanc nimirum methodum a Matthia Flacio Illyrico, Iohanne Wigando, Matthaeo Iudice, Baſilio Fabro, aliisque Centuriarum Magdeburgicarum auctoribus, introductam, hactenus deſerere neſcio cur noluerunt Hiſtoriae Eccleſia-

ſticae ſcriptores, quum tamen dubitari non poſſit, et memoriae et iudicio magis fauere illam factorum enarrandorum ſeriem in certas periodos deſcribendi rationem. Quam poſteriorem methodum optimo ſane conſilio laudatiſſimus auctor ſecutus eſt. Breuiorem enim ipſius hiſtoriae tractationi praemiſit praeparationem, deinde vero quatuor periodis omnes religionis et eccleſiae Chriſtianae viciſſitudines, ad nouiſſima vsque tempora, complexus eſt. Quod ad praeparationem attinet, cuius mentionem iniecimus, in ea de religionum diuerſitate, Iudaicae vero et Chriſtianae prae ceteris eminentia, deque prioris cum poſteriori affinitate, de ſummis Hiſtoriae Eccleſiaſticae capitibus, de fontibus denique illius et ſubſidiis, et de ſumma quam praeſtet vtilitate, non minus eleganter, quam ſolide diſputatur (pag. 1—28.) ita, vt omnibus, qui rectius in hoc genere ſapere cupiunt, diligentem commendemus horum praecognoſcendorum lectionem. Ipſius Hiſtoriae tractatio, quod iam diximus, quatuor periodis continetur. Iſtarum prima a Chriſto nato protenditur ad Conſtantinum M. h. e. ab anno Chriſti I. ad a. CCCVI. et ſinceram ſiſtit atque incorruptam, quae primis ſaeculis fuerit, religionem chriſtianam; cultus diuini publici et cerimoniarum ſimplicitatem, diuina fidei noſtrae ſanctiſſimae origine dignam; viros denique de propagatione puriorum ſacrorum, deque generis humani ſalute optime meritos, quorum feraciſſima fuerunt tempora illa Chriſtianorum difficiliora (pag. 29—95.). Quo loco ſilentio praeterire non poſſumus egregiam celeberrimi auctoris methodum, digniſſimam omnino, quam omnes Hiſtoriarum ſcriptores ſequantur. Antequam enim ad enarranda religionis Chriſtianae primordia progrediatur, tam orbis Romani omninoque gentilis, quam gentis Iudaicae ſtatum (pag. 29—31.) qualis ea tempeſtate fuerat, ob oculos ponit lectoribus. Quae hiſtoriam docendi ratio, quantam pernoſcendis variorum euentuum cauſis, affundat lucem, quan

tam-

tamque vim habeat ad comparandam nobis rerum geſtarum cognitionem philoſophicam, nemo non intelligit. Secunda Periodus res in Eccleſia Chriſtiana ab anno aerae Dionyſianae CCCVI. ad annum DCCC. ſeu a Conſtantino M. ad reſtitutum vsque per Carolum M. in occidente Imperium geſtas, complectitur (pag. 95—164.). Adumbrato Imperii Romani, qui in hanc aetatem incidit, ſtatu, indicatisque Viſigothorum, Burgundionum, Vandalorum, aliorumque Germaniae populorum, et Saracenorum regnis, ex euerſa occidentis Monarchia natis, id potiſſimum egit auctor laudatiſſimus, vt tum Primatus Papae et Hierarchiae omnino eccleſiaſticae, tum vero etiam dogmatum et rituum, a primaeua Chriſtianismi ſimplicitate alienorum, bellorumque inter catholicos et haereticos magna contentione geſtorum, doceret origines et progreſſus. Periodus tertia deplorandam Eccleſiae Chriſtianae faciem, a Caroli M. aetate ad Lutherum vsque, ſeu annum MDXX. nefanda Pontificum Romanorum geſta, Waldenſium denique, Wicleſitarum, et Huſſitarum, de emendandis ſacris conſilia et conamina ſiſtens, ita pertractata eſt ab auctore celeberrimo, vt merito dubitemus, an inter omnes, qui hiſtoriae illuſtrandae inſudarunt, aliquis laudari poſſit, qui tantam rerum geſtarum copiam, tam foecunda breuitate, tamque ſubacto iudicio expoſuerit (pag 165—238.). In quarta tandem periodo, quae ab Epocha Lutheri ad noſtram vsque aetatem producitur, reſtauratam legimus Lutheri, Zwinglii, aliorumque ſummorum virorum opera, Chriſtianae fidei puritatem, infractam ſedis Romanae dominationem, propagatam ad varias gentes, etiam a Chriſtianismo alieniſſimas, puriorum ſacrorum formulam, re[illegible]atam denique cum reſtitutis ſacris cultus diuini numinis, et omnino ſentiendi libertatem (pag. 239—292.). Quae omnia, nitidiſſimo dicendi genere enarrata, nemo non leget ſine admiratione praeſtantiſſimi, quod in auctore ineſt, ingenii, animique, quo inter omnes

 eminet,

Digitized by Google

eminet, ab omni partium ſtudio alieni. Liceat nobis vltima, quibus finem dicendi fecit, verba, vtpote quae optimam ſiſtunt ἰιλικρινείας, qua laudatiſſimus auctor vnice commendatur, imaginem huc transſcribere. „*Tot inter diſſidia, inquit* (pag. 292.) *et certamina partim Chriſtianorum, partim qui religionem eorum contemnunt, magis magisque intelligunt partium omnium homines, in mediis de religione diſſenſionibus humanitatem tamen integram ſeruandam eſſe, poſſeque de virtute et pietate exercenda inter ſe conſpirare, qui multis in quaeſtionibus diuerſa ſequantur. Varios et egregios fructus, ex ipſis aduerſariorum doctrinae chriſtianae ſcriptis, viri ſapientes percipiunt. Patet etiam in dies clarius, reſtare non pauca ingenii humani inuenta et ornamenta, rectius a religione reſecanda. Omnis autem haec hiſtoria religionis Chriſti docet, eam, cum innumera et ingentia in orbem beneficia contulerit, longe plura fuiſſe collaturam, ſi intemeratam et puram reliquiſſent homines; ei commendandae, et ad vtilitatem communem transferendae, profuiſſe quidem doctores illius, ſed his etiam tribuendum, quod minus quam par eſt cognita et amata ſit a longe plurimis; denique in eo ſtatu hodie verſari hanc religionem hominum vitio, qui nec optimus ſit, nec triſtiſſimus.*“

Tantum de periodis, in quas vniuerſam Eccleſiae Chriſtianae hiſtoriam diſpeſcere placuit auctori celeberrimo. Reſtant nonnulla de libri meritis in vniuerſum annotanda. Quem in cenſum omnino veniunt tabulae chronologicae ſingulis periodis ſub finem annexae, quibus epochae, quae in illis occurrant, et viciſſitudines nobiliores, Haereſium et Schismatum origines, recenſentur, notitia quoque notabiliorum hominum necrologica ſuppeditatur. Neque ſilentio praetereundum eſt, numquam ſatis laudandum Auctoris doctiſſimi ſtudium, veritatem hiſtoricam eruendi, quod ex ſingulis ipſius libri paragraphis elucet. Non leuis autem fuit opera, quam in audiendis rerum geſtarum teſtibus, comparandisque inter ſe eorum narrationibus, toto ſae-

pius

pius caelo diuerſis, conſumſit laudatiſſimus auctor. Sed ne his quidem teſtimoniis contentus, optimo ſane conſilio diplomatum, ſimiliumque monimentorum publica auctoritate editorum, fide niti maluit; ſubinde etiam, ſilentibus iis, vel in plane diuerſas partes abeuntibus, a quibus rerum geſtarum teſtimonia peti poſſent, aliquid dedit veroſimili coniecturae et dubitationi, ſeruata tamen inueſtigandi et iudicandi perpetua libertate. In notulis denique ſingulis paragraphis ſubiectis, partim auctores laudantur, quorum fide facta narrata ſint, partim vero etiam vt cum auctore loquamur, docentibus quaedam de perſonis, factis, et opinionibus memoriae dignis, plenius dicendi anſae ſuppeditantur, eadem fere methodo, qua Vir magni inter Iureconſultos nominis, *Euerhardus Otto, in notitia praecipuorum Europae Rerumpublicarum*, vſus eſt. His ita diſputatis, votum adiungimus pro ſalute laudatiſſimi auctoris, cuius Muſae, vt ſimiles ad alia etiam Hiſtoriae capita manuductiones in lucem prodire iubeant, id eſt quod vnice optamus.

IOANNIS GODOFREDI KOERNERI, S. TH. D. et Prof. Publ. Ordin. in Academia Lipſienſi, etc. de Cyclo Iobelaeo commentatiuncula.

Cum multi exſtent et varii temporum cycli, ab hominibus iam antiquiſſimae aetatis ad tempora dimetienda excogitati, quorum praecipuos doctiſſimus Dodwellus in libro de veteribus Graecorum Romanorumque cyclis copioſe enarrauit: inter omnes tamen eminet cyclus Iobelaeus, quippe qui reliquos non ſolum antiquitate ſuperat, verum vel ideo praeferendus merito iudicatur, quod ab ipſo Deo ori-

originem ducit, atque hinc omnibus, hominum ex ingenio, ſingulari quamuis cura, et opera vix ſatis laudanda, productis, multo perfectior, imo perfectiſſimus omnium cenſeri debet. Huius itaque indolem et praeſtantiam paucis declarare apud animum conſtitui.

Legimus mandatum diuinum Leu. XXV. 1—11. quo Iudaeis praeſcripſit cyclum Iobelaeum, ſeu ſeriem $7 \times 7 = 49$ annorum lunae ſolarium in perpetuo et aequabili circuitu redeuntium, qua anni, menſes, hebdomades et dies, ad ſolis et lunae curſum per epactas quas format accurate definiri poſſunt.

Huius quidem cycli Iobelaei memoriam prouida Dei cura, non ſolum per ſollemnem annorum ſabbaticorum et Iobelaeorum celebrationem conſeruare voluit, ſed Iudaeis etiam praecepit, vt in omnibus contractibus ciuilibus ad annum XLIX. tamquam reſtitutionis bonorum et remiſſionis debitorum, reſpicerent: et quod maxime mirandum, ipſe Deus res populi Iudaici ita prouidentia ſua ordinauit, vt praecipua illarum momenta cum annis Iobelaeis conuenirent; quid? quod totius reipublicae ambitus, decurſu triginta annorum Iobelaeorum, et ſex ſabbaticorum, abſolueretur.

Sed ipſa verba mandati audiamus, l. c. v. 8. 9. „Numerato annorum ſabbaticorum ſeptem, vt ſeptem anni ſe„pties numerentur, et tempus horum ſeptem annorum facit „quadraginta nouem annos. Tunc tubam per totam ter„ram perſonare facias in die decimo ſeptimi menſis die ex„piationis, et annum anni huius quinquageſimi ſanctum ha„beatis, et proclametis liberationem omnibus terrae incolis, „hic enim annus eſt vobis Iobelaeus, in quo quisque ad poſ„ſeſſionem et familiam ſuam reuertatur."

An-

Digitized by Google

Annus nimirum ſabbaticus erat Iudaeis ex mandato diuino quilibet annus ſeptimus, Exod. XXIII, 10. 11. quem poſt introitum in terram promiſſam ſancte obſeruare debebant, ita vt ſex annis terram colerent frugesque colligerent, ſeptimo vero agros incultos relinquerent, et terrae quietem concederent. Quemadmodum enim ſeptimus dies ab opere vacuus erat, ſic annus quilibet ſeptimus terrae quietem adferebat, vnde ſabbatum terrae vulgo nominabatur. Initium hi anni ab autumno capiunt cum agrorum cultu, et anno Iudaeorum ciuili.

Conſtat autem cyclus Iobelaeus, vt verba legis diſerte docent, quadraginta nouem annis, nec ii ſunt audiendi, qui quinquaginta annis conſtare contendunt. Ipſum quoque cyclum a tempore autumni numerandum eſſe, et idem cum annis ſabbaticis initium habuiſſe, res ipſa ſatis confirmat.

Sed quales fuerint anni in cyclo Iobelaeo, lunares an ſolares, an vero lunae-ſolares, ſeu lunares ſolaribus aequati, diſpiciendum. Lunares quo minus ſtatuamus, obſtat certum et determinatum initium menſe ſeptimo autumnali. Quodſi enim mere lunares fuiſſent, omnes anni tempeſtates ſuo circulo permeaſſent. Sunt enim, vt omnibus notum, ſolaribus breuiores, et intra triginta trium annorum ſpatium totum annum ab his recedunt. Patet praeterea ex diluuii hiſtoria a Moſe deſcripta, annum lunae-ſolarem fuiſſe in vſu. Nam diluuium, quod per totum annum durauit, initium habens die decimo ſeptimo ſecundi menſis, ſ. viceſimo ſeptimo Nouembris, finem habuit eodem die anni ſequentis. Quodſi autem ad lunam numeraſſet Moſes, in diem decimum ſextum ſecundi menſis finis cadere debuiſſet, Gen. VII. 11. VIII. 14. Anni lunae-ſolares tam ad lunam, quam ad ſolem numerantur, ita tamen, vt lunaribus tantum temporis adiiciatur, quantum ad illos ſolaribus

bus aequandos ſufficit, illudque adiectum epacta vocari ſolet.

Annus ſolaris conſtat 365. diebus 5. horis 48′
annus lunaris 354. — 8. — 48′
breuior ſolari 10. d. 21. h. 0′
quae ſunt epactae annuae.

Anni ſolares 49 = 17896 d. + 20 h. + 56′
Anni lunares 49 = 17363 d. + 23 h. + 43′
breuiores ſolaribus 532 d. 21 h. 13′

quae ſunt epactae 49. annorum lunarium, ſ. dies addendae vt ſolaribus aequentur, qui ſi in 49. annos diſtribuuntur, cadunt in quemque 42. annorum 11. dies et in quemque ſeptimum annum 10. d. Nam

$42 \times 11 = 462$
$7 \times 10 = 70$
habes: 532 d. ſ. epactas 49 annorum.

En Cyclum epacticum Iobelaeum

I.		II.		III.		IV.		V.		VI.		VII.
XI	8	XXVIII	15	XV	22	III	29	XX	36	VII	43	XXIV
XXII	9	IX	16	XXVI	23	XIV	30	I	37	XVIII	44	VI
III	10	XX	17	VIII	24	XXV	31	XII	38	XXIX	45	XVII
XIV	11	II	18	XIX	25	VI	32	XXIII	39	XI	46	XXVIII
XXV	12	XIII	19	O	26	XVII	33	V	40	XXII	47	IX
VII	13	XXIV	20	XI	27	XXVIII	34	XVI	41	III	48	XX
XVII	14	IV	21	XXI	28	IX	35	XXVI	42	XIII	49	XXX.

His praemiſſis, verbis textus: annum anni huius quinquageſimi ſanctum habeatis, lucem affundere licet. Quaeritur enim, quid de anno, quem ipſe Deus quinquageſimum nominaſſe videtur, ſit ſtatuendum. Sunt nimirum, qui hunc annum ab anno quadrageſimo nono diſtinguendum

eſſe

eſſe autumant. Verum cum annus Iobelaeus etiam ſabbaticus fuerit, et Deus quietem agrorum non niſi poſt ſex annos, quibus terra fuerit culta, obſeruari iuſſerit, annum quadrageſimum nonum, qui in cyclo fuit ſabbaticus ſeptimus, annum Iobelaeum fuiſſe neceſſe eſt. Quodſi enim diuerſum iudicaueris, dicendum eſt, agros per duos annos otioſos manſiſſe, vnde facile fames orta fuiſſet, cuius tamen nullum in ſacris litteris veſtigium, nec legiſlatoris de ea auertenda cura oſtendi poteſt.

Quadrageſimus nempe nonus annus fuit ſimul, alio reſpectu, quinquageſimus.

Conſtat enim hic cyclus quadraginta nouem annis ſolaribus, quibus aequales quinquaginta anni lunares et ſex menſes, hinc annus quinquageſimus lunaris cum ſex menſibus, in ipſis annis quadraginta nouem incluſus eſt, vt vere dici poſſit annus quadrageſimus nonus, idemque ſimul habeatur quinquageſimus lunaris, quod ex epactis facile euincitur; nam:

$$532\ d = 354 + 178\ d.$$
$$= 1\ \text{ann.}\ 6\ \text{menſ.}$$

Innuit hoc ipſa Dei ſanctio, ſic enim ait: v. 10. קדשתם אתשנת החמשים שנה annum anni huius quinquageſimi ſanctum habeatis, et denuo: יובל הוא שנת החמשים שנה תהיה לכם, annus quinquageſimi huius anni ſit vobis Iobelaeus. Terminus enim a quo annus Iobelaeus initium caperet, erat dies vndecimus menſis ſeptimi anni quinquageſimi, qui iam cum menſe Niſan inierat. Hinc annus Iobelaeus erat altera pars anni quinquageſimi lunaris, et vsque ad finem anni quadrageſimi noni ſolaris extendebatur. Continebat autem hic annus cum ſex menſibus antecedentibus aeque tot dies epactarum, quot in annis quadraginta nouem lunaribus intercalandae fuerant, vt hi annis quadraginta nouem ſolaribus aequarentur. Ex quo intelligitur, annum Iobelaeum fuiſſe intercalarem id

quod ipſum nomen a Deo impoſitum ſatis luculenter demonſtrat.

Sunt quidem qui in nomine huius anni nonniſi laetitiam diei feſti indicari ſibi aliisque perſuadere cupiunt, eumque non aliam ob cauſam ita nominari contendunt, quam quoniam ſono tubarum promulgaretur. Sed qui curatius rem tractarunt, alium prorſus ſignificatum vocabulo aſſignarunt. Nam cum verbum הוביל a quo יובל deriuatur, parem ſignificationem cum verbo graeco ἐπάγειν habeat, quod ex locis Ier. XXXI, 8. Pſ. LX, 9. CVIII, 11. et in primis Iob. XXI, 30. collata verſione Graeca τῶν ό cum textu Hebraeo, patet, a quo quippe nomen epacta deducitur, hinc facile colligitur, annum Iobelaeum cum anno ἐπαγομένῳ conuenire, et in vernacula per *Epactenjahr, Schaltjahr*, optime exprimi poſſe. Vel ſi mauis, reductionis annum nominare fas eſt, quia per illum anni in ordinem chronologicum redacti, et ſtatus quoque Iudaeorum in priſtinam libertatem fuit reſtitutus. Varius cogitari poteſt intercalandi modus, et illum quidem, quo poſt annum demum quadrageſimum nonum lunarem intercalatio facta eſſet, vel ideo non admittendum cenſemus, quia hac ratione annus lunaris annos quadraginta nouem ſolares percurrens, temporum et feſtorum ordinem per ſingulos annos turbaſſet, tempus quoque intercalandum octodecim menſium nimis longum fuiſſet, vno nimirum anno et eius dimidio vix explendum. Quotannis potius factam ſuadet ipſa ſanctio diuina: numerato annorum ſabbaticorum ſeptem; hi nimirum ſeptem anni mere lunares eſſe haud poterant, quia certum et determinatum ad ſolem principium, autumnum nempe, habebant. Sed an ſingulis annis dies adiecti, vt ſupra in tabula docuimus, an vero integri menſes cuiuis anno ſecundo aut tertio intercalati fuerint, hoc loco indagare noſtri non fert inſtituti ratio. Si qui tamen, ſecundum

mo-

Digitized by Google

modum alias apud Iudaeos receptum, magis probabilem iudicent, nos non habebunt contradicentes.

Sed ſatis de anno: iam de periodo Iobelaea, cuius praeſtantiam tum qua partes ſingulas, quibus dies, hebdomades, menſes, anni, adcuratam determinationem periodicam habent, tum qua alias periodos notabiliores, magna cum cura, et tanta cum claritate euicit celeberr. Iohannes Georgius Frankius, in Nouo ſyſtemate chronologiae fundamentalis, quod prodiit Goettingae 1778. vt omnem prorſus ademiſſe videatur dubitationem; e cuius laboribus doctiſſ. nos plurimum profeciſſe gratiſſimo animo publice profitemur. Multo enim labore conſtructis tabulis pluribus exactiſſimis, id effecit vir laude noſtra maior, vt quilibet, cui diligentiam ſuam aut patientiam forte in ſupputando et numerando exercere libuerit, intelligere cum animi quadam voluptate poſſit, Periodum Iobelaeam perfectiſſimam eſſe temporis menſuram; omnes enim alii cycli temporis in ea continentur, tempus ad ſolis et lunae motum adcurate definitur, imo maxime idonea eſt haec Periodus ad aliorum Chronologorum epochas diiudicandas, et ad hanc dirigendas, quapropter Chronologiam Iobelaeam fundamentalem nominare non dubitauit celeberrimus Franckius.

Superſedemus chronologicis disquiſitionibus, quae quippe longiorem requirunt tractationem, et difficultate laborant, nec lectoribus harum rerum non peritis ſuauitate ſe commendant. Hiſtorica tantum commemorabimus: hiſtoricam enim eſſe hanc Periodum Iobelaeam, dubitari eo minus licet, cum omnes epochae hiſtoricae ad hanc multo commodius, quam ad Iulianam conſuetam, definiantur, termino illarum vero a condito mundo conſtituto.

Digitized by Google

Periodus Iobelaea incipit ab anno 533. Periodi Iulianae, et cum illa aequaliter deinde procedit, hinc ſubtractis ab annis Per. Iul. annis 532. habebis annum Periodi Iobelaeae. Sic annus p. C. N. 1779. eſt annus Periodi Iul.

6492. a quibus ſi ſubtraxeris
532. remanebunt pro anno Per. Iobel.
5960. Hac ratione omnes Epochae ad Period. Iobel. reduci poſſunt, quae hactenus ad Period. Iul. dimenſae fuerunt.

Sunt autem epochae celebriores vel biblicae, vel politicae. Et in vtriſque Epocha mundi conditi eſt primaria, reliquarum caput et fundamentum, in qua definienda ſi ad certum terminum peruenire velimus, Periodi Iobeleae filum ſequi iuuat. Haec enim eſt lunae-ſolaris, quae cum curſu ſolis et lunae incipit, et cum his pari paſſu per numerum ſeptenarium dierum et annorum procedit. Quare nihil certius eſt, quam tempora ipſa ibi initium capere, vbi haec periodus incipit.

Annus certe mundi primus hos habeat characteres neceſſe eſt:

1) vt cyclus Solis et Lunae ab 1. incipiant;
2) vt initium anni primi cum aequinoctio autumnali coincidat;
3) vt cum quarto hebdomadis die, quo Deus Solem et Lunam produxit, nouilunium coincidat.

Qui characteres omnes nulli alii quam primo periodi Iobelaei anno competunt, quod apparet ſi ab anno Iudaeorum primo ſabbatico et Iobelaeo retro numeres ſeptenarium vsque ad initia mundi. Nam cum ex ſupputatione accuratiſſima annus κληρουχίας incidat in annum mundi 2744. adeo vt anno ſequenti 2745. anni ſabbatici, et cum iis Cyclus Iobelaeus initium ceperint; ſi annos praecedentes 2744. diuidas per numerum ſeptenarium $49 = 7 \times 7$. quotum erit

erit 56. qui numerus indicat quot Cycli Iobelaei effluxerint, ante quam ex mandato diuino, occupata terra promiſſa, hanc annos numerandi rationem obſeruarent Iudaei. Praeſtat vero in hoc potiſſimum argumento Periodus Iobelaea Iulianae, duplici de cauſa. Primo enim Per. Iuliana incipit die 1 ma Ianuarii, Iobelaea vero d. 23. Sept. quae differentia eſt nouem fere menſium. Deinde illa ex annis Iulianis, haec ex tropicis conſtat, quorum differentia a condito mundo ad praeſens vsque tempus quadraginta ſex efficit dies. Vt adeo maiorem in Periodo Iobelaea perfectionem haud difficulter agnoſcere liceat. Nimis longum eſſet oſtendere, quomodo reliquae Epochae, tum biblicae, tum profanae, facili negotio ad Periodum Iobelaeam applicari poſſint, ita vt multae difficultates obortae diſſipentur, quod apud eum, qui otium nobis fecit, laudatiſſimum Franckium, vberius expoſitum inuenient, qui harum rerum curioſa non ſolum, ſed et vtiliſſima cognitione delectantur.

Notiſſima eſt, et omnium Chronologorum voce celebrata Periodus illa, quam Scaliger inueniſſe dicitur, Iuliana, quam hypotheticam eſſe, et artificialem, omnes concedunt qui eius indolem habent perſpectam. Initium ſcilicet ſumit ab anno quo cyclus Lunae, Solis, et Indictionis, ſimul ab 1. incipiunt, talem annum non verum, ſed fictum, retro numerando ita conſtituit, vt mundi exordium per aliquot centenos annos praecurrat. Fatemur, ad characteres annorum determinandos hanc periodum Iulianam maxime idoneam eſſe, qua de cauſa a plerisque Chronologis pro norma temporum, et communi annorum et epocharum receptaculo habetur. Eundem tamen vſum Periodus Iobelaea praeſtat, et vel ideo praeferenda, quod non hypothetica ſit, ſed hiſtorica, non artificialis, ſed naturalis, non ab hominibus inuenta, ſed a Deo praeſcripta. Accedit, quod non Iulia-

nis, ſed tropicis annis numeret, in quo, a cuius parte ſtet veritas, quilibet aequus rerum arbiter facile iudicabit.

Inprimis vero notatu dignum, maximam eſſe conuenientiam et aequabilitatem Periodi Iobeleae cum euentibus iis, quibus epochae in hiſtoria tum ſacra, tum profana cenſentur. Nam in plurimis non caſu, ſed deliberato conſilio illius, qui omnia regit, res attentione digniſſimae vel abſoluta, vel incipiente periodo Iobelaea, euenere: ſic v. g. natiuitas Abrahami incidit in annum mundi 2009. qui eſt annus 41. Iobelaeus a mundo condito, a quo vsque ad poſſeſſionem terrae Canaan ſunt quindecim, et ad mortem Chriſti praeciſe 45. anni Iobelaei, ſ. vt adcuratius dicamus, a natiuitate Abrami ad initium reipublicae Iudaicae ſunt cycli 15

inde ad annum 15. Hiſkiae, qui medius eſt Periodi Iob. Iudaicae iterum 15

hinc ad annum mortis Chriſti pariter 15

45

Quae adcurata temporis dimenſio non ſolum initium Periodi Iob. Iudaicae certum reddit, ſed et clariſſime docet, totum hunc temporis tractum ab Abrahamo ad Chriſtum, per prouidentiam Dei ſingularem, ad formam Periodi Iobeleae dimenſum eſſe. Sic ab initio reipublicae Iudaicae, quo Periodus Iobelaea in vſu eſſe coepit apud Iudaeos, vsque ad mortem Chriſti, ſunt praeciſe 30. cycli Iobelaei. Memorabilis maxime aequalitas temporis in epocha ſeptuaginta hebdomadum Danielis. Nam ab initio mundi vsque ad initium ſeptuaginta hebdomadum ſunt praeciſe 76. cycli Iobelaei, et vsque ad euerſionem reipublicae Iudaicae toties 76. anni praeterlapſi ſunt, quot ſunt cycli Iobelaei ab initio mundi ad eius fundationem, nempe $76 \times 56 = 4256$,

Co-

Ceterum facilis eſt comparatio epocharum politicarum cum annis Periodi Iobeleae, dummodo id, quod ſupra diximus, teneatur, ſuperare Periodum Iulianam annis 532. Iobelaeam. Sic Epocha

aerae Nabonaſſareae		Per. Iul.		Iobel.
incidit in annum	—	3967	—	3435
Olympiadum	—	3938	—	3406
Romae conditae	—	3961	—	3429
Seleucidarum	—	4402	—	3870
Iulianae	—	4669	—	4137
Chriſtianae	—	4714	—	4182

In conſtituenda hac Periodo Iobelaea vix dubitare licet, reſpexiſſe Deum ad magnum illum annum Meſſiae Iobelaeum, quo homines peccatores a ſeruitute ſpirituali in perpetuam libertatem vindicarentur. Euidentiſſime hoc docet Ieſaias vaticinio illuſtri C. LXI. 1. 2. imo ipſe Chriſtus, qui haec in ſe euentum habere confirmat Luc. IV. 18.

Digitized by Google

ELOGIVM

IO. CHRISTIAN. POLYCARPI ERXLEBEN

Philoſ. D. et P. P. O. in Acad. Georgia Auguſta, Soc. Reg. Scientiar. Sodalis, Inſtituti Regii Hiſtorici Goettingenſ. Regiae Societ. Oeconomicae Cellenſis, Batauae Philoſoph. experimentalis Rotterodamenſis, Socii; amicorum naturae ſcrutatorum Beroſinenſis, Sodalis honorarii.

Qui rebus humanis exceſſit D. XVIII. AVGVSTI CIↃIↃCCLXXVII.
Auctore ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER.

De ERXLEBENIO, exſpectare poteratis, vt me facundior diceret; dedit vero is precibus meis, vt, quem ſtudiorum communitas, ipſa ingeniorum ſimilitudo, mihi iunxerant, eius, Vobis exhiberem, non imaginem artis ſolertia commendabilem, ſed picturam, qualem puella Corinthia inuenit, dum amati iuuenis, peregre abeuntis, vmbram, lineis circumſcripſit. — Natus eſt ERXLEBENIVS d. XXII Iunii CIↃIↃCCXXXXIIII, Quedlinburgi, parentibus Ioanne Chriſtiano, Diacono ad aedem d. Nicolai, et Dorothea Chriſtiana, quae medicinae ſcientiam eam probauerat Ordini medicorum Hallenſi, vt editis conſuetis ſpeciminibus, diſputatione etiam ſolemni ſummis, quos litteraria vniuerſitas dare poſſit in arte ſalutari, honoribus, digna renunciaretur. — Prima litterarum tirocinia in Gymnaſio, quod Quedlinburgi eſt, poſuit. Retulit mihi aliquando, a rectore, qui tum praeerat, Wynekenio nomen erat, non ſolum in reliquis ſtudiis, quae ad humanitatem pertinent, ſed in philoſophia etiam et matheſi, plurimum ſe profeciſſe. — Anno ſexageſimo ſecundo Verdam ſe contulit. Ibi auuncu-

cu-

culus, Chriſtianus Polycarpus Leporinus, pro munere quo adhuc fungitur, militum aegrorum curam gerebat; ERXLEBENIVS in noſocomio chirurgicas inprimis operationes ſpectauit. — Ad Georgiam Auguſtam acceſſit anno ſexageſimo tertio, operam daturus illi arti, in qua rariſſimo certe exemplo, ſi non inter Germanos vnico, matris gloriam ſibi propoſitam haberet, ad quam adſpiraret Frequentauit ſcholas Medicorum, qui tunc Goettingam ornabant, quorum nomina celebriora ſunt, quam vt repetere hic opus ſit. Sub hoc ipſum vitae academicae initium, cum mihi phyſicam docenti adeſſet, Medicinae ſtudioſum ſe appellauit. Aliis ſcholis, quas habebam, nullis interfuit — Anno ſexageſimo ſeptimo, poſtquam Ordini philoſophico eruditionem ſuam probaſſet, doctoris philoſophiae iuribus auctus eſt Eam ob rem, cum ſcriptum eſſet edendum, quod publice defenderet, ſatis quidem ipſe poterat ſententias ſuas tueri, me tamen comitem colloquii adſciſcere voluit. Eſt vero illud ſcriptum, quo animalium mammalium ſyſtemata diiudicat, Prodromus velut elementorum hiſtoriae naturalis, quae ſequenti anno edidit. De Medicina Equorum et Pecorum ſcripſit anno LXVIIII. et ſtipendio regio adiutus, iter inſtituit, eius artis accuratius cognoſcendae cauſſa quam poſt reditum docuit. — Phyſicae et Chemiae libros elementares edidit, et auditoribus explicauit. — Et in his quidem doctrinis ſummam diligentiae poſuit, neque tamen neglexit alias, quae ad ornandum aut acuendum ingenium pertinerent. Inſtituto Regio Hiſtorico, inde a primo eius ortu, adfuit. Germanis, philoſophiae quam aliqui ſubtiliorem exiſtimant curioſis, Searchii librum legendum tradidit. Vt noua noſtra litteraria emendatius praelo exirent, per plures annos curauit; quod negotium, niſi varia eruditione in vſum vocata, feliciter peragi non poteſt. — Ingenium variis rebus aptum oſtendit etiam peritia eius artis, quae litterarum ſe-

creta, ſignis ſolerter effictis celata, reuelat. — Seuerioribus litteris amoeniores coniunxerat, et, qui fructus eſt huius coniunctionis, id conſequutus erat, vt de grauibus quaeſtionibus diſſereret, non ſubtiliter tantum, ſed etiam perſpicue et eleganter. — Suum fecit Societas noſtra Scientiarum anno ſeptuageſimo quarto, cui Commentationes, chymici inprimis argumenti, exhibuit quatuor, pro numero annorum, quibus nobis adfuit. Diſſertationum phyſico-chemicarum Volumen edidit anno proxime elapſo; *primum* appellauit, quod iam *unicum* eſt. — De libris nouis ad naturae cognitionem pertinentibus retulit ipſe, nullo adiutore, in bibliotheca phyſica, cuius tria volumina abſoluit. — Syſtema animalium, quale poterat ab ipſo exſpectari, Mammalium Claſſe, hoc demum anno edita, oſtendit. — Scripta ab eo ſupereſſe intellexi plurima, quae pertineant ad nouam elementorum artis veterinariae, quam parabat, editionem, item integrum fere volumen bibliothecae phyſicae. Olim mihi exhibuit inſectorum agri Goettingenſis catalogum, cui vt aliquid praefarer a me poſtulabat. Sed libellus in publicum non prodiit, forte quod alii libri, praeterquam diſciplinarum compendia, Soſiis noſtris aera non merent. — Haec quidem Goettingae ab ipſo peracta mihi innotuerunt. — Sociam eius operam adſciuerunt Sodalitates, Regia, Oeconomica Cellenſis, Bataua quae philoſophiae experimentali vacat Roterodamenſis, amicorum naturae ſcrutatorum Berolinenſis. — His quae contulerit ſollicite non quaeſiui, perſuaſus, decennium, cuius labores ſummatim enumeraui, non in otio tranſactum eſſe ab eo, qui cum ſingulis diebus plures horas auditoribus tribueret, haec tamen ſcripſit, et recte quidem, nam vt multum nil ego moror. — Hiſtoriam naturalem quam vocant, iudicabat, animalium, plantarum, foſſilium, non catalogum eſſe, ſed phyſicam. Itaque horum corporum ſtructuram, analyſin, proprietates, vſus,

Digitized by Google

vſus, docuit, non neglectis tamen notis, quarum ope velut in indices poſſent referri. Quos indices ſolos, qui memoriae mandant, aut, ad euoluendos illos, manus habent exercitatas, fruſtra ſibi perſuadent, librum ipſum naturae ſe tenere. — Prodeſt vero, noſſe varios rerum naturalium characteres, quibus, ad illas ordinandas, alii aliter vtuntur. Ea in re nihil deſiderare lectores ſuos paſſus eſt ERXLEBENIVS, ſequutus tamen inprimis communem omnium naturae ſcrutatorum praeceptorem, Linnaeum; quod recte exiſtimaret, ſi poſſent ſatis commode reperiri in indice quae liber continet, de forma indicis non multum eſſe diſputandum. — Piſces credebat rectius ordinatos iri dentibus conſideratis. Sed id cogitatum obſeruationibus perficere non potuit, homo mediterraneus, viuens in loco parum piſcoſo — Habet hiſtoriae naturalis ſtudium, noſtro inprimis aeuo, id aſperitatis, quod, quaſi non ſatis grauaretur rerum multitudine, nominibus obruitur, et diſcendae ſunt eius cultori linguae, non ſolum gentium et politiorum, et barbararum, ſed ſcriptorum etiam, tum politiorum tum barbarorum, quorum cuiusuis examinandae etiam ſunt, atque inter ſe, ac cum ipſa natura conferendae, deſcriptiones, et picturae, vt, quod naturae contemplatione abſolui crederes, bibliotheca, quae non poſſit eſſe priuati hominis, opus habeat. — Tali labore natum eſt, quod ante nominaui, Syſtema mammalium, quorum omnia collegit quotquot in libris offenduntur. Ordines nullos fecit, quod nec dentibus, nec pedibus, ſatis commode diſtingui videret; itaque genera ſola exhibuit, et in his quaedam ſubtilius diſcriminauit, vt dentium cauſſa, Pteropodes a veſpertilionibus. — Satis animi erat ERXLEBENIO, ad reliquas animalium claſſes ſimili opera recenſendas, et multa quae eo pertinerent collegiſſe ſe memorat. Sed accidit illi, quod de Apelle habet Plinius, cum Venerem Cois inchoauerat: inuidit mors, peracta parte, in qua lineamenta reli-

Digitized by Google

qua, ipſaeque cogitationes artificis ſpectentur, atque in lenocinio commendationis dolor eſt. Vtentur vero illo quod ſupereſt velut claſſico libro, quotquot in animalium hiſtoria laborabunt. — Trium illorum, aut quatuor, ſi Wallerio credimus, naturae regnorum, hiſtoria, non niſi pars eſt ſcientiae naturalis, tanta quidem, vt ſat laudis conſequi poſſint, qui illa parte, aut partis particula, toti occupantur. Non tamen expleuit ERXLEBENII animum, qui ſtudii ſui limites alios non nouerat, quam quos habet rerum natura. — Eſt vero phaenomenorum, quae ſenſibus noſtris offeruntur, duplex ratio: alia pendent a *corporum* figuris, magnitudine, motibus; alia, *materiis*, quarum partes ſingulas delineare non poſſumus, commixtis oriuntur. Illa *Matheſis* ſcrutatur, haec *Chemia*, quibus duabus continetur omnis naturae cognitio. Rarius coniunctas reperias, quae ſingulae poſſint exercere praeſtantis ingenii accuratiſſimam diligentiam; coniunxit vero ERXLEBENIVS. — Chemiam ita exercuit, vt, quam aliqui medicinis parandis, aut metallis tractandis, vnice vtilem exiſtimant, praeſtantiſſimum naturae cognoſcendae inſtrumentum oſtenderet. — Ea vero occaſione non potuit non monere philoſophos per ignem, quam turpiter ſe dent, ſi reliquae naturalis philoſophiae omnino rudes reperiantur. — Coram Societate noſtra de quaeſtionibus chymicis diſſeruit, quas et difficultas commendaret, et vſus, tentaminum circumſpecte inſtituendorum, et ad vera ex iis deducenda recte adhibendorum, exemplaria oſtendens. — In Phyſica quae poſſint experimentis illuſtrari, et ſenſibus vtcunque ſubiici, eorum, nec cauſſas ſatis intelligi, nec vſus recte percipi, ſine matheſi, ſaepius ſublimiore, profitebatur. — Maiorem certe, quam vellet, temporis partem, neceſſe erat vt daret ſcholis, et libellis in ſcholarum vſum ſcribendis; quod fatum commune ipſi erat cum pleriſque litterarum cultoribus, nam nobis Germanis, aliis ingenium ſors dedit, aliis di-

Digitized by Google

diuitias. — Sed in his ipſis ita verſabatur, vt ſcientiarum amore ductus, non mercede ſola excitatus, ſpectaretur. Adeo placebant libri eius elementares, vt plurium vniuerſitatum litterariarum doctores illis vterentur, et mox repetenda eſſet illorum editio, quae vt priore multo melior prodiret, nulli labori parcebat. Ita in phyſicis inſtitutionibus mutauit non ſolum, de quibus ipſum monebam, ſed et, me non monente, plura, in primis in ordine, vbi videbam aliqua melius digeri poſſe, ſed operam illum reformidaturum verebar. Qua re ſimul intelligetur, nec nimium ſibi placuiſſe, nec moroſi fuiſſe ingenii, qui tam benigne acciperet quae emendanda ſuaderentur. — In his ipſis vero libellis, quos tironibus ſcripſit, cum voluptate ſpectet eruditior, auctorem totum ſcientiae ambitum, concinna et perſpicua breuitate complecti, in ordinandis, explicandis, demonſtrandis veris, multa egregie vidiſſe, ſollicite recenſere ſcriptores, vnde augeri poſſint doctrinae copiae. — Haec, quae ERXLEBENIVS, illuſtrandis et augendis ſcientiis praeſtitit, copioſius credidi a me dici potuiſſe, quam ab alio. Qua morum probitate fuerit, quam nemini grauis, quam officioſus in omnes, quam carus amicis, id nulli veſtrum, Auditores, a me dicendum eſt, et eas ERXLEBENII laudes, diſertius, quam poſſet ſermo meus, praedicat omnium qui illum norunt ſilens et moeſtum deſiderium. — Ex abſceſſu hepatis, quo per plures annos laborauerit, natum morbum, quo extinctus eſt, refert, qui, quaecunque poterat artis peritia, amore in adfinem excitata, aegro praeſtitit, Excell. STROHMEYERVS. — Sic, qui nondum duos menſes expleuiſſet ſupra annum aetatis triceſimum tertium, die XVIII. Auguſti *), occubuit, cum longaeuitatem ſperare, optare certe poſſet, vel eam ob rem, quod multis egre-

*) Veſpere. Non decima nona, vt in variis nouis litterariis legitur.

egregie peractis, plura addenda moliretur; cum floreret eorum, quibus probari maxime cupiebat, iudiciis, requieſcens a laboribus, ad nouos alacrius ſuſcipiendos, amore et conſortio vxoris, quae ex animi ſententia contigerat, filiolarum venuſtarum, fratris et ſororum, recrearetur. — Quae quidem cum ſint inter ea, quae maxime beatam ſapienti reddant vitam humanam, ab illis tamen firmo et conſtanti animo diſceſſiſſe referunt, qui extremo temporis quo mortalis erat adfuerunt, vt qui ſciret, ſe quidem maioribus bonis fruiturum, quae autem ſua appellare poterat, dum ſibi credita erant, eum curaturum, cuius nutu, vt diſcederet ab hac ſtatione, iuberetur. — Nos, vt et nobis hanc largiatur εὐθανασίαν Pater ſpirituum, quantum ipſi poſſumus, virtutis ſtudio praeſtemus, poteritque nobis, vel dum cogitamus de hoc maximo quod hominibus ſuſcipiendum eſt negotio, iucunda eſſe recordatio ERXLEBENII, qui alias, tot tantisque in doctrinam meritis, memoriam ſui commendauit; vere autem ipſi contigit, quod Eudoxo Cnidio Sacerdotes Aegyptii praedixerant, *) eſſe ἔνδοξον, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον.

SCRIPTORVM ERXLEBENII CATALOGVS.

1) Diſſertatio inauguralis, ſiſtens diiudicationem ſyſtematum animalium mammalium. Goett. 1767. 2) Anfangsgründe der Naturgeſchichte. Gött. 1768. — Derſelben zweyte vermehrte und verbeſſerte Ausgabe, mit Kupfern. Gött. 1773. 3) Einleitung in die Vieharzney-Kunſt. Gött. 1769. 4) Anfangsgründe der Naturlehre. Gött. 1772. — Zweyte, ſehr verbeſſerte und vermehrte Ausgabe. Gött. 1777. 5) Anfangsgründe der Chemie,

*) Diog. Laert. Lib. VIII, ſegm. 91.

Digitized by Google

mie; Gött. 1775. 6) Phyſiſch-chemiſche Abhandlungen, Erſter Band, Leipz. 1776. 7) Syſtema regni animalis, per claſſes, ordines, genera, ſpecies, varietates, cum ſynonymia, et hiſtoria animalium, claſſis I. Mammalia. Lipſ. 1777. 8) Phyſikaliſche Bibliothek, I. II. Band 1775. III. B. 1777. 9) Das I. Licht der Natur, von Eduard Search, Eſqu. Des I. Th. I. II. Band, aus dem Engl. überſ. von Ioh. Chr. P. Erxleben, 1771 — 72.

COMMENTATIONES SOC. SC.
Goettingenſi exhibitae.

I.) Super purpura minerali obſeruationes chemicae, 1774. Comm. Nov. Tom. V. II.) Aluminis roſei, quod fratres Grauenhorſtii Brunſv. parant, examen chemicum, 1775. Tom. VI. III.) Experimenta nonnulla, Blackianam de aere fixo doctrinam ſpectantia, 1776. Tom. VII. IV.) De lege, ſecundum quam calor corporum certo temporis interuallo creſcit, vel decreſcit.

MEMORIA HVNGARORVM ET PROVINCIAlium, ſcriptis editis notorum, quam excitat ALEXIVS HORANYI *Hung. Budenſis, de CC. RR. Scholarum Piarum.*
PARS I. II. et III.

Impenſis Antonii Loewii, Bibliopolae Poſonienſis, 1775. 1776. et 1777.

Quemadmodum ſcribit Plutarchus, in vita Cimonis: „nolumus, vt pictores, qui decoras et eximie venuſtas for-

formas pingunt, ſi quid iis inſit leuis vitii, id praetereant prorſus, neque etiam vt vndequaque exprimant, quippe hoc deformem, illud diſcrepantem reddat effigiem:, ita quando arduum eſt, vel fieri non poteſt potius, vt hominis vllius vita illuſtretur quae omni careat macula, et pura ſit veritas, ſicut ſimulacrum in honeſtis complenda eſt. Illas vero actiones, quae ex quodam animi motu, ob Reipublicae tempora eueniunt, offenſas denique et vitia, claudicationes potius alicuius virtutis, quam fraudes improbitatis exiſtimantes, non debemus diligenter nimium et ad amuſſim in ſcribendo explicare, ſed velut ſortis humanae rubore capti, quae nihil boni perfecte, neque mores prorſus inculpatos ferat " Hanc perfectam Biographi imaginem immortali opere egregie expreſſit *Alexius Horányi*, e Cler. Reg. Scholarum Piarum, V. Cl. atque doctiſſimus, gentis ſuae Plutarchus, qui in componenda et exornanda eruditorum Hungarorum, itemque Prouincialium biographia, nihil cupiditati, nihil odio quod dicitur religionis coeco, ſed omnia veritati tribuit; eiusque rei inſignia proſtant hinc inde ſparſa ſpecimina, quorum maxime illuſtria inſunt in vita Matthiae Belii, Hiſtoriographi olim celebratiſſimi, Matthiae Bahil, atque Danielis Kermanni, in carceribus Poſonienſibus demortui.

Vſus vero eſt eruditiſſimus Auctor in exornanda ſua hiſtoria his fere ſubſidiis, quorum notitiam elegans praefatio ſuppeditat: 1) Vſui fuere commentarii *Dauidis Czvittingeri*, quibus vltimam manum adhibuit *Mollerus*, Neoſolienſium Medicus, atque typis vulgauit hoc titulo: *Specimen Hungariae litteratae, virorum eruditione clarorum, natione Hungarorum, Dalmatarum, Croatarum, Sclauonum, atque Tranſiluanorum, vitas, ſcripta, elogia et cenſuras, ordine alphabetico exhibens. Accedit Bibliotheca Scriptorum de rebus Hungaricis. Francofurti et Lipſiae, typis et ſumtibus Iod. Guilielmi Kohleſii.* A. 1711. 4. 2) Anonymi cuiusdam libel-

bellus, *rei Hungaricae litteratae* titulo inſignitus, et *Caſſouiae* forma ordinis duodecima impreſſius Ao. 1735. 3) *Hiſtoriae Hungariae litterariae antiqui, medii, atque recentioris aeui lineamenta, quorum prolegomena generalem in vniuerſam Hiſtoriam Hungariae litterariam introductionem continentia prodierunt, ſtudio ac ſumtu* Rhotaridis *Hungari. Altonauiae et Seruestae.* Ao. 1745. 4) *Petri Bodii Hungaricae Athenae, ſeu virorum doctrina florentium in Tranſiluania et Hungaria, et eorum potiſſimum, qui libris in lucem emiſſis celebritatem nominis conſequuti, a grata poſteritate memorantur, hiſtorica deſcriptio.* Cibinii Ao. 1766. 8. Auctor, ſtudio partium multa ſcripſit, quae ſcribi; etiam poſteritatis cauſſa, non oportebat, eratque prudentiae minime conſentaneum, vnde factum eſt, vt liber Imperatricis Reginae iuſſu ſupprimeretur.

Erant praeterea complures, qui eruditis ad Horányum noſtrum V. Cl. miſſis litteris, conatus eius adiuuarent, diuerſi ordinis clerici, religionisque diuerſae. Laudantur ergo ordinis S. Franciſci *Vincentius Blaho*, e prouincia SS. Seruatoris, *Philippus ab Ochieuia*, Prouinciae Bosniae Argentinae. Ex ordine in Hungaria olim florentiſſimo S. Pauli primi Eremitae *Ioachimus Kollarich*, e prouincia Hungariae. Ex ordine S. Dominici, *Pius Füſſi*. Ex inſtituto de CC. RR. Scholarum piarum, *Chriſtianus Kaſtor*. Eorum vero, qui nulli ordinum regularium adſcripti, ſuam tamen operam contulere, hi fere laudantur: *Samuel Székely de Doba*, emeritus Centurio, *Carolus Theophilus Vindiſch*, *Cornides*, Vir magnae eruditionis, *Ionathas Vietoris*, Gymnaſii Sempronienſis Conrector praeſtantiſſimus, et *Ioannes Michael Klein*, apud Poſonienſes V. D. M. Bibliothecam vero ſuam aperuit auctori noſtro illuſtr. *Paulus Feſtetich de Tolna*, ſacri aerarii Proquaeſtor, non ita pridem ad dignitatem Comitum euectus. Idem praeſtitit Gideon *Rádai de Ráda*. Adiuuarunt praeterea ſumtibus, conſiliis, magni nominis Viri, *Ioſephus e Comitibus Batthiány* de Német Ujvár, Colo-

Cccc cien-

Digitized by Google

cienſium Archiepiſcopus, Comes *Georgius Fekete de Galantha*, Iudex Curiae Regiae, et Summus per Hungariam ſtudiorum moderator, *Comes Antonius Károlyi* de Nagy-Károly, Dapiferorum Regalium Magiſter, *L. B. Laurentius Ortzy*, Chiliarcha, et *Michael Beleznai* de eadem, Protribunus.

Vel obiter tantum facta comparatio egregii huius atque laborioſiſſimi operis cum monimentis eorum, qui in eodem hiſtoriae campo induſtriam ſuam exercuere, aperte docet Horányium longo interuallo poſt ſe omnes reliquiſſe, quamuis, qua eſt ſentiendi de ſe modeſtia, fateatur, ſe ſummum faſtigium adtingere non potuiſſe. Sed quis hominum poteſt; praeſtitit vnus, pertinaci labore atque induſtria, quod a plurium ſocietate, ingenue fatemur, vix ſperare licebat. Et Patriae communis, (nam qui haec ſcribit Hungarus eſt,) et literarum cauſa, vehementer optamus, vt contingat eruditiſſimo atque laborioſiſſimo viro aetas longaeua, omnibus et animi et corporis bonis comitata.

CHRISTIANI FRIDERICI MATTHAEI, Vniuerſitatis Caeſareae Mosquenſis Profeſſoris, et Gymnaſiorum eiusdem Vniuerſitatis Rectoris, Lectiones Moſquenſes.

VOL. I. et II.

Lipſiae ſumtu E. B. Schwickerti 1779. plagg. $14\frac{1}{2}$. in 8.

Qui nunc in excutiendis et protrahendis Codicibus manuſcriptis occupatur, bibliothecarum Roſſicarum, Moſquen

quenſium potiſſimum, cultor aſſiduus et incola, *Matthaei* V. C. (cuius diligentiam et contentionem nemo non miretur et laudet,) ſtudii ſui fructus, pro ſapientia liberali cum exteris communicare nondum deſtitit, nec inpoſterum, pro conſtanti et promta iuuandi rem theologicam et litterariam voluntate, deſiſtet, plurima ad vtrumque genus profutura, ſicut recenter denuo promiſit, in lucem deinceps editurus. Quae adhuc exierunt, duobus Voluminibus, nam plura ſequentur, haec ſunt. Primum volumen tenet 1) *Iohannis Chryſoſtomi* orationem, Ἑορτή, ἀδελφοί, μέλλει προσελαύνειν: 2) *Specimen Catenae ineditae* adquatuor Euangeliſtas: 3) *Excerpta* ex Anonymi libello medico: 4) *Excerpta* ex Grammatica Georgii Lecapeni: 5) *Notitia Codicis Columellae*, et ad eius librum decimum ex eodem variae lectiones: 6) *Variae lectiones ad Aratum*: 7) *Variae lectiones ad Cleomedis* librum I. de Meteoris. Altero autem volumine continentur: 1) *Seueriani Oratio*, Ἀνοιγέσθω σήμερον πᾶν στόμα: 2) *Gregorii Theſſalonienſis* (Palamae) *Dialogus*, qui inſcribitur Theophanes. Ἐπισκέψαι κατὰ σεαυτόν: 3) *Scholium Theodori Studitae*: 4) *Fragmentum Gregorii Nazianzeni*: 5) *Specimen Scholiorum in Pſalmos*: 6) *Interpretatio Symboli*: 7) *Gloſſarium paruum* in epiſtolas Apoſtolorum: 8) *Variae lectiones ad Plutarchi libros* de placitis philoſophorum: 9) *Animaduerſionum farrago ad Gloſſarium* in Epiſtolas Apoſtolorum. Duplicem ſequitur Cl. Auctor in hoc opere vtilitatem. Nam aut ſuppeditat emendationes et varietates ad ſcriptores iam editos; aut opuſcula profert eiusmodi, quae adhuc ſub clauſtris in bibliothecarum tenebris latuerunt. Promuntur autem e bibliothecis, tum publicis, tum priuatis. E publicis ſunt fere omnes qui hic memorantur libelli, praeter codicem Columellae qui ex priuata eſt bibliotheca, e qua etiam Vulgatae verſionis Scripturarum ſacrarum codicem accepiſſe, eiusque notitiam alio tempore daturum, memorat. Satis antiqui ſunt, Secu-

li XII. XIII. et XIV, in membranis ſcripti, niſi quod eiusdem aetatis codex, qui Aratum et Cleomedem tenet, chartaceus eſt. Ac ſpecimen quidem catenae ineditae ad quatuor Euangeliſtas, quae vulgo tribuitur Euthymio Zigabeno, pertinet ad Matthaei c. XXVI. In eo praeter adſperſa quaedam ad ſanctiores vſus referenda, multa quae ad grammaticam, dogmaticam, et hiſtoricam ſpectent interpretationem, continet. Sic vocem ἕτοιμον gloſſema eſſe, vt viris egregie doctis placuit in Commentariis Marci XIV, 15. vocabulo τῷ ἐστρωμένον additum, huius quoque conſenſu confirmatur, cum et in hoc opere iſte locus omiſſo eo verbo laudetur. Quas ambages ſequuti ſint interpretes in explicando loco Lucae XXII, 42. πάτερ εἰ βούλει παρενεγκεῖν τοῦτο τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ, non fugit verae et accuratae interpretationis librorum diuinorum curioſos. Qui quidem hic ſimpliciter ac veriſſime ſic exponitur: ἔστι καὶ τοῦτο ἐλλιπές. ἐλλείπει γὰρ τὸ, παρένεγκε. Obſeruet etiam aliquis exquiſita et noua vocabula, vt διακωδωνίζειν pag. 28. pro δοκιμάζειν, διαπειράζειν, φανάριον non pro ſpeculo, quam ſignificationem Meurſius Gloſſario Graecobarb. memorat, ſed pro laterna p. 37. Multa tamen communia ineſſe cum iis, quae Theophylactus aliique habent, non dubitamus. Libellum medicum ſuſpicatur V. Cl. iam editum eſſe. Continet medicamentorum compoſitiones. Georgii Lecapeni libellus, de quo videndus Fabricius Bibl. Gr. Vol. VII. p 45. et Leo Allatius de Georgiis p. 363 ſeq. multa ad differentiam verborum cognoſcendam, ad legem conſtructionis intelligendam, ad auctorum veterum loca, quae ibi paſſim citantur et proferuntur, conſtituenda, ad recentioris Graecitatis indolem perſpiciendam, exhibet. Huius generis eſt συνέβειν, κοινῶς, vt ait λεγόμενον pro πειρᾷν, ea quidem, quae ab Ruhnkenio ad Timaei Gloſſarium p. 151 illuſtratur, notione. Abeſt hoc verbum a Gloſſario Meurſii. Columellae autem codex eſt bonae notae, et bonarum lectionum ple-

pleniſſimus, conſentientium paſſim cum aliorum librorum, tum, quantum comparando intelleximus, cum San-Germanenſis codicis lectionibus. Idem de Arato fatendum eſt, cuius integram refert hoc opuſculum collationem. Conſentiunt enim eius excerpta cum vetuſtiſſimis membranis, quas commemorat Vir doctus, Miſcell. Obſeruat. in Belgio prodit. Vol. IX. p. 118. in v. 790 vbi pro περιγνάμπτωσι ex illis affert περιγνάπτωσι, cum et hic habeat περιγνάπτουσαι. De Cleomede et ipſo bene ſperamus, cuius continuatam collationem ſequentia Volumina habebunt. Inter ea opuſcula, quae altero Volumine dantur, facile eminet ſpecimen Scholiorum in Pſalmos. Forte, ait V. Cl. Euthymius Zigabenus horum auctor eſt, v. Fabric. Bibl. Gr. Vol. VII. p. 473. num. 7. et Montefalconius Bibl. Coiſlin. p. 58. cod. XI. et p. 178. cod. CIV. Certe Graecitas non eſt indigna iſto auctore. Magnam quoque ſimilitudinem habet cum catena inedita in quatuor Euangeliſtas. Addamus etiam; vſum. Nam plurimis quoque ſcriptorum Noui Teſtamenti locis lucem afferunt, et Lexicorum ſupplementa praebent. Huius generis quaedam obiter notauimus. Pſ. I. extr. γινώσκει· οἰκειοῦται δηλονότι, καὶ ἐπισκέπτεται καὶ τιμᾷ. Sic enim 1 Cor. XVI, 18. etc. accipiendum. Pſ. II, 3. δεσμοὺς καὶ ζυγὸν τὴν ὑποταγὴν καλεῖ: cf. 1 Tim. VI, 1. Ibid. 11. ἐν φόβῳ· τὴν πολλὴν αἰδῶ, καὶ εὐλάβειαν, φόβον καὶ τρόμον φησίν. Sic ad Philipp. II, 12. Pſ. VII, 5. ἀνταπέδωκα· τὸ πρῶτον ἀνταπέδωκα καταχρηστικῶς ἀντὶ τοῦ ἔδωκα. Sic et hoc ipſum, et ἀνταναπληρῶν in N. T. legitur. At vero vocabulis, παρέγκλισις, ἀθωοσύνη, Lexica augeri poterunt. Ὀλέτης vox hinc auctoritatem, qua caret in Lexicis, capere poteſt. Variarum lectionum, earumque inter viliores, vt arbitramur, bonarum, copiam attulerunt excerpta e Plutarchi, de philoſophorum placitis, libello. Cap. III. enim pro νοστεῖν, in quo Reiskius, qui poſt Corſinium huius opuſculi curam egit, haerebat, legitur νοσεῖν· mox pro πλατανώδη,

πλαταμώδη, quo praeſtat Reiskii emendatio πλαταγώδη. Pro πλύσιν vero πλῆσιν habet. Mox confirmat Xylandri emendationem, pro παρακυλίσασα ſuadentis παραλυκίσαντα, quam etiam comprobabat Reiskius. Nam hic codex refert παραλυκίσασα. Ceteris theologici vel phyſici, quale eſt fragmentum Gregorii Nazianzeni, argumenti ſcriptis, ſuum pretium, ſuum vſum, merito reddimus, et grata mente eorum diuulgationem agnoſcimus. Sed Gloſſarium illud paruum Epiſtolarum Apoſtolicarum illaudatum non praetermittimus. Ei quidem adhaeſiſſe cognouimus duo vel tres ad Acta Apoſtolica pertinentes gloſſas, pleraſque vero conſentire cum Gloſſario quod Ioh. Albertus, e Fabricii codice, primus edidit Lugduni Batav. 1735. Huic vni plus ſtudii et laboris impendit Cl. Matthaei, quam ceteris huius collectionis opuſculis omnibus. Quippe non tantum examinauit eas gloſſas ad duo Lexica, ſub notis A. et B. comprehenſa, et editis Gloſſariis Graecis minoribus 1774. ad notitiam doctorum hominum adducta, comparauit que cum Cyrilli Lex. Mſ. ab eo, quo Albertus vtebatur, diuerſo; ſed etiam operoſis, et grammaticae doctrinae copiis abundantibus notis inſtruxit. Quae tamen, cum paucarum pagellarum ſpatia compleant, integrae lectorum cognitioni rectius ſeruantur, quam comminutae fractaeque delibantur. Reliquam adnotationem intelleximus admodum raram, neque crebram, nec ſibi conſtantem et ſimilem eſſe, a fortuna et ingenio potius pendentem, quam, niſi tamen id fortaſſe propoſiti fuit, conſilio et labori attribuendam. Praeclare doceri fatemur, codices Mosquenſes omnes conuenire cum vulgata lectione 1 Tim. III, 16. in Θεός, nec Chryſoſtomi, laudantis ea verba, orationem admittere, quod quidam volunt ὅς nec ὅ. Item in Codd. Moſqq. omnibus reperiri συναλιζόμενος Act I, 4. in vno codice eſſe συναυλιζόμενος.. In duorum codicum altero litteram υ poſt α deletam, in altero eandem litteram a manu recentiore ſuperſcriptam eſſe.

eſſe. Probamus alia, quae paſſim ſcite vtiliterque obſeruantur. Nec ſpernimus coniecturas nonnumquam propoſitas, veluti hanc, qua pro *ἐντείνειν λέγεται κυρίως, τὸ ἐμποιεῖν μνήμην ἀδιάλειπτον καὶ διηνεκῆ*, quae habentur in excerptis e Grammatica Georgii Lecapeni, ſuadetur *ἐντήκειν*; quae confirmatur Libanio Epiſt. 122. p. 64. ed. Wolf. mai. ſcribente: *τοῦ — ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς μνήμην ἐντήξαντος*. Nobis tamen videbatur *ἐντυποῦν* legi poſſe, quod verbum ab hac ſignificatione non alienum, Platonis in Theaeteto locus integer c. 33. et verbi *ἀποτυποῦσθαι* ibi vſurpati notio, commonſtrat. Sed ab elegantia iudicandi abhorret illa opinio, quaſi pro *πιστῶν*, in verbis Chryſoſtomi his: *νῦν δὲ εἰς τοσοῦτον ἀνοίας, καὶ καταφρονήσεως πολλοὶ τῶν πιστῶν ἐληλάκασιν*, legendum ſit *χριστιανῶν*, aut etiam *ἡμετέρων*, quod durum ſit, eiusmodi homines appellare *πιστούς*. Atqui non durum eſſe, confirmat conſtans vſus veterum Scriptorum Chriſtianorum, ex ipſis Apoſtolorum epiſtolis receptus, *πιστοὺς* nominandi promiſcue omnes, qui eſſent cognitione doctrinae diuinae imbuti, et eius ſe ſectatores profiterentur. Quod vt appareat, non eſt opus abire longius, ipſa opuſcula his voluminibus comprehenſa demonſtrant. Nam ſic Auctor (Vol. II. p. 47.) ſcholiorum in Pſalmum VIII. init. *ληνοὺς λέγει τὰς ἐκκλησίας τῶν πιστῶν*: mox ibidem, *τὰς καρδίας τῶν πιστῶν*. Nec praeſtare audemus, quae pro ſuſpectis et deprauatis notantur, idonea de cauſſa cenſeri. Cum autem interdum quidem factum eſſe videremus, vt verba ſcriptorum Graecorum, in his opuſculis vel teſtimonii cauſſa citata, vel imitatione expreſſa indicarentur, plerumque vero neglectum fuiſſe ſentiremus; coepimus dubitare, an id cum conſtantia et grauitate cauti et ſolliciti editoris conueniret. Nam multa quidem in hoc genere deſiderari, vel haec quae ſubito, vnde ducta eſſent, nobis deprehendere licuit, demonſtrent. Ex Ariſtophanis quidem Nubibus aliquot loca ſunt indicata, ſed multo plura relicta. In his qui vſ.

678.

Krebſii (*Io. Tob.*) *Vindiciae quorundam Locorum N. T. a I. Toupio ſollicitatorum.* 315

Nouum Teſtamentum graece per Io. Iac. Griesbach. 49

Procopovicz (*Theoph.*) *de proceſſione Spiritus Sancti.* 545

Riegeri (*Ioſ. Ant.*) *Opuſcula ad Hiſtoriam et Iurisprudentiam Eccleſiaſticam pertinentia.* 258

Sandini (*Ant.*) *Diſputationes Hiſtoricae ad vitas Pontificum Romanorum.* 505

Schroeckhii (*Io. Matth.*) *Hiſtoria Religionis et Eccleſiae Chriſtianae.* 586

Schultenſii (*Alb.*) *Commentarius in Iobum in Compendium redactus per* Ge. Io. Lud. Vogel. Tom. I. 404

Treſchow (*Henr.*) *Deſcriptio Codicum quorundam N. T. nondum deſcriptorum.* 368

Vorſtius (*Io.*) *de Hebraismus N. T. per* Io. Fr. Fiſcherum. 92

Wernsdorff (*Ern. Fr.*) *Nouiſſimorum conatuum de anno Chriſti nati examen.* 521

II. *Libri Juridici.*

Anonymi Erörterung der Frage: Welche Strafe iſt wirkſamer, die Todesſtrafe, oder ewige Gefängnißſtrafe? *ſiue Diſcuſſio quaeſtionis, vtrum Poena capitalis, an perpetua captiuitas efficacior ſit?* 219

III. *Libri Medici et Phyſici.*

Forſterorum (*Io. Rein. et Ge.*) *Characteres Generum Plantarum, in itinere ad inſulas Maris auſtralis collectarum.* 250

Leonhardi (*Io. God.*) *de prima cauſſa inſpirationis.* 367

Vita-

Vitalis (*Car.*) *de Lege Virium in Naturam dominatrice.* 409

IV. *Libri Mathematici.*

Demonſtratio *analytica, quod aequatio cubica tres habens radices reales, etiam totidem imaginarias inuoluere poſſet.* 60

— — — *Aſſerti, aequationem tertii gradus methodum Tſchirnhauſii reſolutam, tribus radicibus imaginariis conflatam eſſe poſſe.* 104

Hennert (*Io. Fr.*) *Inſtitutiones Aſtronomiae ſcientiarumque coniunctarum, Gnomonices, Geographiae, Chronologiae, et artis nauticae.* 489

de Tuſchis (*Io. Franc.*) *a Fagnano Problemata quaedam ad Methodum maximorum et minimorum ſpectantia.* 281

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Elogium (*Io. Chr. Polyc.*) Erxleben *Philoſ. Prof. in Academia Goettingenſi per* Alb. Gottl. Kaeſtner. 584

Horányi (*Alex*) *Hiſtoria Hungarorum et Prouincialium ſcriptis clarorum* P. I. II. III. 591

Saxii (*Chr.*) *Onomaſticon ſ. Nomenclator hiſtorico-criticus praeſtantiſſimorum omnis aetatis Scriptorum* Tom. II. 272

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Auctores Claſſici, Philologici, Miſcellanei.*

Noua Acta Regiae Societatis ſcientiarum Vpſalienſis, Vol. II. 198

Noui Commentarii *Societatis Regiae Scientiarum Goettingenſis*. Tom. I—IV. 462
Erneſti (*Io. Aug.*) *Opuſcula Philologico-Critica.* 418
Q. *Horatius Flaccus per* Io. Chr. Iani, Tom. I. 304
Krebſii (*Io. Tob.*) *Opuſcula Academica et Scholaſtica.* 399
Larcher *Memoire ſur Venus.* 361
Matthaei (*Chr. Fried.*) *Lectiones Mosquenſes*, Vol. I. II. 594
— — *in* Plutarchum περὶ Δυσωπίας. 209
Morus (*Sam. Fried. Nath.*) *de diſcrimine ſenſus et ſignificationis in interpretando.* 121
— — *de nexu ſignificationum eiusdem verbi.* 427
Nouveaux Mémoires de l'Academie Royale des Sciences et belles lettres. 1
Odericus *Gasp. Aloyſ. de Marmorea Didaſcalia Genuae reperta.* 457
C. Plinii *Secundi Hiſtoria Naturalis c. n.* Io. Harduini *et aliorum, per* Io. Ge. Fr. Franzium, Tom. I. 163
Plutarchus *de audiendis poetis per* Io. Tob. Krebſium, Ed. IIda. 380
— — — περὶ Δυσωπίας, Τύχης it. δεισιδαιμονίας, *per* Chr. Fr. Matthaei. 446
— — — περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων, *per* Dan. Wyttenbach. 267
Sext. *Aur. Propertius per* Frieder. Gottl. Barthium. 243
Schelleri (*Imm. Io. Gerh.*) *Praecepta Styli latini.* Pars I. 497
Schlegelii (*Io. Henr.*) *Obſeruationes in Cornelium Nepotem cum Chronologia rerum Graecarum, Carthaginenſium, et Romanarum.* 392

Schroeckh

Schroeckh (*Io. Matth.*) *quod nec Scholae nec vitae, ſed conſcientiae diſcendum ſit.* 36
Siciliae *et obiacentium Inſularum veteres inſcriptiones, per* Gabr. Caſtellum. 654
Albius Tibullus *per* Chr. Gottl. Heyne. Edit. IIda. 85
P. Virgilius *Maro per* Chr. Gottl. Heyne, Tom. IVtus. 117
Xenophontis *Opuſcula Politica, Equeſtria, et Venatica, per* Io. Car. Zeune. 514

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIORVM.

A.

Accentus *Hebraei.* 100
Acta *Societatis Regiae Vpſalienſis.* 198
Adoptiani. 151
Aequatio *cubica.* 60
— — *tertii gradus.* 104
Aequationes *analyticae* 7
— — *differentiarum partialium.* 19
Aequationum *radices.* 14
Aëris *denſitas.* 3
Ἀγαθὸς et Δίκαιος *differunt.* 350
Ἄγγελοι 1. Cor. XI, 10. quid? 344
Alcuinus *ex ed. Foerſteri.* 134
Alcuini *Scripta.* 149
— — *Vita.* 149
Algorithmus *exponentialis.* 17
ἀμφιλαφὴς quid? 435
Anima *alias vires habet ac Materia.* 24
Annus *Chriſti nati.* 521
Anomia, *conchae genus.* 201
Anthropomorphismus. 423
Antiochenum *decretum de Paſchate.* 469
Antiquitates *Hebraeae.* 439
Ἀπαρχὴ πνεύματος Rom. VIII. 23. quid? 359
Archaeologia *Hebraeorum.* 439
Arrianus *de venatione.* 514
Aſtronomiae *inſtitutiones.* 489
Athanaſius *an auctor Symboli?* 512
Attritus *corporum.* 465
Audaeani. 426
Auriuillius *Carol. de Codice Vpſalienſi Horatii.* 208
— — *Sam. de oſſibus in Pericardio.* 204
Aurora *borealis.* 205
Azyma *in S. Coena.* 510

Digitized by Google

B.

Baptiſmus *Haereticorum.* 509
Barthii Fried. Gottl. *Propertius.* 243
Baueri Chriſt. Lud. *Philologia Thucydideo Paullina.* 263
de Beauzée *Grammatica generalis.* 33
March. Beccaria *de poena capitis.* 219
Bellis *Cretica.* 203
M. Bequelin *de Algotrihmo exponentiali.* 17
— — *libertate aequilibrii.* 20
— — *numeris Polygonorum.* 28
— — *obſeruationes Meteorologicae.* 6
— — *de propagatione luminis.* 4
Berch Andr. *de origine gentium.* 201
Bergius Petr. Ion. *de Remediis Galactophoris.* 204
Bergmann *Torbern, de Aurora Boreali.* 205
— — *Cryſtallorum formis ex Spatho ortis.* 205
Bergmann *Torbern de Experimentis electricis.* 205
— — *Laruis.* 202
Bernoulli Io. *de Eclipſibus Satellitum Iouis.* 17
— — *Fractionibus Decimalibus.* 12
— — *Hydraulica.* 463
— — *Obſeruationes Aſtronomicae.* 10
— — *de Oppoſitione Iouis et Solis.* 10
de Bitaubé *de Miro Epico.* 33
— — *Molierio.* 28
Boreale *lumen.* 205
M. Borrelly *de Eloquentia.* 35
Boſcowich *de lege virium Naturae.* 409
Britannia *litterata medii aeui.* 478
Burmann Laur. *de Heliophila.* 204

C.

Cantoua Io. Ant. *defendit Septimium et Epiphanium ob Anthropomorphiſmo.* 423
Capelli Lud. *Critica Sacra.* 560

Ca-

Digitized by Google

Capenſes *plantae.* 257
Capitis *poena an plus terreat Carcere?* 219
Carceris *effectus.* 219
Carteſii *et Lockii de Ideis innatis conciliatio.* 22
Caſtellus Gabr. *edit Inſcriptiones Siciliae.* 553
de Caſtillon *Lockium cum Carteſio conciliat.* 22
Catalecta *Virgilii.* 120
Catena *Euthymii in Euangelia.* 596
Catharina *Brandenburgica.* 35
de Catt *Phyſiognomia.* 31
— — *Pulcrum in artibus.* 35
Celſius Ol. *de Runis Helſingicis.* 199
Cenſus *Auguſti.* 528
du Chesne *Editio Alcuini.* 135
Childericus *regno motus.* 512
Chriſti *annus et dies natalis.* 542
— — *fuga in Aegyptum.* 541
Chryſtallorum *formae ex ſpatho.* 205
Ciris *Virgilii.* 119
Codices *Horatii.* 208. et 305
Codices *Noui Teſtamenti.* 57. et 386
Cohaeſio *an per attractionem?* 416
Cometarum *orbitae.* 13
Communicatio *motus.* 417
Concilium *Plenarium Auguſtini.* 509
Conſcientiae *diſcendum.* 36
Copa *Virgilii.* 120
Cornelius *Nepos illuſtratus.* 392
Creatura *gemens.* 353
Critica *Sacra Cappelli.* 560
Culex *Virgilii.* 118
Cyclus *Iobelaeus.* 573

D.

Decretales. 261
Decretum *Gratiani.* 260
Deductiones *Etymologicae.* 430
Deliquium *Lunae de an.* 1750. 206
Demonſtratio *Entis aeterni ex principio Rationis ſufficientis.* 21
Denſitas *Aëris.* 3
Didaſcalia *marmorea.* 457
Dies *Chriſti natalis.* 531
Differentiae *et integrationes.* 14

Digitized by Google

Δίκαιος et Ἀγαθὸς *differunt* Rom. V, 4. 350
Dionaea *Muſcipula.* 204
Dionyſius *Exiguus de anno Chriſti.* 521
Diuerſitas *Linguarum et Scriptorum.* 122
Diuiſibilitas *Corporum in infinitum.* 414
Dodwellus *de Paucitate Martyrum refutatur.* 509
Doederlein I. C. *in Ieſaiam.* 97
Donnola *de Patria Propertii.* 245
Δυσωπία. 209

E.

Ἔχειν *quid?* 133
Eclipſes *Satellitum Iouis.* 17
Editiones *Alcuini.* 143
— — *Noui Teſtamenti pra cipuae.* 51
Ἐκχύεσθαι *quid?* 359
Electrica. 205 Eorum *vis in corpus humanum.* 4
Elementorum *vires.* 409
Elipantus *Toletanus.* 152
Ellis Io. *de Dionaea Muſcipula.* 204
Elogium I. Chr. Polyc. *Erxleben.* 584
Eloquentia. 35
Epiphanius *et Septimius an Anthropomorphitae?* 423
Epiſtolarum *Paullinarum ex Thucydide illuſtratio.* 263
Erneſti Io. Aug. *Opuſcula Philologica.* 415
Erxlebenii Io. Chr. Polyc. *Elogium.* 584
— — *Scripta.* 590
Etymologicae *rationes.* 429
Euler *et alii, de aequationibus Algebraicis.* 9
Euthymii *Catena Euangelica.* 596
Excidium *Naturae corporeae.* 208
Experimenta *Electrica.* 205
Extenſio *Corporum.* 413
Ἐξουσία ἐπὶ τῆς κεφαλῆς 1 Cor. XI, 10. *quid?* 334

F.

Faber I. C. *de Archaeologia Hebraeorum.* 439
Fatigat *quid?* 132
Felix *Orgelitanus.* 151
Fenus's *Vlytrapp.* 204

Ferrarii Lud. *ratio reſoluendi aequationes.* 8
Filioque *additum a Latinis Symbolo Niceno.* 551
Findeiſen C. G. *interpretatur quaedam Loca N. T.* 348
Fiſcherus Io. Fried. *edit Vorſtium de Hebraismis N. T.* 92
Fluida *corpora.* 2
Foetus *vita in vtero.* 369
Forſteri Io. Rein. et Ge. *de Plantis Inſularum Maris Auſtralis.* 250
Eormey *cur tot hominibus deſit ſenſus pulcri.* 27
Forſteriana *editio Alcuini.* 135
Fractiones *Decimales periodicae.* 12
Franzius I. Ge. Fr. *edit Plinii Hiſtoriam Naturae.* 163
Frictio *Corporum.* 2
Frobeniana *editio Alcuini.* 135
Furia *Infernalis.* 201

G.

Galactophora *remedia.* 204
de Geer Car. *de Tipulis.* 202
Gerhard *de vſu electricitatis medico.* 4
Grammatica *Vniuerſalis.* 33
de la Grange *de Aequationibus Analyticis.* 7
— — *de Aequationum Radicibus.* 14
— — *de differentiis et integratione.* 14
— — *de integratione Aequationum.* 19
— — *refractionibus Aſtronomicis.* 15
— — *Tauochronis.* 6
Gratianus. 260
Griesbachii Io. Iac. *Editio N. T.* 49

H.

Hartmann I. *de Haemoptico per Spiritum Frumenti Nitro ſaturatum curato.* 205
Hebraismi *N. T.* 92
Heliophila. 204
Hellingicae *Runae.* 199
Hennerti I. Fr. *Inſtitutiones Aſtronomicae.* 489
Heſiodus Chr. Fr. *Loesneri.* 376
Heynii C. G. *Tibullus.* 85
— — *Virgilius.* 117

Hiſtoria *Eccleſiaſtica neceſſaria.* 568
— — *naturalis per* I. Chr. Erxlebenium *culta.* 586
Homeritae. 484
Horányi Alex. *de Hungaris ſcripto claris.* 591
Horatius C. D. *Iani.* 304
— — *MStus.* 208
Hottingerus I. Iac. *de ineptiis oppugnantium religionem.* 452
Hungari *ſcriptis clari.* 591
Hyaena. 203
Hybernia *litterata medii aeui.* 478
Hydraulus *Veterum.* 470
Hydraulicam *Bernoullianam oppugnat Dom. d' Alembert.* 463
Hygrometra. 3

I.

Iani *templum clauſum.* 530
Ideae *innatae.* 22
Ieſaias *illuſtratus.* 97
Imaginariae *Radices aequationis cubicae.* 60
Inſpiratio *prima.* 367
Inſulae *maris auſtralis.* 250
Inſcriptiones *Siciliae et vicinarum inſularum.* 553
Integratio *et differentiae.* 14
Iobilaea. 574
Iohannes III. *Rex Sueciae.* 200
Ioſephi *Archaeologia.* 421
Iouis *Satellitum Eclipſes.* 17
Iſochroniſmus. 6
Iuuenilia *Carmina Virgilii.* 117

K.

Kaeſtnerus Abr. Gottl. *Bernoullianam Hydraulicam defendit.* 463
— — *Elogium* Io. Chr. Polyc. Erxlebenii *ſcribit.* 584
Krebſii I. Tob. *Opuſcula.* 399
— — *Plutarchi de audiendis Poetis noua editio.* 380
— — *Toupianarum emendationum in N. T. refutatio.* 315
Κτίσις Rom. VIII, 21. *quid?* 353
Kuſter *de Catharina Brandenburgica.* 35

L.

Lambert *de corporibus fluidis.* 2
— — *denſitate aeris.* 3
— — *frictione corporum.* 2
— — *Hygrometria.* 3
— — *Obſeruationes analyticae.* 10
— — *Orbitis Cometarum.* 13
— — *praeſagiorum tempeſtatis incertitudine.* 26
— — *taxeometria.* 23
— — *tubis achromaticis.* 13
Λαμυρὸς *quid?* 433
Larcher *de Venere.* 361
Laruarum *claſſes.* 202
Leges *virium in natura.* 409
Leonhardi Io. God. *de prima inſpiratione.* 367
Leo *Iſaurus.* 512
Lex *inertiae.* 465
Λήναια ſ. Λιμναῖα. 459
Libertas *aequilibrii.* 20
Linnaeus Carol. *de Anomia.* 201
Lockius *et* Carteſius *de Ideis innatis.* 22
Loesnerus Chr. Fr. *edit Heſiodum.* 376
Luminis *propagatio.* 4
Λῦσαι *quid?* 136

M.

Magnanus *Dom. de anno Chriſti nati.* 521
Magi *Orientis quando venerint Hieroſolymam.* 542
Maledicentia. 22
Mallet Fr. *de correctione meridiei inuenienda.* 206
Marggraf *de foliis Tiliae deſtillandis.* 1
Marmorea *Didaſcalia.* 457
Martyres *an pauci?* 509
Maſſoni *templum Iani reſeratum.* 531
Matres *Lectionum.* 564
Matthaei Chr. Fr. *Lectiones Moſquenſes.* 594
— — *in Plutarchum* περὶ δυσωπίας. 209
— — *edit Plutarchi quaedam opuſcula moralia.* 446
Meiſter Alb. Lud. Fr. *de aberratione attritus a lege inertiae.* 465
— — *emendatiore ſcalae Thermometri, inter puncta ex obſeruationibus definita, interpolatione.* 480
— — *de Hydraulo Veterum.* 470

Me-

Melander Dan. *de Excidio Naturae.* 208
Meridiei *correctio.* 206
Meteorologicae *obſeruationes Berolinenſes.* 6
Methodus *Maximorum et Minimorum.* 281
Mirabile *Poeſeos Epicae.* 34
Molieri *Dramata.* 29
Moretum *Virgilii.* 120
Morus Sam. Fr. Nathan. *de ſenſu et ſignificatione.* 121
— —*de ſignificationum nexu.* 427
Motus *communicatio.* 417
Murray Io. Phil. *de Britannia et Hybernia litterarum a Saeculo VI—X. domiciliis.* 478

N.

Natalis *dies Seruatoris.* 531
— — *inuicti quid?* 533
Naturae *excidium.* 208
Nexus *ſignificationum.* 427
Nicaenum *decretum de Paſchate.* 468
Noua *Zeelandia.* 256
Nouum *Teſtamentum ex ed. Griesbachii.* 49
Numeri *Polygoni.* 28

O.

Obſeruationes *in Corn. Nepotem.* 392
— — *Meteorologicae Berolinenſes.* 6
Odinus *Gaſp. Aloyſ. de Marmorea Didaſcalia.* 457
Onomaſticon *praeſtantiſſimorum omnis aetatis auctorum.* 272
Oppoſitio *Iouis et Solis de ao.* 1770. 10
Orbitae *apparentes Cometarum.* 13
Oreades *Helſingicae.* 199
Organa *Hydraulica.* 471
Originis *gentium per Inſtrumenta ruralia inueſtigatio.* 201
Oſſa *in Pericardio.* 204

P.

Paleae *Gratiani quid?* 260
Panis *azymus.* 510
Παράδοσις *quid?* 259
Paralytici *morbi per Electricitatem curati.* 4
Paſcha *Nicaenum.* 468
Patria *Propertii.* 245
Pauci *an multi Martyres?* 509

Pax an naſcente Chriſto? 530
Paullinae Epiſtolae ex Thucydide illuſtratae. 263
Pennant Th. de Anomia. 201
Pericardio oſſa inſunt. 204
Periodus Iobelaea. 580
Perſecutionum cauſſae. 474
Petrus an Antiochiae Epiſcopus? 507
Philoſophia Hiſtoriae. 30
Phyſiognomonica. 31
Plantae Africanae. 204
— — Capenſes. 257
— — Inſularum Maris Auſtralis. 250
Πληρῶσαι quid? 134
Plinii Hiſtoriam edit Franzius. 163
Plutarchus de audiendis poetis. 380
— — περὶ δυσωπίας, τύχης, δεισιδαιμονίας. 446
— — ſera numinis vindicta. 267
Poenae capitales. 219
Praeſagia tempeſtatum incerta. 26
Proceſſio Spiritus Sancti. 545
Procopovicz Theoph. de Proceſſione Spiritus Sancti. 545
— — Vita eius. 546
Propagatio luminis. 4
Propertius ex ed. C. G. Barthii. 243
— — ubi natus? 245
Pontifices Romani. 505
Pulcrum in artibus. 35

Q.

Quercetani Andr. Alcuinus. 135
Quirinus Syriae praeſes. 528

R.

Radices aequationum. 14
— — aequationis cubicae reales et imaginariae. 60
— — earum reſolutio. 104
Ῥακὰ quid? 133
Refractiones Aſtronomicae. 15
Religio cauſſa perſecutionum. 474
Remedia Galactophora. 204
Riegerus Ioſ. Ant. Hiſtoriam et Ius Eccleſ. illuſtrat. 258

Runae

Runae *Helſingicae.* 199

S.

Sandini Ant. *Vitae Pontificum.* 505
Satellitum *Iouis Eclipſes.* 17
Saxii Chr. *Nomenclator litterarius.* 272
Scalae *Thermometri emendatio.* 422
Scharfenberg Io. Godofr. *edit Criticam Cappelli.* 560
Scheller Imm. Io. Gerh. *de Stylo latino.* 497
Schlegelii Io. Henr. *Obſeruationes in Corn. Nepotem.* 392
Scholia *Homeri inedita.* 430
Schreber Io. Chr. Dan. *de Belli Cretica.* 203
— — *Plantis Africanis.* 204
Schroeckh Io. Matth. *quod conſcientiae ſit diſcendum.* 36
— — *eius Hiſtoria Eccleſiaſtica.* 568

Scripturae *Sacrae loca vindicata et illuſtrata.*
Geneſ. IV, 17. 441
Exod. XXIII, 10. 575
Leuit. XXV, 1—11. 574
1 *Sam.* XVII, 12. 567
2 *Sam.* XVII, 20. 567
Iob. I, 13. 406
XIII, 28. 407
XIX, 25. 26. 405
Pſ. I, 6. 597
II, 3 et 11. ibid.
VII, 5. ibid.
XIV, 5. 6. 563
XXXIII, 17. 667
LIII, 5. 6. 563
LXIX, 10. coll. *Io.* II, 17. 133
CX. coll. 1 Cor. XV, 25. 134
Ieſ. XIV, 5. 6. 100
XIX, 10. 99
XXX, 7. 100
19. 101
XXXVI, 10. 563
XXXVII, 13. 99
18. 563
XXXVIII, 9. 101
XLI, 1—4. 103
XLII, 14. ibid.
XLIII, 12. 99
14. 101
XLV, 24. ibid.

Ieſ.

Ieſ. XLVII, 2. 99
LVII, 11. ibid.
LVIII, 3. 567
Hoſ. IV, 10. 567
14. 341
Ioel III, 1. 134
Math. III, 31. 130
V, 22. 133
IX, 14—18. 137
XVI, 17. 130
XXIV, 29—31. 134
Marc. III, 20. 320
XI, 13. 328
XIV, 15. 569
Luc. II, 1—3. 526
III, 23. ibid.
V, 39. 138
XXII, 42. 569
Ioh. III, 19. 130
31. 131
VIII, 1—10. 390
23. 130
XVIII, 37. ibid.
XIX. 29. 333
Act. I, 4. 598
20. 136
III, 21. 135
V, 38. 130
VIII, 6. et 12 123
XVI, 14. ibid.
Rom. II, 8. 130
V, 5—8. 349
VIII, 18—23. 351
Rom. VIII, 27. 133
XI, 9. 136
1 *Cor.* II, 10. 133
III, 1. 130
XI, 10. 133. 134
XV, 47. 131
XVI, 18. 597
2 *Cor.* V, 1. 2. 130
VIII, 9. 135
Gal. VI, 1. 130
2. 266
Phil. II, 12. 597
16. 124
III, 2. 136
1 *Tim.* III, 16. 598
V, 24. 271
Hebr. I, 13. 135
VII, 25. ibid.
XII, 2. ibid.
Iac. III, 15. 130
1 *Petr.* IV, 4. 124
1 *Ioh.* II, 16. 131
23. 133
III, 12. 130
IV, 6. 131
V, 7. 389
12. 133
3 *Ioh.* v. 11. 131
Schultenſius Alb. *in Iobum.* 404
Senſus *cur deſit multis.* 27
Senſus *et ſignificatio.* 121

Septi-

Septimius et Epiphanius non ſunt Anthropomorphitae. 423
Siciliae et vicinarum inſularum Inſcriptiones. 535
Sigeberti locus de Carolo M. 513
Scioldebrand Er. de Hyaena. 203
Societas Regia Upſalienſis. 198
Solander de Furia Infernali. 201
Spiritus Frumenti nitratus. 205
Stephanus Pontif. Rom. de Baptismo haereticorum. 508
Stromer de deliquio Lunae ao. 1750. 206
Studiorum impedimenta. 37
Styli praecepta. 497
Succus e foliis Tiliae. 1
Sulpitiae Poemata. 91
Sulzerus quod anima non ſit materialis. 24
— — demonſtrat Ens aeternum per principium rationis ſufficientis. 21
Supplicia capitis. 219
Syſtema Naturae, liber impius. 453

T.

Tautochroni. 6
Taxeometria. 23
Terra del Fuego. 256
Thucydides cum N. T. comparatus. 263
Tibullus Heynii. 85
— — editiones praecipuae. 86
Tiliae folia in ſuccum deſtillanda. 1
Tipula fuſca. 202
Toupius Io. minus commode corrigit Nou. Teſtam. 318
Touſſaint de Maledicentia. 22
Tſchirnhaus de aequationibus Algebraicis. 9
Traditiones ſacrae. 258
Treſchow Herm. de Codicibus quibusdam Nou. Teſt. 386
Tubi achromatici. 13
de Tuſchis Problemata ad Methodum Maximorum et Minimorum ſpectantia. 284

V.

Variarum Lectionum in N. T. origo. 564
Veneres plures. 361
Verecundia praepoſtera. 209
Victor Pont. de Paſchate. 508
Vindicta ſera Numinis. 267
Vires elementorum. 410
Virgilius Heynii. 117
Vitae Pontificum. 505
Vitia ſtudiorum. 37
Vocales Hebraicae. 100
Vogel Ge. Io. Lud. Criticam Cappelli edit 560
— — Scultenſii Comm. in Iobum redigit in compendium. 404
Vorſtius Io. de Hebraismis N. T. 92
Vpſalienſis codex Horatii. 208
— — Societas Scientiarum. 198

W.

Walch Chr. Gu. Fr. de Cauſſis perſecutionum. 474
Walch Chr. Gu. Fried. de Decreto Nicaeno Paſchali. 468
— — Homeritis. 484
Weguelin de Philoſophia Hiſtoriae. 30
Wernsdorff Erneſt. Frieder. de anno Chriſti nati. 521
Wyttenbach Daniel. edit Plutarchum de ſera numinis vindicta. 267

X.

Xenophontis editiones. 515
— — opuſcula. 514

Y.

Ὑεραμίς vel Ὑεραμῖτις. 333

Z.

Z.

Zacharias *et Stephanus Pont. Childericum regno mouent.* 512

Zeelandia *Noua.* 256

Zeunius, Iohannes Carolus, *edit Xenophonteos libellos.* 514

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165789409
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google